
37
29 C
16




D. Fran.us Xav.us Alegre Americ.us
Civis Veracrucensis
natus 12. Nov. 1729. Obijt 16. Aug. 1788

FRANCISCI XAVERII
ALEGRII
PRESBYTERI VERACRUCENSIS
INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM
LIBRI XVIII.

IN QUIBUS OMNIA CATHOLICÆ ECCLESIÆ DOGMATA, PRÆCEPTA, MYSTERIA, SACRAMENTA, RITUS ADVERSUS PAGANOS, HÆRETICOS, ET RECENTIORES PHILOSOPHOS ASSERUNTUR, ET EXPLICANTUR.

TOMUS PRIMUS.

COMPLECTENS TRIA PROLEGOMENA.

I. *Synopsim Historicam Rom. Pontificum, & Conciliorum.*
II. *Hæresum, & Hæresiarcharum.*
III. *Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum.*



VENETIIS,

TYPIS ANTONII ZATTÆ, ET FILIORUM.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

M. D. CC. LXXXIX.

Meum Propositum est Antiquos legere, probare singula, retinere quod bonum est, & a fide Catholicæ Ecclesiæ non recedere.

Hieronimus Epistola 152.

EPISCOPO ANGELOPOLITANO,

ET UNIVERSIS PER ORBEM CATHOLICÆ ECCLESIÆ PASTORIBUS, ET DOCTORIBUS.

FRANCISCUS XAVERIUS ALEGRIUS
SAL. IN CHRISTO.

RECentioris cujusdam Scriptoris nescio an impia magis, quam stulta vox fuit, non esse nunc tempora, in quibus D. Thomæ aut testimonium quicquam, aut authoritas valeat. Nimirum

Sæculum insipiens, & inficetum ......

nugas amat, & solidam Catholicæ fidei doctrinam, velut languente stomacho respuit. Tolle Thomam, quidam alius istorum dixisse, fertur, & Catholicam Ecclesiam dissipabo. Impiè quidem id, atque stolide. Perinde quasi Catholica Ecclesia per duodecim ante Aquinatem sæcula super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ædificata, ipso summo angulari lapide Christo JESU, authore, & consummatore fidei, invicta, atque inconcussa non extiterit inter Judæorum, & Paganorum odia, inter persequutio-

num turbines, inter Hærericorum seditiones. Perinde quasi contra verbum Dei inferorum portæ sint unquam prævalituræ. Tamen hac ipsa opinatione falsissima, ac superbissima comminatione, turbulenti hominis scopus, ac nefarium propositum satis innotescit. Vidit enim homo alioqui satis acutus, & in nostrorum Scriptorum; quibus innutritus fuerat, lectione non parum versatus, vidit, inquam, neminem Catholicorum rem Theologicam plenius, pressiusque tractasse, ac locupletius, neminem aut definiisse strictius, aut divisisse subtilius, aut explicuisse dilucidius, aut confirmasse nervosius, aut defendisse robustius. Neminem Scripturas aut evolvisse diligentius, aut exposuisse simplicius, aut adduxisse congruentius. Neminem Græcos, & Latinos Patres aut trivisse frequentius, aut allegasse opportunius, aut tractasse reverentius. Neminem Philosophos, atque omnis generis profanos authores aut enucleasse accuratius, aut intellexisse rectius, aut Ecclesiasticæ doctrinæ servire, fecisse, felicius. Neminem adversarios fidei sive Paganos, sive Hæreticos aut correxisse modestius, aut confutasse efficacius. Hoc igitur propugnaculo everso, in quo est omnis armatura fortium, Catholicam Ecclesiam eodem impetu labefactandam, atque ever-

evertendam esse existimavit. Deceptus est tamen Neque unquam D. Thomas deficiet

A quo ceu fonte perenni

Doctorum puris ora rigantur aquis,

Nec si omnia ejus scripta deficerent, ullum esset Catholica doctrina passura detrimentum. Non enim vera est Catholicæ fidei doctrina, quia doctrinæ S. Thomæ conformis, imo contra vera erit illius, & cujusvis Scriptoris doctrina, quam Catholica confirmaverit, atque amplectatur Ecclesia.

Ecclesia autem Catholica vos estis Patres, & Sacerdotes, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Vos Apostolorum Successores, quibus Depositum Traditionum, & Scientia Scripturarum commendata. Vobis pascendi Dominici gregis cura commissa, vos orthodoxæ fidei Doctores, & Traduces. Qui non est vobiscum, contra vos est, & qui vobiscum non colligit, dispergit. Vestrum igitur hoc opus est. Causa fidei agitur, cujus vos Magistri estis, & custodes: Causa gregis agitur, cujus vos estis Pastores: Causa Christi, cujus vos estis Vicarii: Causa Ecclesiæ, in qua vos supremo ejus Capiti assidetis Judices. Vestram fidem sequor: vestram doctrinam expono. Sanctum Thomam non

è medio sublatum, sed florentem, docentem, regnantem, omni partium studio sublato, atque ad præsentia tempora accommodato stylo, ac methodo loquentem exhibeo. Antiquos Ecclesiæ Patres Decessores vestros, ex quorum ille dictis, ac sententiis opus suum contexuit, amplector; atque exosculor. Febronium vobis plus æquo adblandientem, Eybelium, & hujusmodi Recentiores Principibus adulantes non novi. Nescio eos, qui devotionis in Romanam Ecclesiam specie Sæcularium Potestatum jura subvertunt, aut Episcoporum dignitatem, atque authoritatem ad nihilum redigunt. Dum vero universos Episcopos, & Christiani Orbis Pastores alloquor, Te nominatim alloquor; Dignissime Pater. Debemus Tibi nos, nostraque, atque ea maxime, quæ pro fidei Christianæ elucidatione elucubravimus. Ei nimirum Ecclesiæ præes, cujus in gremio natus, cujus in Scholis fidei, & sacrarum litterarum primis elementis excultus, ubi denique Sacris Ecclesiæ ordinibus a primo sum usque ad ultimum initiatus. Natura igitur subditus, educatione alumnus, munere cliens, obsequentissimi animi, & Episcopalis dignitatis studiosissimi qualecumque munus dico reverenter, atque offero. Dabam Bononiæ, Non. Martiis ann. 1772.

DE AUCTORIS VITA COMMENTARIUS.

POstumam Theologiæ sacræ editionem a Francisco Xaverio Alegrio olim conscriptæ, diuque a multis optatæ, pubblici juris facturo Viro operæ pretium visum est, si quis de Cl. Auctoris Vita, ingenio, moribus nonnullas saltem attingeret, atque in medium proferret: neque id profecto, quo ejusmodi operi, & Auctoris nomine, & merito suo dignissimo, commendationis aliquid compararet; sed ut Amicis, Mexicanis præsertim Civibus, quibus Alegrio diu olim frui concessum fuit, nobileque illius ingenium admirari, aliquam in tanti Viri, ac Præceptoris sui jactura consolationem afferret: ut dum illius imaginem, quibuscumque saltem lineamentis expressam, ob oculos intuerentur, illum adhuc sese quodammodo videre, audire, alloqui existimarent. Neque enim ego, cui id oneris impositum est, illud mihi assumo, ut dignam Francisci Xaverii effigiem adumbrare me posse credam; sed dum aliorum nutibus obtempero, plus apud me Amicorum obsequium, quam tenuitatem meam valuisse (neque id enim detrecto) palam fiet. Eoque pacto duorum, qui ingenio similes, ætate pares, in studiis æmuli, amicitia conjunctissimi, Abadii Alegriique, Mexicanam Provinciam, literariamque rem [illegible] ptis

ptis illustrarunt suis, aliqua ad Posteros per nos memoria perennabit.

In Urbe Veræcrucis, Septentrionalis Americæ Portu celebri, atque Hispaniarum Classium ditissimo emporio, Franciscus Xaverius natus est pridie Idus Novembris anno MDCCXXIX. Parentes habuit Joannem Alegrium, & Ignatiam Capetillo non minus genere, quam Christiana pietate nobiles: quibus nihil fuit antiquius, quam ut susceptos Filios Josephum, Franciscum Xaverium, & Annam pietatis lacte enutritos ad Christianos mores toti familiæ ingenitos, & avitam honestatem informarent: rati nimirum id quod est, divitias, honores, & quidquid magni apud homines nomen obtinuit, nisi opportunè Filiis pietatem instillaveris, periculosum plerumque illis fore patrimonium. Neque irrita sanè fuere Parentum vota. Josephus enim magno, ut cæteri ingenio præditus, studiisque non sine laude peractis, Divi Francisci institutum (apud eos, quos in America *Apostolicos* vocant) amplexus est: inde ad Provinciam Zacatecarum eorundem Franciscanorum transiens, omnibusque muniis obitis, toti etiam Provinciæ præfuit. Anna vero, raro item, & supra sexum ingenii acumine, tum & egregia formá omnibusque Matrisfamilias institutis a Parente probè edocta, Viro nupsit; dumque filiis sanctè instituendis, regendæque domui sedula invigilat, Parentibus, Fratribusque dignissimam se præstat.

Franciscus autem Xaverius pueritiam jam prætergressus, primisque ætatis illius elementis domi diligenter imbutus, Grammaticæ, Latinitatisque in publico ludo rudi-

rudimenta ponere a Patre jussus est: quod cum egregiè præstitisset, cæterosque omnes ætatis suæ discendi celeritate, uberrimo ingenio, miraque memoriæ fecunditate facilè anteiret, tum & amæniorum scientiarum semina, in immensam ferè olim magnitudinem eruptura, sensim haurire cæpit. In Patria, ut in urbe maritima fit, assiduo navium illuc confluentium appulsu, hominum etiam Nauticæ peritorum, mathematicisque disciplinis insignium maxima semper est frequentia. Hic Pater cum ratione muneris (Rationibus enim inserviebat Regiis) ad Portum identidem ventitaret, puerum secum, seu in studii præmium, seu majoris in posterum contentionis stimulum ducebat subinde: Puer verò, ut jam tum summa flagrabat aviditate discendi, naves conscendere, pixidem nauticam, cæteraque navigandi instrumenta diligentius observare, descriptas in chartis regiones etiam atque etiam intueri, sciscitari Nauclerosque, verbo dicam, prima illius magni ædificii, quod omnium admirationem deinceps excitaret, jacere fundamenta.

In his, cum duodecimum ætatis annum attigisset Franciscus, Grammaticamque optime calleret, Angelopolim ad Regale Divi Ignatii Seminarium missus est, Philosophiam auditurus: in ea tamen, seu salebrosis Scholæ quæstionibus parum ob ætatem maturus, seu quod ad illas id temporis minus propenderet, nequaquam eum, quem ex tanto ingenio exspectare fas erat, fructum tulit; illa tamen quantum ad disciplinas cum laude capessendas satis esset, instructus, ad ulteriores Mexicum totius novæ Hispaniæ Urbem Principem missus est; quo utrius-

utriusque juris studio operam navaret. Annum inibi commoratus, nec sibi ejusmodi labore ex voto succedente, Angelopolim remigravit, ac divinarum rerum scientiam, solam (ut ille ætate jam maturus ajebat) ingenuo homine dignam, feliciter aggressus est. Cum huic totus esset intentus, ejus demum maturescente judicio, seu, ut nonnulli autumant, justum vigorem cerebri fibris acquirentibus, novam sibi repente lucem animo sensit oboriri: & quidem non Theologiæ solum, sed Philosophiæ etiam, juris, ac cæterarum cognitionum imagines, leviter olim, ut credebatur impressæ, consurgere illicò, mentem clarissimo lumine illustrare, primique ordinis ingenium quibuscumque scientiis in posterum aptissimum patefieri visum est: prorsus ut, cum biennium in ea arena vix exegisset, publico sui periculo facto, summam omnium meruerit approbationem. Nimirum, quod ajebat Verulamius, teneris puerorum ingeniis multarum scientiarum semina sensim ingerenda sunt, quin & notiones omnis generis opportunè instillandæ, quæ altius impressæ, & dum radices agunt, memoriæ sinibus delitescentes, in maximos postea fructus erumpent, Parentum Vota, ac Patriæ spem abundè cumulaturæ.

Dum autem sanctissimæ nostræ Religionis arcana contemplatur Xaverius, unique cognoscendo Deo vacat in Theologia, ejus sese amore sensit inflammari, ut mundo, caducisque mortalium honoribus nuntium remittens, ipsum unum in Societate Jesu sequeretur: & quas a natura ingenii, excelsæque mentis dotes acceperat, eas Dei obsequio, & cæterorum etiam utilitati totas conse-

cra-

craret. Facta igitur a Patre copia, atque inter Socios, maximo omnium plausu (universæ præsertim Provinciæ Præsidis, qui eo Alumno gloriabatur) receptus, Tirocinium ingressus est XIV. Kal. April. anno MDCCXLVII. Illi Religiosæ Militiæ adscriptus, qui innocentissimis moribus ab optima indole, piaque educatione dudum imbibitis, omnibus semper præluxerat, facilè dictu est, quo animi ardore in ea Sanctitatis Schola ad percurrendam perfectionis semitam incubuerit. Modæstiæ scilicet, obedientiæ, demissionis altissimæ, quæ reliquum vitæ tempus in eo enituit, sui contemtus, legum vel minimarum exactissimæ observantiæ, virtutumque quibus Deo gratus, cæterisque acceptus redderetur, cultor eximius illico apparuit: adeo ut vix tribus ab ingressu elapsis mensibus, Tironibus præfici meruerit, quo ipsis exemplo pariter, ac voce in piis illius vitæ obeundis exercitationibus præiret. Quidquid autem ab iis supererat temporis Ecclesiasticæ historiæ, Sanctorumque Vitis legendis insumebat: quo in genere incredibile planè est, quot volumina illa, ut ita dicam juvenilis legendi aviditas, devoraverit. Franciscum Salesium, quem in deliciis semper habuit, Ludovicos Granatensem, ac Pontanum, Albarum de Pace, Nierembergium, innumeras illustrium Virorum historias ita percurrit, ut & fovendæ pietati, & amplissimæ eruditioni, vel dum aliud ageret, comparandæ, plurimum jam tum inservirent; Joannis Bermansii vita a Virgilio Cepario italicè edita in manus incidit; id unum Alegrio satis fuit, ut dum candidissimos Belgæ adolescentis mores, singularesque virtutes

tes in sese exprimere pro viribus enititur, italicam etiam linguam, nullo alio auxilio, nisi ingenita mentis vi, ac felici velocitate, comparando cum hispanis, ac latinis italica percalleret. Sed & Hebraicæ, Græcæque linguæ non nihil etiam in ipso Tirocinio cursim delibavit: cum enim Sacrorum Bibliorum exemplar, quod sibi obtigerat, quodque identidem cum fructu evolvebat, utriusque illius linguæ notis, ad earum voces probe intelligendas, instructum esset, eas Alegrius sedulo contemplari, in commentarios referre, tenacissimæque consignare memoriæ vel ex eo tempore aggressus est, feliciterque obtinuit, majorem deinceps earum linguarum cognitionem, ætate procedente, assecuturus. Linguam etiam Mexicanam ita addidicit, ut ad confertam Indorum multitudinem publicè pro suggestu dixerit.

His interim cognitionibus auctus, tum & earum virtutum, quæ se addecerent, viatico in Tirocinio instructus, & expleto jam biennio, magno spiritus ardore consuetis sese votis Societ. obstrinxit, atque ad humaniorum literarum studium in ejusdem Collegii Seminario translatus est. Præceptorem nactus est, qui & ipse in eo genere valeret plurimum, tum & suavissima juvenis indole, amabili virtute, inexhaustoque amplioris culturæ desiderio captus, avidissimæ illius legendi cupiditati fræna laxavit. Latinæ igitur Antiquitatis Scriptores Principes diu, noctuque Alegrius evolvere, eos semel, iterum, ac tertio percurrere, alia, atque alia vorare volumina, neque impatientem legendi ardorem unquam explere. Miram inde loquendi facilitatem ita assecutus

est,

est, ut seu ligata, seu soluta oratione quid componeret non suis, sed ipsismet Virgilii, aut Tullii verbis, stilo, ductu loqui videretur. Id enim vero in iis, quæ vel ea ætate elucubravit, legenti cuilibet apparebit: cujusmodi sunt *Alexandrias*, seu de Tiri ab Alexandro Macedone expugnatione, quam latino versu tunc elaboratam, castigatamque in Italia edidit. Lyrica quædam, & Georgica etiam in Americanum portentum Mariam V. de Guadalupe. Elegiæ in obitum Francisci Platæ, amabilissimi Adolescentis, immaturo fato musis erepti: postremò Homeri Batracomiomachia latinis versibus exposita, quam eo tempore inceptam, sequenti anno Mexici absolvit.

Duobus jam in eo mansuetiorum Musarum commercio exactis annis, assiduæque lectionis beneficio non vulgari eruditione dives, Mexicum missus est Grammaticam traditurus. Eam spartam ita suscepit, ut dum commissæ sibi Juventutis in literis, ac moribus institutioni invigilat, novarum acquirendarum cognitionum curam minime negligeret. Socios in eodem Collegio habuit nonnullos, delicatissimi fastidii Adolescentes, & amænæ deditos literaturæ, quorum exemplo, ac familiaritate incitatus Alegrius, studiorumque cum ipsis inita societate, optimos quosque hispanos, latinos, gallosque, (nam istam quoque linguam tum calluit) Auctores evolvere, quæ legisset in commentarios referre, acquisita lumina sibimet invicem communicare, ac nova semper acquirere procurabat. Verum assiduo hoc legendi, scribendique labore, contentione, vigiliis frangi repente viribus

bus exscreare sanguinem, in extremamque maciem propendere visus est: ita ut in proximum tabis discrimen adductus, Medicorum consilio (familiari nempe ipsis in desperatis morbis perfugio) salubrioris aeris in Patria captandi gratia, ad Urbem Veræcrucis mitti debuerit, ut dum injunctum sibi tradendæ Grammaticæ biennium expleret, prostratæ etiam consuleret valetudini. Consuluissetque porrò, si de consueto studendi ardore non nihil remittens exhaustam refici naturam permisisset: Utcumque tamen nativo cælo jam recreatus, ac viribus paulisper restitutis, ad incæptum olim sacræ Theologiæ curriculum complendum, Mexicum iterum profectus est. Quo in curriculo adeo omnibus probabatur, ut sacræ primum Scripturæ, universæ deinde Theologiæ thesibus omnium calculis crederetur destinandus: Alegrius verò, qui sciendi erat avidissimus, quantum ab Academica ostentatione, vel eo maxime tempore erat alienus, nihil hac de se omnium destinatione permotus, hoc à Præfectis exoravit suis, ut facto quamprimum periculo ejus studii Theologici, quod Angelopoli statis olim curriculis exegerat, liceret compendio facto, examen illud tandem subire, quo apud sui Ordinis homines de gradu assignando cuique decernebatur.

Hoc autem in periculo illud erat decernendum: esset ne quis ea doctrina, qua foret in qualibet Academia Catholica Theologiæ publicè profitendæ par? Ita porro se Alegrius huic periculo comparavit, ut non aliis, in his studiis, quibus res parabat, uteretur, quam Augustino, Anselmo, Thoma, Scotto, Suario, Petavio,

& id

& id genus Principibus maximis rei Theologicæ. Tribus verò integris mensibus summo studio, summa commentatione, atque his Auctoribus ita de argumentis sibi oblatis meditando, scribendo laboravit, ut sibi libellos in eam rem conficeret, & publicè jam Doctore, & publica luce dignissimos. Erant in illis non alia, nisi solida, nisi ex optimis petita fontibus, nisi copiosa, plenaque doctrina, nisi distincta luminibus, ordinata, erudita, arguta, nervosa, verbo dicam omnibus numeris absoluta. Talibus munitus commentariis (nimirum suis, digestæque à se doctrinæ) perculit Judices insolito adeo sensu mirificæ approbationis, ut quamquam singuli tenerentur sacramento secretæ per se quisque suffragationis, intelligerent universi Socii ex involuntaria, exerenteque se in oculos, & totam faciem lætitia, non communem, sed plane ingentem, & singularem gloriam oportere fuisse illam, quam eo die fuerat Alegrius illo periculo consecutus. Et fuit quidem ille ipse, qui illi periculo Moderator præfuerat, qui cum loqui potuit in arcano ad Amicum hanc ipsam sententiam familiarissimo nostri scripsit. „ Juramento equidem firmare Judices hodie possunt, non eum hominem subiisse periculum, qui profiteri Theologiam ubicumque posset; sed eum, qui ubi ubi Theologiam professus fuerit, quamcumque vel celebriorem Academiam posset illustrare. „

Studiorum igitur curriculo jam emenso, & ad sacros Ordines promotus, cum infirma semper, & ægra valetudine, in novum quotidie vitæ discrimen adduceretur, nequid Mexicanæ Provinciæ Præpositus, cui Alegrii vita,

ta, propter magnam de ipso conceptam spem; carissima erat, intentatum relinqueret, in Cubanam Insulam amandatur, ut dum in Havanensi Collegio Rhetoricen, ac Philosophiam edoceret, quod sine magna contentione posset efficere, optata etiam valetudine potiretur. Id enim verò Alegrio principium salutis fuit: Vix dum enim Urbem appulerat, magis, ac magis sese sub illo cælo confirmari sensit, amissas reciperare vires, & eum robustæ valetudinis gradum attingere, qui nulla deinceps contentione, nullo legendi, & scribendi labore, dum viveret, frangeretur. Susceptam igitur tradendæ Philosophiæ provinciam ita gessit, ut & Alumnis suis accuratissimè erudiendis, & cæteris etiam Soc. muniis obeundis vacaret. Scholam nempe quotidie frequentare, identidem in Templo de suggestu dicere, excipere confessiones, & quod supererat temporis, excolendo ingenio, novisque scientiarum divitiis comparandis impendere. Socium in eodem Collegio sortitus est P. Josephum Alañam Senem doctissimum, natione Siculum; græcis, latinisque literis eruditum, & Mathematicis etiam disciplinis insignem: qui rapidissimum Alegrii ingenium, inexplebilemque discendi conatum sæpius demiratus, eum arctissimo litterarum vinculo sibi obstringere, ad nova quotidie scientiarum lumina provehere, atque ultro currentem etiam atque etiam incitare aggressus est.

Sub eo nempe Magistro, incæpta olim linguæ græcæ rudimenta resumpsit, & quantum per alia studia, & occupationes licuit, ultra progressus, Matheseon etiam arcana penetravit: quo in genere prætereundum non est,

quod

quod doctissimus Senex veluti prodigio simile sibi cum illo contigisse, candidè postea aperuit. In implicatissimo earum scientiarum nodo expediendo hæserat quondam Alaña; qui Discipulo accersito, ut magnam de illius ingenio conceperat opinionem, rem totam exponit: quæstionis, de qua agebatur, principia antecedentiaque enumerat, neque eam tamen difficultatem expedire se ulla ratione posse, fatetur ingenue: Alegrius autem, datis positionibus maturè perpensis, nonnihilque deliberans, & ego, *inquit*, quando hæc ita se habent, facili negotio sic nodum expedirem. Obstupuit enim verò Senex, adeò promptum in Discipulo ingenii acumen, ac sese explicandi perspicuitatem, qua maximam, & quæ provecto etiam negotium facessiverat, difficultatem enodavit. Quin & artem Rethoricam, ex præceptis Tullii ab Alegrio concinnatam tanti fecit Alaña, ut eam dignam censuerit, quæ in Siciliam mitteretur, ut illis typis edita, & Siculæ juventutis institutioni, & Mexicanorum etiam ingeniis in Europa cognoscendis inserviret. Neque ii tantummodo in Havanensi Collegio progressus fuere: Anglicæ etiam linguæ gustum, ad cæteras, quibus jam olim ornatus fuerat, adjunxit opportunè: cum enim in florentissima Urbe, frequentique Europæ commercio celebri, complures ex omni Natione literati homines, cultique Negotiatores convenirent, eos suavissima Viri consuetudo, miraque eruditio ita sibi devinxit, ut & ipsis acquisita jam lumina impartiret, ab iisque vicissim, quæ sibi deesse crederet, avidissimè mutuaretur.

Septem, eoque amplius, annos maximo illius juventutis fructu, Urbisque existimatione posuerat Alegrius, cum novum repentè nobilissimo illius ingenio theatrum inopinata sors aperire visa fuit: per id nempe tempus nova in Emeritensi Jucatanorum Academia sacrorum Canonum, ac Pontificii Juris Schola sumptu publico erecta erat, (caruerat enim penitus hujusmodi schola Provincia illa) ut ad eam scientiam informati adolescentes Academiæ splendori, culturæ Urbis, totiusque Provinciæ commodo providerent. Martinus verò Puertus, Academiæ tum Rector, Vir Patritius ex primariis Provinciæ ejus familiis, qui novæ Cathedræ institutioni incubuerat, noverat ex Collegio Havanensi Alegrium, cui in eodem Collegio multis annis comes, amicus, & socius olim fuerat: cum nosset autem Alegrium ipsum eo tempore, absoluto Philosophiæ Magisterio, liberum esse, petiit ab Mexicanæ Provinciæ Præposito ad novam Cathedram eundem destinari. Annuit votis Præpositus, Alegrius ire jussus est. Hic verò nulla cunctatione primam conscendit naviculam, Jucatanosque appellit. Incredibile est qua omnium Civium exspectatione, studioque exceptus fuerit: Vix dum enim Urben attigerat, magnus illico omnium ordinum ad eum concursus fieri: illum Negotiatores, illum privati homines certatim convenire de implicatissimis, veteribus, magnique momenti litibus consulere: quin & Episcopi Vicarius, cæteraque Tribunalia ad negotia gravissima expedienda, veluti ad oraculum confugere: ad hæc in publica Schola Auditoribus præsto esse, eosque in juris

Scien-

Scientia diligenter informare: quos omnes mira hominis eruditio, doctrina, amænissimaque sermonis suavitas ita sibi demeruit, ut illum divinum hominem nobilitas; rudis verò vulgus, qui amat in omni re miracula, Virum scientia divinitus infusa extolleret; ingenii verò, memoriæque portentum & in eadem Provincia : & in aliis, ad quas Jucatani Navarchi appellebant, palam prædicabatur.

Nec verò Emeritensi Academiæ diu carissimo sibi Doctore frui concessum est : ejus enim meriti Vir non jam uni Collegio, sed toti Provinciæ Mexicanæ debebatur : cujus historia olim incæpta, ac dudum intermissa acris, ac maturi judicii scriptorem, omnigena eruditione instructum, magna styli facilitate, concinnitateque ex immensa antiquorum, recentiorumque etiam lectione, tum & assiduo scribendi excercitio confirmatum, verbo dixerim, Alegrium expetebat. Ad id igitur muneris destinatus, magno omnium dolore Emeritensibus vale dicto, navem conscendit, Mexicanumque Divi Ildefonsi Regale Seminarium pervenit, in quo omni alia solutus cogitatione, rem sibi impositam aggrederetur. Dum id exequitur, Auctorem nescio quem, sibi apprimè necessarium consulturus, librariam tabernam ingressus est : Bibliopola autem, apud quem complura selecta, magnorumque voluminum in omnes scientias distributa opera prostarent, modo hoc, modo illud exhibebat Alegrio. Ut eorum quodque ille sumebat in manus deque Auctoris merito, quo in pretio esset habendus, deque totius operis argumento disserebat : Quod cum semel, iterum, ac pluries fecisset, stupefactus Bibliopola (tum primum ho-

hominem viderat) Næ tu, inquit, ita vivam, Alegrius es: neque enim alius ex iis, quæ de ipso audivi, extensam adeo maximorum operum, atque Auctorum cognitionem habere posset.

Quid etiam simile, ut id obiter attingamus aliquot annis post, Alegrio in Italia contingit: cum enim Fani, valetudinis causa menses aliquot moraretur, ex nobilibusque illius Urbis Viris unus, & ipse literarum eximius cultor, quæ de hominis doctrina, vastissimaque eruditione sæpius audierat, vix imperare sibi posset ut crederet, per sese ipse ejus famæ periculum facere constituit. Alegrium igitur perhumaniter domum invitat, ad instructissimam, selectaque Auctorum supellectili ornatam bibliothecam suam perducit: nunc hæc, nunc illa, rara, ut ille existimabat, volumina ostendit, cujus essent meriti Auctores, quod eorum argumentum quasi consulturus interrogat. Alegrius autem omnes eos Auctores Mexici olim & vidisse, & sæpius percurrisse, de eorum unoquoque prolixa reddita ratione, patefecit. Quin & rariora alia, exquisitique pretii opera, quæ & in ea, & in aliis pluribus Italiæ Bibliothecis plane desiderarentur, Mexici inveniri, eaque identidem evolvisse similiter edocuit. Nesciebat sanè humanissimus Eques utrum potius admiraretur: immensam ne in homine extero, ut ex dictis evincebat, lectionem, an quod in America pretiosa ea, solique Italiæ, ut autumabat, concessa, immo alia plura quam in Italia volumina aliquot jam ante annis reperirentur? Errore sanè multis in Europa insito, nec literatis hominibus ignoscendo,

qui

qui cum Americanis immensos auri, atque argenti thesauros , divitiasque amplissimas concesserint , præclare cum illis actum esse credunt: literarum verò amorem , ac reconditarum scientiarum culturam apud barbaras , ut appellant , gentes inveniri posse , nimis liberaliter inficiantur : quam rectè hi sentiant, penes æquos rerum æstimatores judicium sit, quibus viginti his annis complures ex his, si superis , placet, barbaros tractare datum est , eorumque in omni scientiarum genere opera contemplari, quibus clarissimi Abadius, Clavigerus, Nosterque etiam, tres ipsi Mexicani, ut de vivis taceam , in græcis literis, ac latinis, historia , Philosophia, Theologia, atque in omni optimarum artium studio, magnum sibi apud eruditos Italos, atque ultra etiam nomen pepererunt. Verum e brevi hoc diverticulo, Mexicano ut arbitror, condonando, ad Alegrium revertamur.

Eo contexendæ historiæ labore , qui alium quemlibet penitus absorberet , minimè contentus , aliorum etiam culturæ, optimæque institutioni sedulus invigilabat . In eodem Divi Ildefonsi Regali Seminario complures primarii, emeritique adolescentes versabantur, qui & naturalium, & sublimiorum etiam Theologiæ, jurisque scientiarum curriculo laudabiliter emenso, atque ejusdem Regiæ Mexicanæ Academiæ infulis jam ornati, dum studiorum suorum præmium stabili aliquo gradu collocati assequerentur , magno tenerioris juventutis exemplo , florentissimique illius Collegii splendore ibidem exspectabant . Hos igitur, cum maturiore jam ob ætatem judicio , summoque discendi ardore inflammatos videret Alegrius , hu-



humaniorum literarum, atque eruditi etiam Matheseon pulveris privata Academia instituta, excolendos suscepit, eo succesu, ut ad exquisitam deinde latinitatem informati, & in Oratoria, & in Poesi feliciter exercerentur. Et sanè complura ex hac Alegriana Academia opuscula prodiere, quæ in lucem sparsa, & Præceptori, & Discipulis singularem ubique gloriam reportarunt. Interea tamen commisso sibi operi indefessus vacabat, vixque tribus elapsis annis, perfectam illius Provinciæ Historiam duobus magnis voluminibus comprehensam consignavit: jamque de ipsa nitidissimis ejusdem Seminarii typis evulganda instanter agebatur, cum inopinata Mexicanis omnibus indicta profectione tot vigiliarum, ac laborum suorum fructum in MSS. relinquere, atque in Italiam navigare coactus est. Nec vero exigua Alegrii laus reputari debet, quod cum historiam, omniaque ad eam contexendam monumenta Mexici reliquisset, aliquot annos post, Amicorum precibus exoratus, in Bononiensi otio illam in compendium redegit; cunctis jùremeritò admirantibus, non eventus solum, resque gestas, sed tempora etiam, minutissimaque adjuncta, nullo alio, nisi stupendæ memoriæ auxilio majori ex parte retinuisse.

Sociorum igitur sortem, Deumque ad alterius inde ordinis labores vocantem mira alacritate secutus, viæ se commisit, ut Navi in Patria conscensa, Familiæque suæ extremum valedicto, tenderet in Italiam: qua in navigatione non semel navium Rectoribus, cæterisque in eadem navi degentibus saluti fuit, atque adiumento:

quam



quam enim a Puero, ut vidimus, acus nauticæ hauserat cognitionem, ætate procedente cum Mathesi vacaret, perficiens, turbato sæpe mari utilem sibi expertus est, dum & ubi essent, & quo etiam cursum sine periculo dirigerent, dissimulanter Gubernatori suggerebat. Italiam demum post varios casus appulsus, primum ad Sancti Petri Castrum in Bononiensibus, postremo Bononiæ constitit, qua in urbe reliquos ferè viginti annos, & sua, & aliorum etiam maxima posuit utilitate: quæ enim otia sibi fecerat Deus, animo virtutibus excolendo, novisque semper cognitionibus ditandæ menti, consecravit. Nihil igitur Alegrio antiquius, nihil potius, quam ut primis actuosæ vitæ curis absolutus, totum Deo sese intima familiaritate conjungeret. Incruentum proinde Missæ sacrificium pietate summa, supremique Numinis Majestate plenus peragere, injunctas Sacerdotibus diurnas preces, flexis plerumque genibus persolvere; Dei Genitricem Virginem, veluti amantissimam Matrem tenerrimo cultu, omnique obsequiorum genere sibi demereri, ac reliquarum etiam virtutum usu in Christianam perfectionem incumbere. Tum, quo Mexicanam juventutem, quæ studia jam peregerat, ab inutili, ac periculoso semper otio diligenter revocaret, amæniores, ac maximè utiles instillare cogitationes, optimarum artium, Geometriæ, Græcæque linguæ amorem infundere: ex eaque nonnullos, qui in id propendere videbantur, iis omnibus instituere; non minore contentione, quam floridæ illius juventutis fructu suscepit. [illegible]

Nec propterea iis implicatus curis, varia selectaque Opu-

Opuscula Vir temporis avidissimus neglexit. Boelavii nempe Artem Poeticam e Gallico versu in Hispanum transtulit, opportunisque annotationibus ad Patriam Poesim accommodatis locupletavit. Elementorum Geometricorum libros XIV., Sectionumque Conicarum IV. ad Alumnorum, quos instituebat, utilitatem per id etiam tempus conscripsit: tum & Tractatum de Gnomonica; nam de Mathematicorum Instrumentorum fabrica, & usu jam inde ab America in compendium ex Bione, & Stornio redegerat. Alvarum Cienfuegos de vita abscondita ad Scholarum methodum in compendium etiam redegit: postremò Rosaliæ pænitentis lacrimas elegiaco versu tribus voluminibus comprehensas. Præcipuum tamen ex iis, quæ primis Bononiensis otii annis opusculis Alegrius scripsit Homerilias est: eam siquidem e græco fonte latinitate donatam, suavissimoque, ac planè Virgiliano versu redditam, Forolivii primum, neque integram, Bononiæ deinceps perfectam simul cum Alexandriade protulit in lucem, nec mediocrem eruditorum plausum reportavit: eam siquidem Romana, eam Parisiensia Bullonii Acta in dies digesta celebrarunt. Illud vel maximè ejus operis commendationi argumentum sit, novissimè Romanis prælis excusum esse, paucisque post Alegrii obitum diebus divulgatum.

Hæc tamen aliaque minoris momenti opuscula, quæ prætermittimus, Alegrio lusus, ac severioris studii oblectamenta fuere: Deo siquidem totus intentus, atque infinitis illius perfectionibus, quantum homini fas est, contemplandis addictus, majus sanè opus, atque excel-

sa

sa illa mente dignum jam dudum meditabatur: solitus nempe dicere linguarum notitiam, atque amæniorum facultatum studia, juventutem; rerum verò divinarum cognitionem, quæ homine ad æterna nato, vel sola digna sunt, maturam in primis ætatem addecere. Hac igitur cogitatione plenus postremis decem, & octo vitæ suæ annis Theologiam scribere aggressus est; in qua, repurgata Scholarum methodo, inutilibusque, ac salebrosis, quæ in eam, præcedentium sæculorum vitio, irrepserant, quæstionibus extrusis, e sacra præsertim Pagina, Patribus, & Conciliis, præcipuis nimirum sanæ Theologiæ fontibus, omnia Fidei nostræ dogmata, & quæ ad Summam Numinis Majestatem cognoscendam, atque amandam conducerent, facili methodo, complecteretur. Et verò Latinorum, Græcorumque Patrum studium non cæca lectione, sed arte instituit, qua in rem hanc cum facilitate quadam posset incumbere. Ab annis enim plus triginta, ex aureo Natalis Argonensis opere, de optima legendorum Ecclesiæ Patrum methodo diligentissime sese in ea studia comparaverat; postque longo D. Thomæ usu (cujus Theologia flos delibatissimus Patrum certe quidem est) innumeras ex iis divitias cumulavit: facilitatem vero evolvendorum Patrum, eam acquisivit, qua feliciter posset & ea loca, quæ sibi opus essent invenire, & eos Patres consulere, quos pro re quaque, quove in eorundem opere maximè consuli interesset. Ita homo studiis quibusque intentus, & hæc sacra, & ea quæ diversi generis protulit, potuit singula (miraculo ingenii, sed artis etiam miraculo) elucubra-

brare. Adeo in modo, & recta ratione discendi insistere multum est! Tantumque valet optimis Ducibus, selectissimis nimirum Auctoribus, tempestive ab initio studia direxisse. Inter Patres verò Augustinum præsertim, & Thomam, duo quidem magna Ecclesiæ lumina, tenera quadam, ac singulari pietate prosequebatur: cum & divinum eorum ingenium, & in nostræ Religionis mysteriis tenendis docilitatem, atque ut ille ajebat, Puerorum simplicitatem admiraretur. Id in familiari etiam sermone præseferebat, cùm pulcriora illorum fragmenta, quibus ardentissimo in Deum suum amore ferebantur, identidem usurpabat. Huic igitur dignissimo operi accintus, immensaque eorum, quæ nuper diximus, eruditione dives, totus in Theologiam scribendam incubuit: eamque tribus ut ajunt *Prolegomenis* doctissimis præviis in duodeviginti libros partitam, atque eleganti stylo concinnatam perficiebat, cum magno Reipublicæ literariæ detrimento, atque Amicorum dolore, vir immortalitate dignissimus læthali morbo correptus est.

Et quidem postea quam in Havanensi Collegio, e præsenti illo tabis discrimine feliciter, ut vidimus, emersit, prospera semper, quin & robusta etiam valetudine usus fuerat; verum tot laboribus, indefessaque legendi, ac scribendi contentione, quin vel minimum de studio relaxaret, attrita natura succubuit tandem, ac præter alia, nec levia sane incommoda, quibus sub vitæ finem obnoxius fuit, anno ante obitum violentissima oppetitus Apoplexia in mortis, ac vitæ confinio dies aliquot versatus, sensibus tandem, ac viribus restitutis, convalesce-

scere visus est: convaluissetque omnino, atque amabilissimo Alegrio frueremur etiamnum, si recenti edoctus periculo, debita sibi solertia in tanti momenti re, cautius ille consuluisset. Verumtamen seu vitæ hujus contemtu, æternæque, quam anhelabat desiderio, seu quod id generis morbus torpore sensuum, omnem etiam ulterioris assultus suspicionem adimeret, nec Medicorum consilio, neque iteratis Amicorum precibus, id etiam, atque etiam obtestantium, unquam evinci passus est, ut quæ ad eum in posterum avertendum consulebantur, opportunè exsequeretur: sanum sese ac benevalentem dictitabat, nec tanti esse hominis vitam, ut cum nullo afficiaris dolore segni quodam, ac misero vivendi desiderio, malo ipso pejoribus remediis velis subjacere. Hac nempe cogitatione nihil admodum solicitus, ac pristinæ, ut arbitrabatur, valetudini restitutus, ad incæptum opus perficiendum mente vegeta totus incubuit; cum idibus Juniis valentiore ejusdem mortis ictu perculsus, spem omnem tot nominibus cari capitis recuperandi Amicis mærentibus ademit. Supremis igitur Ecclesiæ Sacramentis, cum per morbum licuit munitus, duos adhuc quibus superstes fuit, menses, defectu virium, insolita corporis inertia, oculorumque vigore nonnihil extincto latentem hostem, atque in sui perniciem armatum præseferebat. Cum sola proinde mente valeret, tenerrimis in Deum suum affectibus unicè pascebatur: e Sacra nempe Pagina, quam memoria tenebat depromptis verbis, *Psalmos* instar Davidicorum pangebat interdum ardorem, ac pietatem spirantes, quibus sanctissima

no-

nostræ Religionis Mysteria, Deique Hominis vitam prosequebatur; quos utinam nobis scriptos reliquisset, ardentissimi amoris, profundæque Religionis suæ illustre monumentum. Die denique decima sexta Augusti, cum mensæ accumberet, fatali morbo tertium correptus, neque ullum e Medicina expertus auxilium, hora post occasum solis extinctus est, annos natus LVIII., menses IX., dies IV. humanæ salutis MDCCLXXXVIII. Postero die Bononiam delatus (rus enim prope ab Urbe salubrioris cæli spirandi gratia cum Amicis secesserat) ad S. Blasii honorifico funere positus exspectat immortalitatem.

Quam in Alegrio jacturam fecissent Mexicani, ejus audita morte, communis illorum dolor satis expressit: & verò justè hominem æstimantibus, liquet eum fuisse omnium, & amore, & dolore dignissimum. Optimam a natura sortitus indolem, optima etiam educatione a Parentibus imbutus, candore morum, suavitate sermònis, vultus modestia, ditissimaque, cum provocaretur, eruditione, omnes sibi demerebat: etsi ab hominum commercio remotam, ut Literatorum ferè semper est, vitam instituisset, tamen Mexici, Emeritæ, Havanæ in America, Bononiæ, Fani in Italia, ubicumque moraretur, a pluribus primariis Viris expetitus, atque honorifice exceptus, famæ exspectationem, celebritatemque admiratione superavit. In familiari consuetudine affabilis, nemini unquam gravis, cunctis officiosus, verborumque parcissimus: nec quantus esset vir, nisi illum semel, atque iterum sincero discendi studio lacessisses facilè

agno-

agnosceres. Altissima insuper demissione, suique contemtu de se semper humiliter sentiebat; mirabaturque esse aliquem, qui cum severiora, solaque homine digna studia sectaretur, posset extolli: Nihil altum, nihil magnum, nisi Deus, aut quod de Deo est cum Kempio frequenter usurpabat. Summa in Deum pietate, profunda Religione, atque in sublimioribus Fidei nostræ Mysteriis tenendis, adorandisque firma docilitate, tot infelicium insolentiam deplorabat, immo irridebat, qui Augustissima Catholicæ Religionis dogmata ad stultæ Philosophiæ trutinam audacissime revocantes, ignorationem suam, ac cæcitatem fatebantur. Quid autem, ajebat ille, quid si debilem humanæ mentis captum ea superent? Dum mihi locutum fuisse Deum constet, ecquid de cæteris dubitabo! Locutum autem Deum certissimis argumentis confirmo: quid si non intelligam mysteria? Neque porro venerandam illorum obscuritatem penetrare, neque in ea curiosius inquirere sapientis est; sed Deo O. M. loquenti docilem se præbere; majorem illum, quam ut hominis vires suppetant, reverenter agnoscere: id sanè dum efficio, supremamque Numinis Majestatem, in eis arcanis latentem cum simplici vulgo agnosco, ac profiteor, superbis Philosophis multo me sapientiorem exhibebo. Quid hac cogitandi ratione sublimius? Quid ad nonnullorum intolerabilem audaciam retundendam accommodatius? Nimirum hoc vel maxime sublimis ingenii, excelsæque mentis, quod de Augustino, & Thoma nuper innuimus, certissimum est argumentum.

Ad literatum hominem quod attinet, ingenio fuit prom-

pto,

pto, perspicuo, rapidissimo, & ad omne scientiarum genus, ut ex illius operibus liquet, idoneo: summa sese insuper explicandi felicitate; memoria vero tanta, ut quæ semel legisset (legebat autem celeritate incredibili) mordicus, & usque ad portentum retineret: quæ profecto dotes hominem mentis in immensum protensæ, atque exquisitissimi gustus effecere. In scribendo, uti etiam in Concionibus, quarum tria reliquit volumina, dicendi genus secutus est floridum, æquabile, & temperatum, seu indolis suavitati magis opportunum, seu vehementiora displicerent: cæteroqui in iis quæ in Latinum, seu in Hispanum transtulit, ut quædam Horatii Lyrica, Satyrasquè nonnullas, totam originis sublimitatem, vehementiamque mirifice servavit. His demum & a natura, & ab arte instructum dotibus merito lugent Mexicani immatura morte abreptum, & extinctum magnum ingenii lumen, atque inter præcipua Patriæ Decora, ac ornamenta numerandum. Hispanum novi hominem, & ipsum magni nominis Virum, clarissimisque editis operibus insignem, qui se felicem appellabat, quod inopinato rerum ordine in Italiam delatus, Alegrium cognovisset; eaque de causa quos ad eam usque diem sustinuisset labores, sibi gratulabatur: tantam de hominis ingenio conceperat opinionem. Præter ea opera, quæ in superioribus sparsim enumeravimus inter ejus MSS. Mexici reliquit Alegrius: Bibliothecam criticam in sex volumina distributam, in qua de linguis, de Grammatica, Rhetorice, Poesi, Dialectica, & Historia disserebat. Miscellanea poetica, & oratoria, volumina duo: Annotationes

nes

nes in Epitomen Azevedi de Legibus Castellæ, volumen unum. In Decretalium libros, volumen unum. In his porro tot, adeoque diversi generis elucubrandis operibus, illud prætereundum minimè est, eum nullius unquam usum auxilio, neque ad innumeros quos consulere opus erat evolvendos Auctores, neque ad res, mente jam digestas, ordinatasque chartis consignandas: quin & quæ scripsisset vix maculosa, spongiave cerneres interlinenda: primo siquidem calami ductu perfecta ferè, elimataque prodibant. Fuit demum Alegrius statura justa, corpore non exili, naso subadunco, fuscis oculis, & capillis, aquilina facie, amabilemque majestatem præseferente: totus denique homo ita conformatus, ut nullum in eo esset vitium, quod reprehenderes. Valetudine, exacto illo primo Adolescientiæ periculo, prospera semper, & quæ indefesso studendi labori diutius resisteret, usus est: atque utinam aliquem, sub vitæ maximè finem, in ea studii contentione tenuisset modum, prostratisque viribus consuluisset tantisper: nec dignissimum Mexicana Gens Civem, neque hominem ad scientias summo ingenio illustrandas natum literaria Republica immaturo fato amisisset.

NOI

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. *Fr. Gio: Tommaso Mascheroni* Inquisitor General del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato *Francisci Xaverii Alegrii Presbyteri Veracrucensis Lib. XVIII., in quibus omnia Catholicæ Ecclesiæ dogmata, præcepta, sacramenta, ritus adversus Paganos, Hæreticos, & recentiores Philosophos asseruntur, & explicantur. Tomus Primus. MS.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e Buoni Costumi, concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator *di Venezia* che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 30. Aprile 1789.

(Piero Barbarigo Rif.

(Girolamo Ascanio Giustinian Kav. Rif.

(Francesco Pesaro Kav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a Carte 288. al Num. 2699.

Marcantonio Sanfermo Seg.

IN LIBROS THEOLOGICARUM INSTITUTIONUM

PRÆFATIO.

Theologia est rerum ad æternam salutem credendarum, aut agendarum doctrina. Quidquid ergo sine salutis discrimine asseri, aut negari, fieri, aut omitti potest, ad Theologicam considerationem non pertinet. Theologia igitur est scientia Religionis. Religio autem circa Dei venerationem, cultumque versatur. Coli autem Deus non potest, nisi de Eo digne sentiamus, & ejus præceptis obtemperemus. Quid autem Deus sit, quid a nobis velit, nisi Eo revelante, scire non possumus. Tam ergo fides de credendis, quam scientia de agendis revelationi innititur. Theologia igitur rerum revelatarum scientia est. Porro quin Deo loquenti credendum sit, & Deo jubenti obsecundandum, nemo unquam sanus dubitavit. An vero Deus loquutus sit, an aliquid jusserit, id enim vero non ex principiis Theologicis, sed alio argumentorum genere probandum est. Fides enim supponit revelantem Deum, sicut revelatio supponit Deum existentem. Deum igitur esse, Deum loquutum esse inter credenda numerantur, non quia de iis sit fides apud omnes, sed quia præexiguntur ad ea, quæ sunt fidei, & quia oportet ea saltem per fidem præsupponi ab his, qui eorum demonstrationem, aut certam cognitionem non habent. Hoc igitur priorum quatuor librorum argumentum erit, ut Deum esse, optimum quid esse, loquutum esse statuamus, sive de Deo, & Verbo Dei fune scripto, & non scripto. Deinde de rebus a Deo revelatis, de quibus proprie fides est, sermo instituetur. Expositio autem rerum revelatarum est in multiplici differentia. Aliud est enim scire quid credendum sit, aliud scire quemadmodum hoc ipsum quod creditur, & piis auribus opituletur, & contra impios defendatur, quod pulchre, ac sapienter ab Augustino dictum est. Simplex ergo, ac dilucida expositio eorum, quæ omnes credere, & observare tenentur spectat ad Theologiam Catechisticam; per quam rudium, & insipientium opitulamur auribus, dum eis, tanquam parvulis in Christo lac potus datur, non solidus cibus. Piis autem proficientium auribus in rerum Theologicarum tractatione opitulamur modis multis. Primo quidem per sacrorum Librorum expositionem, ex qua piæ animæ, & præcepta vitæ, & morum exempla,

& di-

& divinæ virtutis, ac ſapientiæ ſumunt argumenta. Et hæc quidem divinorum librorum expoſitio, aut mere doctrinalis eſt, ac διδασκαλικη, ut in ſacris Lectionibus fieri ſolet, & hoc pertinet ad divini verbi Interpretes, vel Exhortatoria, & παραινετικη, uti fit in ſacris ad populum alloquutionibus. Utraque autem ad Theologiam ſpectat, quam Expoſitivam appellamus. Non ergo ad Expoſitorem pertinet Sacrorum librorum authoritatem probare, authorem, ſi latet, quærere, & hujuſmodi multa, quæ apud recentiores ſunt in uſu majore humanæ eruditionis, quam divinæ doctrinæ copia; ſed his ſuppoſitis, quorum inveſtigatio ad aliam Theologiæ ſpeciem, aliaſque diſciplinas ſpectat, ſuarum partium erit, obſcura verba exponere per linguarum peritiam, ſenſus explanare, quæ ibidem latent, aut fidei arcana, aut vitæ præcepta eruere, ſibi in ſpeciem adverſantia loca conciliare, & componere. Neque Phyſicæ, Geographiæ, aut Chronologiæ magnus faciendus eſt uſus, niſi quum Scripturarum loca, ſine locorum, temporumve notitia explicari non poſſunt, quod in Libris Hiſtoricis regum præcipue, & Machabæorum accidit. De cætero quid intereſt an Epiſtola ad Philemonem hoc, aut illo anno ſcripta fuerit? An Melita, ad quam naufragium paſſus eſt Paulus, in Adriatico, an in Africano mari ſita ſit? An Epiſtola ad Hebræos Romæ, an Corinthi ſcripta fuerit? Non quidem quod piorum hominum, ac divinarum litterararum ſtudioſorum in his inquirendis, & enucleandis conatum, & laborem reprehendamus. Abſit. Laudamus potius, atque eorum lucubrationibus proficimus, uti eorum, qui de Gemmis, de Animalibus, de Plantis, de menſuris, & ponderibus, & Hebræorum Republica, de moribus, de veſtibus, de Muſica, & ſimilibus magna cum laude ſcripſerunt; ſed aliud eſt Chronologum, Geographum, aut Phyſicum ſacrum agere, aliud divini Verbi Expoſitorem, ac Theologum.

Opitulatur item piis auribus Theologia per officiorum humanæ vitæ expoſitionem, divinorum præceptorum explicationem, virtutum, ac vitiorum definitionem, diviſionem &c. Et hæc quidem vel mere doctrinaliter, ac διδασκαλικῶς fieri poteſt, ut in Ethicis ſcriptionibus, & lectionibus Moralibus, vel etiam παραινετικῶς ſive cum ſuaſione ad virtutis proſequutionem; & vitii fugam, ut in ſacris concionibus, & utrumque ad eam Theologiæ partem ſpectat, quæ mores hominum ſecundum rationem, ac divinam legem formandos ſibi, ac dirigendos ſuſcipit. Unde Moralis Theologiæ nomen ſortitur. Quoniam vero præter naturalis rationis lumen, cui jus naturæ innititur, & mandatum Dei, in quo fundatur jus divinum, alia ſunt multa humanis legibus prohibita, aut præcepta, ad quorum obſervationem ipſa humanæ ſocietatis, & propriæ, communiſque utilitatis neceſſita-

te

te constringimur, hinc sacræ morum disciplinæ subsidia sunt Ethica, de qua tam multa egregiè Aristoteles, Tullius, Plutarchus, Seneca, atque alii Philosophorum scripserunt, tum etiam juris utriusque humani positivi, nimirum Ecclesiastici, & Civilis, cui etiam Municipale, aut Patrium adnectitur, notitia, quibus externis hominum actionibus, ac negotiis forma præscribitur. Hinc præter divisiones gratiarum, quarum solus Deus author est, ac distributor, etiam divisiones operationum, & divisiones ministrationum recensuit Paulus in 1. ad Corinthios (*cap. 12.*,) quæ ex hominum voluntate, ac positivo jure descendunt, ab eoque valorem, firmitatem, & solemnitatem accipiunt. Distinguet igitur Theologus quid ab Naturæ, quid ab Gentium, quid ab divino, quid ab humano, quid ab Ecclesiastico, quid ab Civili jure descendat. Nam Legisperitum, quod est apud Ambrosium, in omnibus oportet esse perfectum; sed non ille propterea Ethicam ab revelatione, ac religione sejunctam, quod Pufendorfius voluit, tradere se posse confidat, aut conetur. Nam sicut sensum ratio, ita rationem perficit religio, & hæc tria in humanis actionibus, ita sibi connexa, & copulata sunt; ut separatim tractari, vix, aut nevix possint. Sed de hoc alibi. (*in praef. ad lib. 8.*)

Piis quoque auribus opitulatur Theologiæ genus illud, quod fidei doctrina præsupposita, singulos fidei articulos explicandos, ac dilucidandos sibi assumit per aptas rerum, ac verborum definitiones, per exactas divisiones, per Dialecticas, & subtiliores quæstiones, & argumentationes. Et hæc dicitur Theologia Scholastica, quoniam in Scholis Catholicorum, non ad probanda fidei dogmata, quæ firmissimè, & simplicissimè creduntur, sed magis ad Ecclesiasticæ juventutis eruditionem, & in rebus divinis exercitationem, atque ad animarum verbum Dei amantium solatium tradi consuevit. Irrident quidem hanc Theologiæ partem Erasmus, & Vives, eamque oderunt, ac detestantur Recentiores ex Gallia, & Anglia Philosophi Hobbesius, Collinius, Russoius, Volterius, Mirabaudius, imo Catholici alioqui, & eruditi viri, in quo Sannionum potius, quam Philosophorum, aut Theologorum veram indolem, atque ingenium demonstrant, neque veram se Scholasticæ hujus Theologiæ rationem, atque originem novisse ostendunt. Non enim ad Scholasticum Theologum spectat fidei veritates argumentis adstruere, quod in iis articulis, & illis in locis, ubi nulla est Paganorum, aut Hæreticorum oppugnatio, non inutile duntaxat, verum etiam periculosum, ac perniciosum esset; sed fide præsupposita, singulos articulos explicare; inde natas quæstiones, ac dubia dissolvendo. Enascuntur autem hujusmodi quæstiones vel ex ipsa rerum obscuritate, vel ex antiquorum Hæreticorum cavillis, & captiosis argumentationibus, quas bonus fidei

 expli-

explicator prætermittere ſine diſcuſſione non poteſt. Didicimus enim ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ novas, & proprias quæſtiones, contra quas diligentius defenderetur doctrina fidei, quam si nulla talis neceſſitas cogeret .... Multa quippe ad fidem Catholicam ſpectantia, dum Hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adverſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & prædicantur inſtantius, & ab adverſario mota quæſtio diſcendi exiſtit occaſio .... Sacramenta enim, quæ in fidei doctrina latent, nemo diſcuteret ſimpliciore fide contentus, & ideo nemo inveniret, ut ipſa doctus experientia ſcripſit Auguſtinus ... Quum igitur graviora fuere hoſtium certamina, tunc ſunt profecto ſubtiliorum ſenſuum ſpicula requiſita, tunc argumentorum obſtacula, tunc perplexior indago verborum, quod eſt apud Gregorium. Nam quænam fuiſſent quæſtiones illæ: Utrum aliquid præter Deum, æternum, aut ab æterno eſſe poſſit, niſi Hermogenes materiam Deo coævam ſtatuiſſet, niſi Arius Verbum Dei, ab Deo diſtinxiſſet? Quis in quæſtionem vocaſſet an virtus creandi, creaturæ poſſit eſſe communis, niſi Platonici creationem rerum intelligentiæ primæ a Deo diſtinctæ tribuiſſent? Quis quæreret cur Proceſſio Verbi ſit generatio, non autem proceſſio Spiritus Sancti, niſi Arius, atque Eunomius eam nobis difficultatem objeciſſent? Utrum ſi Spiritus Sanctus non procederet a filio, ab eo diſtingueretur, unde nata quæſtio eſt, niſi de Græcorum errore circa Spiritus Sancti proceſſionem? Quæſtiones de authoritate, & Primatu Romani Pontificis non ne omnes ortæ poſt Photianum Schiſma? De peccato originali diſputatum erat ante Pelagium? Quis eas, quæ de Verbi Incarnatione ſunt multæ, & graves quæſtiones invexit, niſi Photinus, Apollinaris, Eutyches, Neſtorius? De gratiæ quæſtionibus multis, ac difficillimis quis anſam præbuit, niſi Pelagius, Maſſilienſes, Lutherus, Calvinus?

Sunt enim vero aliæ quæſtiones, quas non ſola Hæreticorum cavillatio peperit, ſed ipſa rerum gignit obſcuritas, & veritatum revelatarum ſibi primore veluti fronte pugnantium perplexio. Exempli gratia: Quid poſſit naturæ divinæ unitas cum Perſonarum Trinitate componi? Quid mali permiſſio cum Dei providentia, ſanctitate, juſtitia, omnipotentia? Quomodo Dei libertas cum ipſius immutabilitate æterna? Quomodo ſcientia, prædeſtinatio, aut efficacia Gratiæ, immo quæcumque Dei in nobis operatio cum humana libertate? Utrum Prædeſtinatio ante fiat, vel poſt prævila merita? In diverſas abeunt Chriſtiani Theologi ſententias. Una quæque ſuos ſectatores habet, ac Patronos. Nemo ſuam poteſt ſine alterius everſione defendere. Fuerunt ergo, ſunt, eruntque ſemper ſubtiliores, & Scholaſticæ controverſiæ circa veritates vel revelatas, vel per ſcientiam, aut

expe-

experientiam aliunde cognitas, ac demonstratas. Vim cornipetam, Magneticam, Elasticam omnes norunt, ejus tamen physice explicandæ, quot sunt sententiæ? Non ergo contentiosa illa, & subtilis investigatio, quæ jam pœne sola Scholas occupavit, aliquot ab hinc sæculis orta est, mi Petavi: fuit ab exordio mundi, eritque semper in Physicis, in Theologicis, in Moralibus, in Politicis, in Geometricis, in omnibus denique in quibus, juxta humanæ mentis conditionem, non uno principio posito statim omnes, quæ ex eo derivari possunt, veritates eliciuntur; Quot Philosophorum Sectæ, & Scholæ apud Græcos? Quot Jurisprudentium Sectæ, & Scholæ apud Romanos? Quot divinæ Legis Interpretum Sectæ, & Scholæ apud Hebræos? Ergone Philosophia, Jurisprudentia, & Rabbinica Theologia laudabitur Scholastica, Christianorum Scholastica Theologia damnabitur, contemnetur, expuetur? Nam quid mali habet, imo quid non necessarium, non habet laudabile, scholarum in eadem fide consentientium, & eandem fidem diversis modis explicantium, & propugnantium humanis ingeniis naturalis divisio?

Longè enim aliter se habent, ut est apud Augustinum, quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitramur, quam sunt illæ, in quibus, salva fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiva suspenditur; aut aliter, quam est, infirma, atque humana suspicione conjicitur... Quis enim non sentiat in his, atque hujusmodi variis, & innumerabilibus quæstionibus, sive ad obscurissima Dei opera, sive ad Scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti, ac definire difficile est, quis, inquam, non videat, in his, & multa ignorari, salva Christiana fide, & alicubi errari sine hæretici dogmatis crimine? Philosophare igitur mihi, si ita lubet, de mundo, vel de mundis, qua forma sint, magnitudine, aut numero, de materia, de Anima, de Mente, & ejus operationibus, de naturis Intellectualibus, sive melioribus, quas Angelos, sive deterioribus, quas Dæmones vocamus, de his quæ de extremo judicio, de bonorum præmiis, de pœnis malorum, de Christi passione non sunt divinitus revelata. De his, inquam, mihi loquere, aiebat Nazianzenus, in quibus aberrare non est periculosum, & tamen verum assequi, vel ad illud prope accedere non est injucundum. Nam si regum, quod ille inquit, vel minima nosse juvat, cur de rebus divinis vel minima, si ita loqui fas est, perscrutari inutile, vanumque existimant cœci, atque stolidi aliunde humanæ sapientiæ admiratores, qui Ciceronis, aut Virgilii non sententiis solum, sed etiam verbis; ac dictiunculis excutiendis, atque ad trutinam revocandis, pœne dicam numerandis libros effarciunt. Vos igitur, Catholicæ Ecclesiæ filii (Justini, seu quis est au-

 thor

thor Expositionis fidei verbis loquor) vos igitur Ecclesiæ filii, qui pias quæstiones movetis, & eorum, de quibus dubitatis, non tentandi gratia, sed discendi quoad licet, interrogationes exponitis, ita mihi vestros animos instruite. Est quidem divinæ doctrinæ multiplex forma, sed in compendium redacta bifariam tribuitur, in eorum scilicet, quæ credere, & agere jubemur cognitionem, & observationem. Igitur pietatis amatores mandatorum quidem observationem, ac disciplinam nulla in re ignorare studebunt, ac præ iis divinam adorationem. Quod autem ad divinarum rerum notitiam, & cognitionem spectant, hanc quidem, quantum poterunt, assequi conentur. Quod si præ ingenij imbecillitate ad eam non pertingant, venerentur quasi comprehensione majorem, ut non evacuetur fides nostra.

Qua veteris Theologi sententia commonemur, ne ultra captum ingenii nostri, viresque nitamur in perplexis, abstractis, & reconditis quæstionibus, quæ vix alicui Christianorum venire in mentem possunt, maxime autem novis, & inusitatis, aut curiosis potius, quam ad fidem explicandam opportunis, vel non ex ipsa mysteriorum difficultate exortis, sed ex hominum placito ob studium partium inductis. Non ut eas cum sobrietate aggredi, atque utcumque disputare Theologo nefas sit, sed ut certo de illis decidere, ac temere velut ex adyto pronunciare, & diversa sentientes damnare videatur. Quin etiam, quod bene admonet Petavius, si sapiat, ac temporis compendium facere velit, in communibus etiam, & Scholarum de tritis controversiis, non erit in inquirendo nimius, ut propositæ quæstionis oras omnes, sinusque, ac recessus perscrutari velit. Habet enim infinita illa curiositas quum ingratam, & fastidio plenam operam, tum temporis jacturam, quod utilius in rebus aliis hac impensa dignioribus occupari potuit: tum male audit apud homines eo nomine plerunque horum maxime postremorum trium sæculorum Theologia, & in eorum sermones, & reprehensiones non prorsus negligendas incidit. Quæ quidem eo commemoro non tam ut regulas, & præcepta Theologis tradam, quam ut quid ipse sequutus sim, & quemadmodum me contra querimonias illas in hoc opere muniverim, Lectoribus ostendam. Nullam quippe commovimus quæstionem, aut in nulla certe aliquantulum immorati sumus, quam non ante nos antiqui PP., & Ecclesiastici DD. tractaverint, quos Duces, nobis, authoresque proposuimus, ut non ad nos Delicatulorum istorum criminatio pertineat, sed ad Eos,

Quorum æmulari exoptem negligentiam
Potius quam istorum obscuram diligentiam.

Hæc

Hæc laudatus Petavius ad rem nostram accommodatissima.

Opitulatur denique piis auribus Theologia per expositionem eorum donorum, quibus hominum animi, non ad communem virtutem, sed ad Heroicam & sublimem disponuntur, nec solum ad fidei, & præceptorum cognitionem, sed etiam ad quandam futuræ beatitudinis prælibationem, & inchoationem assumuntur, per quam animus divina non intelligit solum, sed etiam patitur, quod de Hierotheo aiebat Dionysius. Et hæc vocatur Ascetica, seu Mystica Theologia, cujus quidem practica cognitio non est nisi sanctarum, & perfectarum animarum, neque humanæ subditur arti, aut disciplinæ; speculativa autem ad Theologum spectat, ut humani, vel maligni spiritus, aut divini operationes, motusque intimos, ac subtilissimos discernat. Sicut ergo est quædam subtilior Arithmetica, & quædam sublimior Geometria, ita quædam profundior est, atque altior Ethica, seu Moralis, quæ Ascetica dicitur, & quædam altior Theologia, quæ dicitur Mystica. Ad hanc pertinent Tractatus de Donis Spiritus Sancti, de Beatitudinibus, de fructibus Spiritus Sancti, & de illis Gratiis, quas gratis datas appellamus.

Alia est tandem Theologiæ species, quæ non tam piis auribus opitulatur, quam contra impios galeata procedit in aciem, unde & Πολεμικη seu Bellatrix dicitur. Hujus partes sunt Dei existentiam contra Atheos, unitatem contra Polytheos, providentiam contra Epicuræos, cultum revelatum contra Paganos, adventum Christi contra Judæos, veritatem Religionis Christianæ contra Mahometanos, & quosvis falsarum revelationum assertores, Catholica dogmata singula contra Hæreticos omnes, ac denique Romanæ Ecclesiæ authoritatem contra Schismaticos tueri, non eorum duntaxat argumenta solvendo, quod etiam Scholastica præstat Theologia; sed rationibus, quantum argumenti natura patitur, efficacissimis, quum ex naturæ lumine, ut in Dei existentia, ac divinæ naturæ dotibus demonstrandis, tum ex historia, testibus, monumentis, prædictionibus Propheticis, miraculorum operatione petitis, idoneisque ad captivandum omnem intellectum in obsequium fidei per arma, non carnalia, sed spiritualia, Deo piis eorum conatibus opem ferente.

Atque hæ quidem non tam diversæ Theologiæ species, quam unius atque ejusdem diversæ partes, ac functiones sunt; quas si quis diligenter introspiciat, inveniet profecto primam, & imperfectissimam operationem eam esse, per quam rudibus, ac simplicibus ea quæ ab omnibus explicite credenda sunt, proponuntur, nimirum Catechistica; eique inter gratias gratis datas respondet Donum linguarum,

quando ad fidei propagationem in exordio Ecclesiæ necessarium fuit, aut donum linguæ, quod nunc sacris ministris conceditur, ut breviter, dilucide, atque ad rudium captum accommoda oratione, atque stylo quæ fidei sunt, proponant. Secundum locum obtinet Polemica, seu Dogmatica, quæ fidei doctrinam non simpliciter proponendam rudibus assumit, sed etiam cultis, & sapientibus hujus mundi persuadendam eorum argumenta diluendo, & fidei veritatem, ac Dei testimonia nimis credibilia facta esse multis rationibus confirmando, & huic muneri inter Gratias gratis datas respondet Fides, per quam Vir Dei non solum in fide firmus est; sed eam, quam habet fidei firmitatem, aliorum animis ingenerare potest, paratus reddere rationem omni poscenti ejus quæ in nobis est fidei, & spei. Tertium gradum obtinet Theologia Scholastica, quæ doctrina fidei præsupposita, eam opportunis quæstionibus, & dubitationibus subtilibus, aut ex ratiocinatis, aut ex adversariorum maligna interpretatione, vel hominum præjudicata authoritate derivatis credentibus, & proficientibus explicat, & huic inter Gratias respondet Sermo scientiæ, per quam ex humanis disciplinis, Philosophiæ, Dialecticæ, atque aliarum scientiarum adminiculo Divina confirmantur, atque elucidantur. Subintrat quarto loco Theologia Expositiva, quæ in Verbo Dei scripto, & non scripto intima quæque discutiens, doctrinam eruit non solum ad rerum cognitionem, sed etiam ad vitæ directionem spectantem, & huic respondet inter charismata interpretatio sermonum. Quintum locum occupat Moralis Theologia, quæ vitia a virtutibus distinguit, proprios cujusque limites designans, atque omnes hominis internos, & externos actus ad normam fidei, & doctrinæ inspiratæ regulam componit, cui inter gratias correspondet Sermo Sapientiæ, per quem humana, & temporanea juxta divinas, atque æternas rationes disponuntur. Ultimum denique, ac sublimiorem locum habet Theologia Mystica, in qua per heroicas, & humana majores virtutes, atque arcanam Spiritus Sancti operationem, mens disponitur ad quandam futuræ beatitatis prægustationem, & virtutum ipsarum fructus dulcissimos percipit, cui respondet inter Gratias Discretio Spirituum, quæ practice quidem, uti diximus, in sanctis animabus, & ad Divinorum altissimam contemplationem elevatis invenitur; speculative autem in sacris Doctoribus adsit, necesse est, quibus est cura animarum, & directio commissa. Hi tamen quamvis in Ascetica multum sibi ex Sacræ Scripturæ, & Mysticorum Scriptorum lectione profecisse videantur, sanctarum tamen meditationum, & contemplationis studium, sibi primum, & potissimum esse adhibendum existiment. Justus enim cor suum tradet ad vigilandum diluculo, & in conspe-

ctu

ctu Altissimi deprecabitur. Etsi Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino.

Has igitur omnes sacræ Disciplinæ divisiones sub Theologicarum Institutionum titulo complexuri, in primo libro Deum esse contra Atheos, unum esse contra Polytheos providum esse contra Epicuræos, loquutum esse contra revelatæ Religionis osores demonstramus. Tres sequentes libri respondent quærentibus, quibus facta sit, & ubinam divina revelatio inveniatur, sive de Verbo Dei tum scripto, & non scripto. Quinto ad res in veteri Testamento revelatas descenditur, Mundi nimirum, & Angelorum Tractatum. Sextus liber hominem a Deo spirituali, atque immortali mente, & libero arbitrio præditum, ac naturalibus virtutibus, quum ad mentem, tum ad voluntatem spectantibus perfectum exhibet. Septimus eundem ad finem supernaturalem elevatum, & cœlitus infusis virtutibus ornatum proponit. Quoniam vero omnium virtutum, & operationum supernaturalium radix est Gratia, hujus necessitas, natura, efficacia præmittitur. Ut autem homo in ea perfectione, ac rectitudine, in qua conditus fuerat, permaneret, duplex ipsi adjutorium debebatur, aliud quo sciret quid agere deberet, nimirum lex, aliud quo præcepta servare posset, nimirum Gratia, & de hac quidem, quum in septimo libro actum fuerit, octavus erit de Lege, naturali primum, tum Divina, atque Humana. Utroque tamen Legis nimirum, & Gratia adjutorio contempto, homo lapsus est. In Nono igitur libro de peccato, & ejus divisionibus sermo erit, donec ad illud deveniatur, ut hominem neque per semet, neque per aliquam puram creaturam, condignam Deo satisfactionem reddere potuisse monstremus. Unde Mediatore, & Redemptore opus fuit, sive Messia ante promisso, quem jam advenisse contra Judæos, & JESUM Nazarenum hunc fuisse, Deum verum, & verum Hominem Decimus liber ostendet. Tum de ea, quam Christus fundavit Ecclesia, & de ejus Capite undecimus erit Liber, ac de membris Ecclesiæ in genere. Duodecimus de membris Ecclesiæ singulis disputabit, Clericis, Monachis, Laicis. Decimus tertius de Mysteriis aget in novo Testamento, sive Christianæ Ecclesiæ revelatis. Decimus quartus de Novæ Legis Sacrificio. Decimus quintus de primis tribus Sacramentis erit; de quatuor postremis decimus sextus. Decimus septimus, de Ecclesiæ præceptis. Duodevigesimus tandem, atque ultimus de futuro Piorum, & Impiorum Statu.

Dicendi genere usi sumus, quale sacrum argumentum decet, nec compto nimis, atque ornato, nec squallido tamen, ac sordido, non prurientes auribus, quod vetat Apostolus; nec aures offendentes tamen.

men. Profanas porro disciplinas sacræ doctrinæ famulari, si quis ignorat, fungus; si quis non faciat, profanus omnino habendus ipse est. Is igitur nobis scopus fuit, ut quum pro temporum, ac munium obeundorum diversitate, diversæ fuerint a nobis excultæ disciplinæ, ea omnia, per quæ Juventutis nostræ tempus traduxeramus, maturescente jam ætate, atque ad severiora studia inclinante, in unum veluti corpus conferremus, atque colligeremus doctrinæ, magis ad propriam, quam ad aliorum instructionem. Nec enim, quod de se ajebat Augustinus, in eorum numero haberi volumus, qui quum profecerint, scribunt; sed qui scribendo proficiunt. Partium studium in his, quæ posterioribus sæculis natæ sunt, controversiis, tanquam pestem opinandi libertati, & veritatis investigationi inimicissimam detestamur. Unum D. Thomam, non tamen in ejus verba jurantes sequimur, cujus ætate nulla erat adhuc Theologicarum Scholarum divisio, quem tota Xpti Ecclesia, veluti veterum Patrum linguam, atque organum veneratur, ac suspicit, perinde quasi Thomæ Aquinatis nomen, non viri alicujus, sed ipsius meræ, puræque Theologiæ nomen esse videatur, ut si quis post ipsum secundus numerandus sit.

Proximus huic, longo sed proximus intervallo

haberi debeat. Hujus autem Viri præter doctrinam, imitari etiam studuimus virtutes duas, nimirum innatam ipsi in Patres, & antiquos Authores, ingenitamque, ut Cajetanus loquitur, reverentiam, & singularem in Scriptoribus allegandis, aut etiam impugnandis modestiam. Morem tamen quoquomodo gerentes sæculo, quod factorum quadam veluti Historica Theologia, magis quam abstracta illa, & simplici veritatis contemplatione delectatur, & cui, quod Bona Cardinalis scripsit, nihil placet, nisi critico sale respersum, Theologicis Institutionibus tria adnexuimus Prolegomena, quorum primum brevis erit Synopsis Romanorum Pontificum, & Conciliorum sub unoquoque coactorum historica. Secundum, Brevis Notitia Hæresum, & Hæresiarcharum. Tertium, Tractatus de Scriptoribus Ecclesiasticis. Atque hæc de instituto nostri operis, & laboris cujuscumque prælibasse sit satis. Cætera Sapientiorum, & præcipue Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ judicio approbanda, aut respuenda relinquimus.

AD

A D L I B R O S
THEOLOGICARUM INSTITUTIONUM

PROLEGOMENON I.

Pontificum Romanorum, & Conciliorum Historica Synopsis.

1. JESUS Christus Dei filius, Simonem Joannis filium, Andreæ fratrem, Bethsaidæ in Galilea natum, novo nomine insignivit suique in terris Vicarium, & Ecclesiæ ab se instituendæ caput futurum promisit dicens: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & Tibi dabo claves Regni cœlorum &c. Quod autem promiserat, post suam Resurrectionem præstitit dicens: Simon Joannis diligis me plus his? Pasce oves meas . . . Et aliquando conversus confirma fratres tuos. Petrum igitur primum Christi in terris Vicarium fuisse, & Romanam Ecclesiam instituisse, authoritatemque suam in sui Episcopatus successores derivasse, quod postea multis probabitur, (*lib. 11.*) nunc supponimus. Et quoniam Romanorum Pontificum, & Conciliorum authoritate gestis, ac definitionibus sæpe Catholici Theologi ad veritatis, & fidei dogmata comprobanda, & Adversarii nostri ad eadem impugnanda, aut Ecclesiasticam potestatem convellendam utuntur, brevem Romanorum Pontificum, & Conciliorum sub uno quoque celebratorum, nostrorum temporum Theologis necessaria notitiam existimavimus. (*Sec. I.*)

I.

S. Petrus.

2. Petrus ergo post Christi mortem primus Apostolorum, quum Judæis Act. 2., tum Gentibus Act. 10. Evangelium prædicat. Deinde ab Herode Agrippa in carcerem conjectus ab Angelo liberatur. Inde Pontum, Galatiam, Cappadociam, Bythiniam circumit, dispersos fratres in fide confirmans. Profectus deinde Romam, ad eosdem dispersos fratres primam scripsit Epistolam. Hinc Hierosolymas per Syriam reversus Antiochenam Ecclesiam rexit post Agrippæ mortem, quæ contigit anno sui regni tertio ineunte. Post annos aliquot orta super Circumcisione, & Judaicis ritibus controversia, Concilium Hierosolymitanum cogitur, anno Christi uti communius creditur, 51. in

in quo Petri sententiam Jacobus Hierosolymorum Episcopus, aliique Apostoli, & Seniores statim sunt sequuti. Romam deinde iterum petiit, ubi Simonem Magum, cujus jam dudum in Samaria avaritiam effrœnatam compresserat, publica disputatione semel, atque iterum protrivit, tandemque præstigiis, magicisque artibus populum seducentem, & per aera volantem, uti ex aliis Patribus refert Maximus, Dominum deprecatus egit pæcipitem, & Roma exulare coegit. Sub idem tempus Marco discipulo, atque interpreti scribendi Evangelii curam commisit, ut Romanorum votis obsecundaret, quod scribit Hieronymus. Re confecta Marcus discedens, & Alexandrinam fundavit Ecclesiam ann. 3. Olympiad. 205. ut est apud Eusebium, & in ea totius orbis celeberrimam sacræ eruditionis Academiam instituit, ex qua viri doctissimi prodierunt, de quibus in sequentibus mentio fiet. Nerone denique in Christianos sæviente, quum Linum, Clementem, Cletumque Episcopos consecrasset, & Clementi Romanam Ecclesiam regendam commisisset, Roma exire decrevit. Eo in itinere Christum JESUM crucem, gestantem obvium habuisse fertur, qui a Petro, quo tenderet, rogatus, Romam, inquit, iterum Crucifigendus. Ea visione recreatus Apostolus Romam rediit, secundamque scripsit Epistolam in qua de proxima sui depositione tabernaculi ab Domino certior factus, fratres postremis verbis adhortatur. Tandem jussu Neronis in crucem actus, inverso tamen ut ipse postulasse dicitur, capite, glorioso fine quievit 3. Kalend. Quintil. anno Neronis ultimo inchoante, Christi 69. juxta Baronii Chronologiam. Paulum eodem die, eodemque anno occisum communis est opinio, cui præter alios favent Epiphanius, & Hieronymus. Verius tamen videtur id eodem die recurrente post elapsum annum contigisse. Ita certè Lactantius scriptor diligentissimus, & Prudentius in libro de Coronis, ubi

Unus utrumque dies, pleno tamen innovatus anno
Vidit superna morte laureatum.
His adhuc antiquior Aratus secundi sæculi Poeta cecinit;
Non eadem tamen una dies, annique voluto.
Tempore, sacravit repetitam passio lucem.

Hanc vero opinionem Romana Synodus sub Gelasio erroneam dixit, atque ab Hæreticis promulgatam. Petro Pontifice Martyres occubuerunt Hierosolymis Stephanus, Jacobus frater Joannis dictus Major, Jacobus frater Domini dictus, & Minor, ejusdem urbis primus Episcopus, & in Cypro Insula Barnabas, cujus & circumfertur

tur Epistola, quæ germana, & sincera a multis habetur cum Natali Alexandro, inter Canonicas autem non est.

II.

S. Linus.

3. Quamvis successorem sibi Clementem Petrus destinasset, eumque secundum Ecclesiæ Romanæ Episcopum Tertullianus dixerit, communis tamen, veriorque opinio cum Damaso, Hieronymo, aliisque antiquis Scriptoribus tenet Petro successisse Linum Volaterris in Etruria Herculano patre natum, sive id Clementis modestia factum sit, sive eo consilio, ne summa Ecclesiæ dignitas, aut privato affectu, aut ambitiosis in posterum artibus, vel quodam successionis jure obtinenda videretur. Scripsit Linus Acta Petri adversus Simonem Magum, quæ non exstant. Sancivit nequa fœmina, nisi velato capite Ecclesiam introiret. Ex quo patet fuisse jam tum loca aliqua, quo Christiani convenire consueverant, quæ Ecclesiæ dicebantur. Templa enim tunc ædificari cœptum non erat, imo Templi nomen id temporis profanum habebatur. Menandrum, ejusque discipulos ab Christianorum communione semovit. Eo Pontifice Paulus via Ostiensi absciso capite ad cœlos abiit, Hierosolymæ ab Tito expugnatæ, Philo, Josephusque Hebræorum disertissimi scripserunt. Linus denique jussu Saturnini, cujus filiam a Dæmone liberasse dicitur, occisus est 9. Kal. Octob. quum Ecclesiam administrasset ann. 11., menses 2., dies 25. anno Christi octogesimo.

III.

S. Cletus.

4. Lino subrogatus est Cletus Romanus, Emiliani filius a Petro, ut dictum est Episcopus consecratus. Is ex præcepto Petri, aucto jam Romæ Christianorum numero, vigintiquinque Presbyteros instituisse dicitur, quibus, tanquam Parochis Romanam urbem administrandam commisit. Peregrinationem ad Sepulchra Apostolorum Pontificia authoritate confirmasse, & impedientes, aut dissuadentes excommunicatione coercuisse. Martinus Polonus, & Ludovicus a S. Carolo scribunt exigui nominis, nec multæ fidei authores, hic tamen ab omnibus Scriptoribus id affirmari asserit. Primus in Apostolicis litteris iis verbis usus dicitur: Salutem, & Apostolicam benedictionem; quæ tamen Papebrochius, & Mabillonius in dubium revo-

vocant. Eo Pontifice Andreas Philippus, Lucas, Flavius Clemens; aliisque bene multi martyrium passi: Joannes in Patmos insulam amandatus. Nicolaitarum, & Ebionitarum hæreses natæ. Cletus Domitiano imperante occisus est, 6. Kal. Maii, & sepultus prope corpus S. Petri via Aurelia in Vaticano. Sedit, ut in Martyrolog. Romano habetur, annos 12. mens. 7. dies duos. Alii numerant annos 12., mens. 1., dies 11., ac viginti dies sedem ejus morte vacasse scribunt.

IV.

S. Clemens I.

5. Clemens, non ut alicui visum, Judæus, sed Romanus Faustini filius Cleto successit ann. Christi 93. Scripsit ad Corinthios Epistolas duas, quarum prima integra exstat; secunda non item. His ille Corinthiacum Schisma compressit. De reliquis ejus scriptis vide Prolegom. 3. Quatuordecim urbis regiones ad septem contraxit, quibus totidem Notarios assignavit, qui gesta Martyrum, & eorum passiones diligèntissime conquisitas litteris consignarent. Hi Regionarii Notarii dicebantur ex Anast. Biblioth. in Adriano I. Duas item secundum Romanam principes Ecclesias Antiochenam, & Alexandrinam duobus erectis Romæ titulis repræsentari voluit, ut omne in posterum schisma præcluderet. His actis Mamertino Prætore Traianum in Christianos concitante, Clemens trans mare Ponticum exul amandatus. Ibi bis mille Christianos eodem mulctatos exilio, atque ad Lapidicinas damnatos invenit, qui quum aliquando præ ingenti labore siti torquerentur, Clementis ope recreati sunt. Vidit enim orans Agnum in collis vertice stantem, aquasque sub ejus pede scaturientes. Quum autem in dies Christi gregem & vitæ sanctitate, & doctrina confirmaret, augeretque, Trajani jussu anchora ad collum alligata in mare projectus occubuit 9. Kal. Decemb. Christianis ad littus orantibus mare ad tria milliaria recessisse fertur, quo ipsis procedentibus in ædicula concameratis marmoribus ad instar templi ædificata, corpus Martyris, & anchora inventa. Ecclesia deinde eo loco, ubi Agnum viderat, Clementis nomine Deo dicata. Corpus Nicolao I. Pontifice Romam delatum, in Ecclesia ex ejus nomine appellata conditum est. Sedem tenuit ann. 9., mens. ac dies 6. ab Domitiani usque ad Trajani tempora. Eo Pontifice primum Ecclesiæ sæculum completum, Joannesque Ephesi obiit Apostolorum ultimus. Ejus morte sedes vacasse dicitur dies 22. (*Sæc. II.*)

V.

V.

S. Anacletus.

6. Fuit is Atheniensis Antiochi filius. Statuit ut Episcopus, nisi a tribus Episcopis ordinari non posset, quod inter Apostolicos Canones, de quibus alibi (*proleg. 3. in Clem.*) etiam fuerat receptum; Ut Clerici ab Episcopis, non privatim; sed publice admitterentur: Ut in Missa post Sacerdotem adstantes omnes de sacra hostia communicarent: Pontificum, velut alii putant, Martyrum sepulturæ locum attribuit ab reliquorum fidelium tumulis distinctum. Hujusmodi MM. monumenta, Memoriæ, aut Tituli dicebantur. Primus dicitur fuisse, qui Petro titulum erexerit eodem in loco, ubi nunc ingens Vaticani templi moles conspicitur. Hoc Pontifice Ignatius Antiochenus Episcopus a Petro tertius, & Simeon Cleophæ Episc. Hierosolymitanus, discipulorum Christi postremus Martyres occubuerunt. Eodem glorioso fine quievit Anacletus, quum sedisset annos 9., mens. 3. dies 10., ut in Rom. Martyr. habetur ad 3. Id. Jul. De Cleti & Anacleti distinctione vide oppositas dissertationes Natalis Alexandri, & Antonii Sandinii. Certe si viros duos patria, stirpe, nomine, ætate, rebus gestis, mortis denique & genere, & tempore confundere licet, & omnes Romanæ Ecclesiæ, imo totius orbis historias, & fastos invertere licebit. Obiit ann. Chr. 112. inchoante, Trajani Imp. 13. Ejus feruntur Epistolæ tres. 1. ad omnes fideles, 2. ad Episcopos Italiæ, 3. ad omnes Episcopos, quæ tamen spuriæ habentur, & non nisi post quartum sæculum sub Anacleti nomine scriptæ. Sedes post ejus obitum vacasse dicitur diebus 13.

VI.

S. Evaristus.

7. Græcus, Judæo tamen patre natus Juda Bethlemita, unde ex aliis Sandinius Judæum illum, & Bethlemitam fuisse contendunt. Sancivit ut prædicanti Episcopo septem Diaconi assisterent, quum dignitatis, & honoris causa, tum etiam nequa postmodum Episcoporum doctrinæ calumnia opponeretur. Plebis accusationem contra Episcopum admitti vetuit: Ecclesiarum Urbis titulos Presbyteris divisit, quos Cletus non assignato titulo plebi præfecerat. Statuit ut Matrimoniis publicum testimonium accederet, & Sacerdotis benedictio. Rituum Consecrationis Ecclesiæ quidam authorem faciunt apud Bo-

Bonam Cardin, qui tamen eum ritum ab Apostolica traditione descendere arbitratur. Hæc tamen duo non pugnant. Hoc Pontifice Papias Ep. Hierapolitanus, Apollinaris, Victorianus, Quadratus, Aristides Philosophus christiana eruditione insignes fuerunt, quorum duo postremi etiam scriptis pro Christiana fide Apologiis, Adriani animum a Christianis aversum demulserunt. Hujus Imp. anno tertio, Evaristus martyrio coronatus est sept. Kal. Novemb. quum sedisset ann. 9., mens. 3., vel ut aliis placet, ann. 9., mens. 10. dies 2. Ejus nomine exstant Epistolæ duæ, 1. ad Episcopos Africæ, 2. ad Ægyptios fratres, quæ ex falsa Consulatuum nota, spuriæ merito existimantur.

V I I.

S. Alexander I.

8. Post dies, ut fertur 19., anno Adriani 3. sedem occupavit Alexander, Romanus, quem Optatus prætermisit. Statuisse dicitur ut in solo Azymo sacrificium conficeretur, apud Martinum Polonum: ut in consecratione Calicis aqua vino misceatur: ut aqua sale permixta, & benedicta ad fugandos dæmones adhiberetur. Duo tamen priora non primum instituisse, sed ab Apostolis accepta inculcasse, & observari ab cunctis jussisse credendus est, ut Baronius, & alii observarunt. Dicitur item verba illa: Qui pridie, quam pateretur, Canoni addidisse, ex quo infertur Missæ Canonem nostræ antiquiorem esse Alexand., qui anno Christi, ut creditur 121. Pontificatum iniit. In Rom. Pontificali solum habetur ipsum Passionem Domini miscuisse in precatione Sacerdotum, unde Sandinius ei tribuit orationem, quæ incipit: Unde & memores &c. Basilidis, Cerdonis, & Ebionitarum hæresis eo tempore grassabantur, & Barcochebas Judæorum dux ignobilis Christianos insectabatur acerrime. Vixit in Pontificatu Alexander annos 10., mens. 7., dies 2. & 3. Non. Maii Martyr occubuit (*Tres ejus feruntur Epistolæ 1. ad Epis. 2. ad omnes Dei sacerd. 3. ad orthodoxos, quas ipsius non esse manifestum est.*)

V I I I.

S. Sixtus I.

9. Romanus, Elvidio, sive ut alii scribunt, Pastore patre natus sancivit, ut ab nemine, præter Altaris ministros sacra vasa contrectarentur, ut super Altari non nisi linea apponerentur, in iis quæ dun-

duntaxat sacrificium conficeretur: Episcopos in suas Provincias Romæ reduces non aliter admitti voluit, nisi litteras, quæ Formatæ, Canonicæ, Pacificæ dicebantur, exhiberent, quibus se Romanæ Communioni conjunctos esse constaret. Trisagion Isaiæ Missæ addidit; sive ut ex Apostolicis constitutionibus colligitur, jam in locis quibusdam inseri solitum, ad universam Ecclesiam extendit, ut alibi. Peregrinum Christianæ fidei confirmandæ, & propagandæ gratia in Gallias misit, unde ille redux gloriosæ Confessionis præmium obtinuit. Ad hoc usque tempus vitam produxisse creditur Achillas secundus post Septuaginta Seniores Scripturarum Interpres, de quo alibi. Sixtus porro quum Ecclesiam gubernasset annos 10., mens. 3. dies 21. obiit sanctissime, Antonino regnante, circiter annum Christi 142. Doujatius cum aliis annos ei tribuit novem, mens. 10., dies 6. Duæ ejus feruntur Epistolæ, in quarum 1. se Archiepiscopum, in 2. universæ Ecclesiæ Episcopum vocat. Unde incertæ fidei ab Criticis habentur.

IX.

S. Telesphorus.

10. Sixto suffectus est natione Græcus. Hic Quadragesimale Jejunium jam inde ab Apostolorum ætate institutum, varie tamen pro diversitate locorum observatum, vel ad eandem communem formam redegit, vel tempus præscripsit, & fixit, vel jejunio abstinentiam a carnibus adjunxit. Hymnum Angelicum Missæ addidit, de quo alibi dictum. Tres idem Missas in Natali Domini celebrare concessit. Sed de hoc Telesphori, si ejus est, decreto, alibi agetur. Certe illa, ex quo hauritur Epistola dubiæ fidei est, nec id aperte sancit. Floruit hoc Pontifice Justinus Philosophus, de cujus doctrina, & scriptis alibi. Sedit Telesphorus annos 11. obiitque Non. Januarii ann. 154. martyrio clarus, ut est apud Euseb. in Chronico.

X.

S. Hyginus.

11. Post dies septem electus est Hyginus Atheniensis. Hic Clerum per suos gradus, atque officia in Ecclesia exercenda distinxit, id est cuique gradus titulos, & tempora ministerii assignavit. Statuit ut Ecclesiæ solenni ritu dedicarentur, nec sine Episcopi, aut Metropolitani consensu amplificari, aut minui possent, neve lapides, & cæ-

menta in profanos usus converterentur: ut in parvulorum baptismo adessent, quibus eorum in fide, & Christianitus moribus imbuendorum cura competeret, quod jam ante Hyginum fieri cæptum ex Tertulliano apparet: ut Episcopus judicari, aut damnari non posset nisi in Provinciali Synodo. Hoc Pontifice floruisse dicitur Melito Sardensis, de quo infra. Tertullianus eo tempore nonnulla scribebat; sed plura deinceps. Cerdo Marcionis præceptor Romam venit. Tenuit Pontificatum Hyginus ann. 4., & Christi 158. ineunte martyrio coronatus est die Januarii 11. Duæ feruntur ejus Decretales, alia ad universos fideles, alia ad Athenienses dubiæ fidei, sicut omnes fere ante Siricium.

X I.

S. Pius I.

12. Hunc Optatus Milevitanus, & Augustinus post Anicetum memorant. Fuit ille Aquilejensis Rufini filius, cui magna cum Hermete, aut Herma Pastoris authore, de quo in Proleg. 3. Hinc domum Pudentis Senatoris a Pio in Ecclesiam consecratam, Pastoris nomine vocatam fuisse quidam putant. Statuisse Pius dicitur, ut non nisi in die Dominica Pascha celebraretur; ut est apud Euseb. in Chron. quod ab Petro institutum, non adhuc fuerat omnium Ecclesiarum usu receptum. Pœna mulctavit Altaris ministros, quorum negligentia aliquid de consecrato Calice effunderetur, & habetur in cap. Si per de Consecr. dist. 2., & in lectionibus Breviar. Rom. Porro quamvis Pio Pontifici hoc decretum tribuatur, canon ille tamen commentitius habetur, sicut & duæ Epistolæ ad Justum Viennensem, & duæ aliæ prolixiores, prima ad omnes Ecclesias, 2. ad fratres Italiæ. Ejus tempore Apollinaris Hieropolitanus adversus Cataphrygas scripsit, Philippus Cretensis in Marcionitas, Musanus in Eucratianos. Sedit Pius annos 9, mens. 4, dies 3. Platina tamen, & Doujatius aliter. Martyrio coronatus dicitur 5. id. Jul. anno Christi 165.

X I I.

S. Anicetus.

13. Post dies 13. sedem occupavit Anicetus Syrus Joannis filius. Statuit ut Metropolitani consecrationi omnes adessent ejusdem suffraganei: ne iis Primatis, aut Patriarchæ nomen sibi arrogaret, nec ab sibi subdito, nisi coram Primate, aut Patriarcha conveniri posset: ne Cle-

tici

rici comam nutrirent: ne Episcopus nisi a tribus Episcopis consecraretur; quod jam antea statutum Nicœna Synodus confirmavit. Hoc Pontifice in Hierapolitana Synodo primum dicuntur Montani errores damnati sub Apollinari Episcopo; sed quum hæc Synodus acta dicatur ann. Christi 160. ad Pii potius Pontificis tempora est rejicienda. Verius est tamen ann. Christi 170. celebratam. Quæstio super celebratione Paschæ agitari cœpta. Polycarpus ejus rei causa Romam adiit. Re non conclusa, sed salva pace discessum est. Egessipus primus historiæ Ecclesiasticæ scriptor, & Marcion Hæreticus Romam petierunt. Sedem tenuit Anicetus ann. 8., men. 8. d. 1. juxta Romanos fastos. Obiitque 15. Kalend. Mai ann. Christi 173. Sedes vacavit dieb. 17. Unica ejus fertur Epistola ad Episcopos Galliæ, quæ tamen passim ab Criticis supposititia habetur.

X I I I.

S. Soter.

14. Fundis in Campania Concordio patre natus prohibuit ne sacræ Virgines pallas, & sacra vasa attingerent, neve thuris ministerio in Ecclesia uterentur: ut uxorem parentes, & propinquiores cognati viro solemni ritu traderent: ut in Cœna Domini omnes Eucharistiam acciperent, nisi gravi, & publico crimine præpedirentur. Collectas, seu suffragationes a Pauli tempore fieri solitas, in quibus Rom. Ecclesiæ charitas præcipue semper effulserat, multum Soteris studio auctas Dionysius Corinthius apud Euseb. scribit. In Brev. Rom. Martyribus accensetur ad diem 22. Aprilis, quamvis de ejus violenta morte, nihil ait Panvinius, apud antiquos inveniatur. Obiit ann. Christi 177. quum sedisset ann. ferme quatuor. Duæ sub ejus nomine vulgatæ sunt Epistolæ, alia ad Campanos, alia ad Italiæ Episcopos; sed datæ anteriores sunt.

X I V.

S. Eleutherus.

15. Græcus Nicopoli Abundio patre natus post dies 11. sedem tenuit. Eo sedente Lucius Britanorum Rex missis Romam Legatis, viros aliquos ad se mitti postulavit, qui se, suosque in Christiana Religione erudirent. Missi Fugatius, & Damianus, qui tribus Archiepiscopis creatis, magnam insulæ partem, & inaccessa Romanis loca, ut Tertullianus inquit, Christo subjecerunt. Statuit ne absens condemna-

demnari posset, ne Clericus, nisi convictus e gradu dejici. Superstitiosum, & Judaicum ciborum delectum cohibuit. Eodem tempore Lugdunensium MM. rogatu Irenæus Polycarpi discipulus super Montani erroribus Apostolicam Sedem adiit. Apollonius laudatæ eloquentissima oratione Christianæ Religionis prœmium tulit Martyrii palmam. Modestus in Marcionem, Bardesanes ab Hieronymo ob facundiam laudatus in Valentinum scripsit. Sedit Eleutherus annos 15., dies 23., obiitque 7. Kal. Jun., ann. Chr. 192.

X V.

S. Victor I.

16. Africanus Felicis filius Paschæ controversia incalescente ad Episcopos scripsit, ut in sua quisque Provincia Apostolicis traditionibus diligentissime conquisitis ad Apostolicam Sedem referrent. Romæ, Lugduni, Cæsareæ in Palestina, atque alibi Concilia habita. (*Rom. I. an. 195. Lugdun. an. 97. Cæsar. eod. Ephes. eod. Rom. II. ann. 98.*) Polycrates Ephesinus ad Victorem scripsit se, & reliquos minoris Asiæ Episcopos adduci non posse, & Pascha nisi die 14. mensis Nisan, id est Martii celebrarent. Victor coacto iterum Romæ Concilio universim decrevit, ut per universum orbem Christiani eodem die Pascha celebrarent, nimirum prima Dominica post diem 14., seu plenilunium mensis Martii. Polycratem, & suos, aut excommunicavit reapse, aut saltem comminatus est, & vix tandem Irenæi suasione, abstinuit, de quo magna est lis inter Criticos. Theodotum Coriarium Christo divinitatem negantem Victor ab Ecclesia expulit, quod est apud Euseb. Ex quo patet quam falso illum errorem Victori tribuunt Magdeburgenses, quod Christum purum hominem docuisset. Scripsit de quæstione Paschæ, & alia opuscula. Hæc inter feruntur Epistolæ duæ prima ad Desiderium Ep. Viennens.. 2. ad Paracodam, quam refert Baronius. Duæ aliæ ab Isidoro citantur ad Theophilum Alexandrinum, atque ad Episcopos Africæ. Epistolæ quoque ad Teophilum Cæsariens. meminit Euseb. lib. 3. hist. cap. 22. Præfuit Ecclesiæ Victor ann. 9. mens. 1. d. 28. obiitque sub Severo 5. Kal. Augusti an. Chr. 201. Eo igitur sedente secundum Ecclesiæ sæculum completum est, (*Conc. Afr. 1. an. 200.*) cujus anno ultimo Concilium Carthaginense sub Agrippino celebratum. Anabaptistarum errorem statuit; de quo postea magna animorum contentione disputatum est. (*Sæc. III.*)

XVI.

S. Zephyrinus.

17. Romanus Anacleti decretum confirmavit, ut Clerici non nisi Clero, & plebe præsentibus, & de eorum doctrina, & moribus testimonium dantibus, ad sacros ordines promoverentur. Episcoporum causas ad Sedem Apostolicam avocasse primum dicitur, edito decreto, ut non in Episcopum ferretur sententia, nisi Romana Sede consulta, quod de Romano Patriarchatu intelligendum videtur. Statuit ut prædicanti Episcopo Præsbyteri omnes adstarent: ut vasa lignea ad sacrificium non adhiberentur: ut omnes fideles in Pascha communicarent, quod ab Sotere injunctum, in Lateran. Concilio confirmatum est, & communi usu receptum usque ad hodiernum diem. Hoc Pontifice, sæviente Severo, Potamiena virgo, & Leonidas Origenis pater passi sunt. Origenes ipse Romam adiit. Zephyrinus quum sedisset annos 18., ac dies totidem martyrio coronatus est sub Antonino Heliogabalo an. Chr. 219. ad diem 26. Aug. Duæ feruntur ejus Decretales, 1. ad Episcopos Siciliæ, altera ad fratres per Ægyptum, quæ posterioribus sæculis scriptæ videntur. Duo in Zephyrinum opponi solent. Primum quod Pacificas litteras Cataphrygibus, aut Montani discipulis dederit, quibus errores eorum approbasse videbatur. Hoc ex Tertulliano in 1. adversus Praxeam Magdeburgenses. Verum aut Tertullianus in eo falsus est, aut errori suo ex Zephyrini authoritate patrocinium quæsivit, vel, quod ait Bellarminus, sanctus Pontifex illarum gentium astutia, & falsa relatione cum apparenti vitæ austeritate deceptus est, & errantibus, non errori communicavit. Alterum in eo damnat Tertullianus, quod adulteros, & alios graviorum reos ad pœnitentiam, & Ecclesiæ pacem admiserit. In hoc tamen non Zephyrinus, sed Tertullianus est ipse damnandus, qui crimen aliquod fuisse putaverit Ecclesiæ clavibus reservatum.

XVII.

S. Callixtus I.

18. Romanus patre Domitio, quatuor temporum jejunium instituisse, aut ab Apostolicis temporibus ex veteri lege observatum, Ecclesiastico decreto sanxisse, quod Bellarminus putat, & in ea quatuor tempora solennes Ordinationes transtulisse dicitur, quæ Decem-



bri solum mense fieri consueverant. Callisti cœmeterium de suo nomine dictum ampliavit, quod inter 43., quæ anno Chr. 226. numerat Romæ fuisse Baronius, celeberrimum est habitum. Ibi Martyrum 154000., & Rom. Pontif. 46. corpora sepulta scribit Arringhius. (*Rom. subt.*) Ecclesiam S. Mariæ trans Tiberim ædificasse scribit Damasus. Florebat ea tempestate Origenes, de quo alibi. (*Proleg. 3.*) Sedit Callixtus ann. 5. mens. 1., d. 12. pridieque Id. Octobris martyrio coronatus est ann. Chr. 224. Duæ ejus feruntur Decretales, alia ad Benedictum Episc. alia ad fratres per Galliam, quas tamen Romanos Correctores rejecisse testatur Ant. Aug. in 2. de emend. Gratiani.

XVIII.

S. Urbanus I.

19. Romanus Pontiani f. multos doctrina, & vitæ Sanctitate ad Christum perduxit, in his Tiburtium, & Valerianum. De bonis, & vasibus Ecclesiæ habentur decreta apud Gratian. Ab hoc Pontifice Confirmationis Sacramentum institutum blatterant recentiores Hæretici. Sed de hoc in lib. 14. Iconii, aut forte Synnadæ (si diversa est) Synodus habita, (*an. 231.*) ubi Cataphryges rebaptizari jussi, sive quod erronee crederent baptismum ab Hæreticis collatum esse irritum, sive ut videtur, quia Montanistæ Spiritum Sanctum, seu Paracletum Montanum ipsum esse fabularentur. Alexandriæ quoque sub Demetrio Synodus Origenem deposuit, ejusque libros proscripsit, de quo in seq. prolegom. Sedit Urbanus ann. 6. mens. 7. dies 4. obiitque 7. Kalend. Jun. martyrio coronatus anno Christi 231. Ei adscribitur Decretalis unica, quæ eodem laborat suppositionis vitio.

XIX.

S. Pontianus.

20. Romanus Calphurnii f. Altaris sacrificio Confessionis formulam præmisit. Statuit ut Psalmi certa distributione, atque ordine in Ecclesia canerentur. Eo sedente ann. Chr. 235. in quodam Alexandrino Concilio, (*ann. 235.*) Hieraclas Ammonium errantem, ad fidem revocavit, authore Labbæo, Pontianus in Buccinam Insulam Sardiniæ vicinam ab Alexandro Imp. amandatus cum Hyppolito Presbytero ultimum diem obiit 13. Kal. Decemb., quum sedisset ann. 4. mens. 4. dies 25. Ejus corpus Fabiano Pontif. Romam delatum, deinde

inde ab Greg. 13. Mexicum, in Colleg. SS. Petri, & Pauli religiosè asservatur. Invenitur quidem in Actis S. Ursulæ, atque alibi Cyriacus quidam inter Pontianum, & Anterum positus, authore, ut fertur, Joanne Stella in Vit. Pontif. Verum neque Acta S. Ursulæ incorruptæ fidei habentur, neque cum Chronologia res cohæret. In antiquo Breviar. Ordin. Præd. legitur Cyriacum hunc ab Angelo admonitum, ut Ursulam, atque ejus socias sequeretur. Reclamantibus autem Cardinalibus, & dicentibus non decere Papam, deserto Ecclesiæ clavo, post mulierculas abire, Papatui renunciasse. Hæc & alia hujus furfuris ibidem multa. Cyriacum vero illum non Romanum Pontificem, sed Pontiani Vicarium fuisse dicendum est, quum ille magnam sui Pontificatus partem Romæ exul degere coactus fuerit.

XX.

S. Anterus.

21. Græcus sine causa gravissima Episcopum ab una in aliam sedem commigrare vetuit. Gesta MM. litteris mandari curavit. Sedit mens. 1., dies circiter 20., Martyrque obiit die 3. Januar., ann. 236., imperante Gordiano apud Euseb. Ei adscribitur Epistola ad Episcopos Bœticæ, & Toletanæ Provinciæ, quo titulo Antonio Aug. suspecta est.

XXI.

S. Fabianus.

22. Romanus Fabii f. Septem instituit Diaconos, qui per Urbis regiones pauperum curam gererent, Notarios totidem, qui gesta MM. literis consignarent, quod jam ante fuerat statutum. Statuit ut quotannis fer. 5. in Cœna Domini vetere combusto, Chrisma renovaretur. Eo sedente habita Concilia, Lambesitanum in Africa (*ann. Christi 240.*), ubi Privati cujusdam, cujus Cyprianus meminit, errores damnati: Bostrense in Arabia, (*ann. Christi 242.*) ubi Berillus de Christi Divinitate malè sentiens ab Origene convictus, & in Ecclesiam reductus est. Tertium item in Arabia (*an. 246.*) apud Euseb. hist. 6., ubi quidam immortalitatem animæ negantes ab eodem Origene confutati sunt. Fabianus Novatianum Presbyterum ordinavit. Pontificatum tenuit ad tempora Philippi, quem nonnulli Christianum fuisse putarunt. Quæ tamen Eusebius, & Chrysostom. de Philippo memorat in Babyla, non de Philippo Imp. sed de ejus filio Philip-

po Cæsare intelligenda sunt. Sedit Fabianus ann. 15., dies 5., & Martyr. occubuit 13. Kal. Febr. ann. Dom. 251. Tres [illegible] circumferuntur Epistolæ, 1. ad omnes Comministros, 2. ad Orientis Episcopos, 3. ad Hilarium, quas meliores Critici apocryphas existimant.

XXII.

S. Cornelius.

23. Post Fabianum sunt qui dies 6., sunt qui mens. menses 6. sunt qui annum, sunt qui mens. 16. sedem vacasse scribant. Intervallum aliquod longius fuisse patet ex litteris Cypriani ad Rom. Clerum, & hujus ad Cyprianum. Quæcumque autem vacatio contigerit, eam Novatiani causa contigisse certum est. Hic enim a Fabiano, non sine Canonum dispensatione Presbyter factus, in ejus locum subrogari, non obscurè cæpit ambire. Mota autem persequutione, quum Fabianus obiisset, Novatianus domi clausus, cum tanto vitæ discrimine, dignitatem illam non appetendam ratus, ab incæpto desistere visus est. Decio Imperatore obeunte anno eodem, Novatianus, Novati opera in Episcopum consecratus est, Corneliumque ab Clero electum, Romanum, Callixti filium calumniari cæpit datis per orbem litteris quibus ejus electionem irritam asserebat. Cornelii causam suscepit Cyprianus in 1. Carthag. (*ann. 252.*) Synodo, ubi Felicissimi, Novati, & Novatiani errores, & Schisma damnatum. In alia ejusdem anni bene multa circa Lapsorum Pœnitentiam constituta, unde Penitentiales Canones derivat Baronius. Concilium item a Cornelio indictum, & habitum (*ann. 253.*) Centumcellis, quo a Gallo Imperatore exul fuerat amandatus. Ibi utriusque Concilii Carthaginensis decreta confirmata; Novatianus cum suis damnatus, & ab Ecclesia pulsus. Sedit Cornelius ann. 1. mens. 4., & martyrio coronatus est ann. Dom. 253., 16. Kal. Octob. Exstant ejus Epistolæ 2. ad Cyprianum, & 1. ad Fabianum Antiochenum, cujus fragmenta refert Eusebius, lib. 6. c. 35.

XXIII.

S. Lucius.

24. Post dies 35. creatus est Pontifex Lucius Romanus Porphyrii f. Statuit ut Episcopum in publicum procedentem duo Presbyteri, ac tres Diaconi comitarentur, honoris, ac testimonii causa. Eo sedente Antiochiæ Concilium habitum, (*ann. 254.*) Clero curante, in

in quo Novatianus damnatus, & Antiochenus Episcopus ab ejus partibus revocatus. In Africa. Tertium Carthaginens. ubi Therapius correctus, & Fidi quæsitis de baptismo responsum. Sedit Lucius ann. 1., mens. 4. d. 10., & sub Valeriano, & Gallieno martyrio clarus occubuit 4. Non. Martii ann. 255. Epistola ei tribuitur ad Hispaniæ, & Galliæ Episcopos sublestæ fidei.

X X I V.

S. Stephanus I.

25. Romanus, Lucii, ut fertur, Archidiaconus, post mensem solidum ei suffectus est. Statuit, ut Sacerdotes, & Diaconi non nisi in sacro ministerio, sacris vestibus uterentur. Martialem Arelatensem Novatiano faventem ab Episcopatu deposuit, authore S. Cypriano. Baptizatos ab Hæreticis rebaptizari prohibuit, Episcoposque Africanos contradicentes ab Ecclesiæ Romanæ communione, aut amovit, aut amovere comminatus est. Ea occasione plura in Africa celebrata Concilia. (*Carth. Quartum ann. 255. Quintum an eod. Sextum ann. 256. Septimum in eod. Octavum ann. 257.*) Primum Episcoporum 7., ubi Basilides Legionensis, & Martialis Asturicensis depositi. Secundum Episcoporum 70. Tertium in Numidia Episcoporum 18. Quartum, & Quintum Carthagine in ejusdem erroris confirmationem. Stephanus hujus postremi Concilii Legatos ad se missos affari, aut hospitio recipere noluit. De hac controversia late alibi. Quidquid fuerit, malè Pontificiæ authoritatis osores inde argumentantur; pessimè autem omnium Febronius Cypriani factum, tanquam sacræ, ut ipse loquitur, resistentiæ exemplum proponit, ad ejusque imitationem Episcopos adhortatur. Stephanus porro eadem qua Cyprianus Valeriani persecutione Martyr occubuit, quum Ecclesiæ clavum tenuisset ann. 3. mens. 3., d. 22. Colitur ejus memoria postrid. Kalend. Aug. Duæ Decretales nomen ejus præseferunt, dubiæ tamen habentur fidei, 1. ad Hilarium, 2. ad Episcopos omnes.

X X V.

S. Sixtus II.

26. Atheniensis Petri, & Pauli corpora ad Catacumbas transtulisse dicitur. Statuit ut Missæ sacrificium non nisi in Ecclesia celebraretur. Hunc Pontificem Dionysius Alexandrinus super baptismo Hæreticorum consuluit, ac de Sabellianæ hæresis exordio certiorem fecit.

Eo

Eo sedente Concilium Narbonens. I. celebratum (*ann. 259.*) in causa Pauli ejus urbis Episcopi falso accusati. Quum de Sabellio, & Nepote damnandi ageret, a Valeriano in carcerem detrusus est, deinde cum 6. Diaconis martyrio coronatus. De hoc Xisto vide quæ in Rufino diximus proleg. 3. Præfuit Ecclesiæ mens. 11., dies 12. Ei attribuuntur Epistolæ duæ, 1. ad Oratum Episcopum, 2. ad Hispaniæ Episcopos; utraque supposititii consulatus adjectione suspecta. Obiit 6. Augusti ann. 259.

XXVI.

S. Dionysius.

27. Natione apud Doujatium, Græcus post dies 36. vacationis Petri cathedram occupavit die 12. Sept. Urbis titulos, Cœmeteria, & Parochias inter Presbyteros, quorum longa Valeriani persequutione territoria erant interturbata, divisit. Eo sedente a Pacoro Parthorum Rege capto Valeriano, Gallienus pacem Ecclesiæ restituit. Paulus Samosetanus in Antiocheno Concilio primo (*ann. 269.*) negans, absolutus, deinde in alio confessus, sed resipiscere visus. Dionysius Alexandrinus (*ann. 266.*) de Verbi Divinitate male sentire visus tribus Apologeticis libris scriptis se purgavit apud Romanum Dionysium, de quo alibi. Sedit ann. 9., mens. 2., dies 4., obiitque 16. Kal. Decemb. ann. 268. Ei duæ adscribuntur Epistolæ altera ad Urbanum Præfectum, altera ad Severum Episcop. Ille adversus Sabellium, & Paulum Samosetanum dicitur scripsisse.

XXVII.

S. Felix I.

28. Romanus, Constantii f., quo Pontificatum ineunte, in 3. Antiocheno Concilio (*ann. 269.*) Paulus Samosetanus depositus est, & ab Ecclesia pulsus, de quo infr. Proleg. seq. Statuit Felix ut ad Martyrum tumulos Missæ celebrarentur, & eorum anniversaria dies coleretur. Sunt qui Dedicationis Ecclesiæ annuam celebritatem ad eundem referant. Eo Pontifice Manichæorum hæresis nata. Sedit ann. 4. mens. 5., & ob Christi confessionem occisus est 3. Kalend. Junii ann. 275. Cujusdam ejus Epistolæ adversus Samosetanum, & Sabellium fragmenta exstant apud Cyrill. Alexandrin. & Conc. Chalcedon. act. 1. Tres aliæ, sed non ejusdem authoritatis vulgò feruntur ad Paternum Ep., ad Benignum Ep., ad Episcopos Galliarum.

XXVIII.

XXVIII.

S. Eutychianus.

29. Natione Etruscus, patria Lunensis statuit, ut MM. rubris tunicis, non albis, ut prius, sepelirentur, quas alii Dalmaticas, alii Colobi avocant, de quibus alibi. Ipse propriis manibus 342. Martyrum corpora tumulasse dicitur. Eo Anatolius Episc. Laodicensis lucubrationes in Scripturam edidit, & Manichæorum hæresim impugnavit. Eutychianus fructuum terræ benedictionem adversus eosdem instituisse creditur, ut creaturas Dei esse, & bonas esse facto ipso profiteretur. Martyr occubuit sub Carino, & Numeriano die 8. Decemb. ann. Christi 283. quum sedisset ann. 8. mens. 6. Duæ ejus nomine inscriptæ epistolæ ad Episcopos Hispaniæ, & Siciliæ communi calculo rejiciuntur.

XXIX.

S. Cajus.

30. Dalmata, Diocletiani, ut fertur, consanguineus vetuit neminem ad ulteriorem gradum promoveri in Ecclesia, nisi priores suscepisset, & aliquanto tempore exercuisset. Hos autem gradus assignavit, Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri. Diocletiano in Christianos sæviente tempus aliquod in cryptis latuit, donec cum Gabino fratre comprehensus martyr occubuit die 22. April. quum sedisset ann. 12. mens. 4. Fertur ejus Epist. ad Felicem Ep. data Kalend. Martii Diocletiano Sextum, & Constantio iterum Coss. quod accidit ann. Christi 296., Caii ultimo.

XXX.

S. Marcellinus.

31. Romanus, qui timore correptus thus idolis adolevisse dicitur, de quo multa dicuntur ab Criticis, & Historicis. Quidquid fuerit cur id tantopere aut Pontificiæ authoritatis osores jactent, aut defensores impugnent, equidem non video. Marcellini Pontificis anno quarto, tertium Ecclesiæ sæculum completum est, ejusque postremo anno; (*Sæc. IV.*) seu tercentesimo Illiberitanum Concilium in Hispania ha-

habitum sub Osio Cordubensi, & 19. aliis Episcopis doctrinæ puritate, & disciplinæ austeritate commendatissimum. Præfuit Ecclesiæ Marcellinus ann. 7., mens. 11. d. 26., obiitque martyrio datus 6. Kal. Maii ann. Christi 304. Duæ ejus circumferuntur Epistolæ, altera ad Salomonem Episc. altera ad Episcopos Orientales, quæ tamen dubiæ fidei habentur.

XXXI.

S. Marcellus.

32. Romanus, quem omiserunt Eusebius & Hieronymus post fere 7. vacationis menses die 20. Novemb. Pontifex creatus est. Eodem anno Constantio Chloro Patre e vivis sublato Constantinus in Gallia ad Imperium evectus est. Ea tempestate Priscilla cœmeterium ædificavit, de suo nomine dictum, & Lucina bonorum suorum hæredem Ecclesiam instituit. Statuisse dicitur Marcellus, ut Generale Concilium sine Sedis Apostolicæ Sedis authoritate non celebraretur. Hoc tamen decretum desumptum esse videtur ex ejus epistola ad Maxentium, cujus fides vacillat. Ab eo tyranno Marcellus in catabulum missus situ loci, & squalore confectus obiit die 16. Januarii anno 310. sui Pontificatus sexto ineunte. Ei tribuitur supra citata Epistola ad Maxentium, & alia ad Antiochenæ Provinciæ Episcopos. Primam genuinam sed interpolatam putant Baronius & Binius, cui opinioni favere videtur. Epitaphium Marcelli postea a Damaso conscriptum.

XXXII.

S. Eusebius.

33. Græcus post 25. dierum vacationem electus est die 10. Februar., quem tamen Theodoretus omisit. Vetuit ne Laici Episcopum in Judicium vocarent. Inventionis Festum S. Crucis instituisse affert Gratianus, deceptus apocrypha Ep. ad Episcopos per Thusciam, & Campaniam. Eo tempore, aut circiter celebratum Conc. Alexandrinum ubi Meletius a Petro Alexandrino (*Conc. Alex.*) depositus, & Cyrthense (*Cyrth.*) ubi ab Secundo Tigisitano, Scripturarum Traditoribus venia concessa. Obiit Eusebius die 26. Septembr. ann. 311. Nec in Breviario, aut Martyrologio ulla exstat ejus memoria.

XXXIII.

S. Melchiades.

34. Afer statuit ut Dominica, & fer. 5. non jejunaretur, quod uterque ille dies Sacer a Paganis haberetur: ut ad sacrificium duo saltem lumina adhiberentur: plura decrevit circa oblationes, in his ut ad subditas Ecclesias oblationes deferrentur ex consecrato Episcopi, quod fermentum dicitur, de quo ad lib. 14. Ab Constantino datum judicem in causa Cæciliani scribit optatus, cum aliis Episcopis duobus. Ea super Causa Concilium Romæ coactum, (*ann. 313.*) ubi Cæcilianus absolutus, Donatus damnatus est, non tamen Cæciliani accusatores reliqui, nec Carthaginensis Concilii Patres, qui biennio (*ann. 314.*) ante Cæcilianum absentem, & inauditum deposuerant, suffecto Majorino. Ad hæc fere tempora (*eod. an.*) refertur Concilium Arreysanum, ubi convenientibus totius pœne Orientis Episcopis 25. canones editi sunt, ubi multa circa Lapsos, circa matrimonium, & bonorum Ecclesiæ alienationem salubriter præscripta. Obiit Melchiades die Decembr. 10. ann. 313. quum sedisset an. 2. mens. 2. dies 7. apud Doujatium. Duas illi Epistolas adscribit Isidorus alteram de primitiva Ecclesia, alteram ad Matrinum, & reliquos Hispaniæ Episcopos, quas apocryphas esse multis argumentis convincitur.

XXXIV.

S. Silvester.

35. Romanus multa statuit quæ in Breviario Romano habentur in ejus lectionibus. Lateranensem, Vaticanam, & Ostiensem Basilicas consecravit. Eo sedente Concilium Arelatense (*ann. 314.*) habitum est, ubi Cœciliani causa iterum discussa is in suam sedem fuit restitutus, & 23. canones circa disciplinam statuit. Deinde 14. additi in Conc. Neocæsariensi (*ann. 315.*) sub Vitali Antiocheno: Ariana hæresis Alexandriæ nata, ubi Cleri cœtu coacto Petrus Patriarcha, ac deinde 100. Episcoporum Concilio (*ann. 319.*) Arius damnatus est, & ab Ecclesia segregatus. Ad hujus, & Eusebii Nicomediensis querelas Osius Cordubensis Alexandriam ab Constantino missus coacta iterum Synodo, (*ann. 321.*) latam in Arium sententiam confirmavit. Idemque Concilium Nicœnum Oecumenicum I. (*ann. 325.*) Episcoporum 318. præsidibus Osio eodem, & Vito, seu Vitone, & Vin-

Vincentio. Celebrationi Paschæ certa dies statuta. Meletianum Schisma sopitum. Post annos aliquot causa de baptismo Hæreticorum ab Donatistis iterum agitata & discussa est, & Catholica doctrina in Africano Concilio confirmata 270. Episcopis congregatis. (*ann. 330.*) Eusebiani interea coactis Antiochiæ, Cæsareæ in Palestina, Tyrique Conciliis Athanasium exagitarunt. Silvester porro quum sedisset annos 21., menses 10., ac diem unum, obiit in pace prid. Kal. Januar. sive ultima Decemb. ann. 335. Epistola de Donatione Constantini, aliæque falso ipsi adscribuntur.

XXXV.

S. Marcus.

36. Die 15. Januarii Pontifex creatus est Marcus Rom. Prisci f. Statuisse fertur ut post Evangelium Nicœnum Symbolum pro Apostolico caneretur. Pallium Ostiensi Episcopo concessisse dicitur. Eo sedente Arius obiit, quum jam Constantinopolitana in Synodo (*ann. 336.*) Eusebianorum ope in suam Ecclesiam fuisset restitutus. Juvencus Christianus Poeta antiquissimus floruit. Marcus duabus ædificatis Ecclesiis migravit in pace Non. Octob. ann. 336., quum præfuisset Ecclesiæ mens. 8. dies 22. Episcoporum Ægypti ad Marcum, & Marci ad eosdem responsoria Epistola supposititia habetur.

XXXVI.

S. Julius I.

37. Romanus Rustici f. Athanasium ab sua Sede pulsum ad se confugientem benignè suscepit, atque in suam sedem solenni decreto restituit. Eusebianorum Conciliabula multa habita Alexandriæ, Antiochiæ, Seleuciæ. Hujus tamen circa disciplinam canones 25. authoritate deinceps, & usu Ecclesiæ recepti sunt. Mediolanense Catholicorum Episcoporum constantia statim evanuit, dilapsis Eusebianis. Romæ sub Julio Athanasii, Marcelli Aneyrani, Theognis, & aliorum Episcoporum accusatores quum vocati non adfuissent, illi omnes absoluti, & in suas Sedes restituti sunt datis ad Orientales Episcopos litteris. Idem confirmatum in Conc. Sardicens. ann. 347., Episcoporum plusquam 300., quod veluti Nicœni appendix habetur ab Romanis. Unde & Sardicenses 20. canones Nicœni vulgo dicuntur. In Sirmiensi Synodo Photinus Ep. damnatus, ac depositus; Ursacium ibi, & Valentem (verene, an subdole?) resipuisse, & in Ec-

Ecclesiæ communionem admitti postulasse Hilarius scribit. Habitum item Concilium Hierosolymis sub Maximo Patriarcha in causa Athanasii, itemque Carthagine sub Gratto Ep. ubi per tredecim canones Ecclesiastica Donatistarum factionibus interturbata, ipsis jam penè abolitis, confirmata est. Sedit Julius ann. 15. mens. 5., obiitque ann. Christi 352. ineunte. Martyrolog. in Rom. ejus memoria colitur prid. Idus Aug. Epistolas scripsit, unam ad Orientales Episcopos, aliam ad Alexandrinos, quarum Athanasius meminit Apol. 2., sicut etiam tertiam ad Decimum, cujus mentio fit in Actis Concil. Ephesini I. act. 1. At Epistola ad Dionysium Corinthium apocrypha est, cujus meminit Gennadius; Quas vero ad Orientales adducit Isidorus affert, Baronius rejicit, quasi spurias, aut saltem ex veris interpolatas.

XXXVII.

S. *Liberius*.

38. Post dies 25. electus est Pontifex Liberius Roman., Augusti f. qui primum Romæ, deinde Aquilejæ, tandem Arelate indicto Concilio, causam Athanasii discutiendam suscepit. Hoc postremum Constantio Imp. adnitente. Ibi convenientibus magno numero Eusebianis, & cedentibus Constantii timore Legatis Vincentio, & Marcello, Photinus, Marcellus, Athanasius damnati, Paulinus Trevirensis, quod ei sententiæ subscribere recusasset, in exilium missus. Similiter triumphatum est ab Eusebianis in Synodo Mediolanensi ubi supra 140. Episcopi Catholici in carcerem, aut exilium missi, cœteris in Athanasium subscribere coactis. In Byterrensi quoque Hilarius Pictaviensis suasu Saturnini Arelatensis relegatus, quem sequutus est Liberius ipse. Eo absente, sive ita procurante Constantio, sive agente Rom. Clero Pontifex electus est Felix II., cujus tamen nec Optatus, nec Hieronimus, nec Augustinus meminerunt. Populum cum eo communicare noluisse, & illo Ecclesiam ingrediente dilapsum esse scribit Athanasius. Felix tamen, qui Eusebianis fauturus credebatur, coacto Romæ 40. Episcoporum Concilio, Ursacium, & Valentem Eusebianorum Principes damnavit anathemate. Horum hortatu Constantius Liberium ab exilio revocavit, Felice cum suis Roma ejecto, ac tandem occiso. Sunt qui putant Liberio Roma digresso Felicem Pontificatum ambiisse, & illegitime occupasse, sed postea renunciante Liberio, verum Pontificem per Ecclesiæ acceptationem evasisse. Illo deinde mortuo, vel sponte renuntiante Liberium Constantia sorore Imperatoris hortante, iterum pristinam Sedem occupasse. Alii scribunt

bunt Liberium, quod in Sirmiensi Synodo Athanasii damnationi, & Arianorum propositæ fidei expositioni subscripsisset, ob hæresis crimen fuisse ab Episcopatu depositum, & ei Felicem subrogatum. Quum autem Constantius Athanasium ab Liberio condemnatum vidisset, quod maximè in votis habuerat, ipsum Romam redire jussisse. Sunt qui Felicem non Romanum Pontificem sed Vicarium ab Liberio designatum, in ejus absentia Ecclesiam gubernasse. Obiit Cære in Thuscia ann. Christi 257. die Julii 29. Quamvis autem tres fuerint Sirmii celebratæ Synodi, & quamvis Liberius vel tœdio victus exilii, vel falsis criminationibus deceptus Athanasii damnationi subscripserit, attamen hæreticæ formulæ subscripsisse nunquam convincitur. Sedit, annis exilii numeratis, 15., mens. 4., obiitque mens. Sept. anni 267. Felix sive suo, sive Liberii nomine rexit Ecclesiam ann. 2. Liberii circumferuntur 13. Epistolæ. Nonnullas scripsisse constat, quarum fragmenta adducit Hilarius, & Eusebius Vercellensis, sed videntur interpolatæ. Duæ adscribuntur Felici, quæ censentur spuriæ.

XXXVIII.

S. Damasus.

39. Hispanus ut fertur, Antonii f. in discordia electus competitore Ursicino, cujus factione oppressa, Damasus confirmatus Ursicino Neapolitana, vel ut alii volunt, Ravennatensi Ecclesia concessa. Damasus adulterii accusatus a Boncordio, & Callixto se purgavit plenissimè, ejusque accusatores pœna talionis damnati. Romanorum Pontificum vitas scripsisse dicitur soluta oratione, aliaque metro edidisse; de quibus alibi. Psalmos alternis vocibus in Ecclesia cani voluit, & ad quemque versiculum Gloria Patri addi. Hieronymo ad Ecclesiasticas Epistolas scribendas est usus. Concilii Ariminensis acta posteriora, quod & Liberius fecerat, irrita declaravit. Quatuor habuit Romæ Concilia. Primum (*ann. 368.*) in quo Nicena fides laudata, Ariminense Concilium proscriptum: Ursacius, & Valens ab Ecclesia pulsi: ad Africanos, & Ægypti Episcopos litteræ missæ. Secundum (*ann. 372.*) in quo Spiritus Sancti consubstantialitas definita, Auxentius Mediolanensis intrusus declaratus, & Dionysius restitutus. Tertium, (*ann. 374.*) in quo Apollinaris Laodiceni errores circa Trinitatem, & Incarnationem damnati. Quartum in quo Damasi electio confirmata, datæque ea de re ad Valentinianum Aug. litteræ. In Alexandrina Synodo Damaso de fidei Nicœnæ sanctione, & veritatis studio gratulatum. In Antiochenis duabus (*273, & 79.*) fides

fides Nicœna a toto fere Oriente recepta, Apollinaris, Vitalisque depositi, & ab Ecclesia ejecti. Tyanensi in Synodo (*367.*) Eustathius Sebastenus in suam sedem restitutus, & Nicœna fides recepta, sicut & in Illyrica Synodo. Cariæ contra in Synodo Arianis statuentibus. In Hispania eo tempore Priscillianistarum hæresis exorta, & in Toletano, Valentino, & Cæsaraugustano Conciliis proscripta. In Aquilejensi Episcoporum Latinorum 37., Palladius Illyricianus, Secundinusque Ariani damnati, atque e gradu depositi. In Romana sub Damaso quinta de Meletii, & Paulini controversia disceptatum (*ann. 380.*) Meletio dein vita functo, quem Orientales pro vero Antiocheno Episcopo habuerant inter Paulinum, & Flavianum controversia exarsit, rejecta tamen Gregorii Nazianzeni, & Synodi Romanæ sententia pro Flaviano statum in Conc. Constantinopolitano Episcoporum Orientalium 150. (*ann. 381.*) Ibi Maximo dejecto, Gregorius Nazianzenus sedit, viro tamen sanctissimo renuntianti suffectus est Nectarius. In eo Concilio Aerii, Arii, Eunomii, Macedonii, Apollinarisque errores damnati. Nicœno symbolo nonnulla ad majorem explicationem addita, ut illa: Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Spiritus Sancti consubstantialitas definita illis verbis: Et in Spiritum Sanctum Dominum &c. Hoc symbolum velut suæ fidei tesseram Romam miserunt, quo ab Damaso, & universa Occidentali Ecclesia summo consensu recepto, Constantinopolitanum illud Concilium Generale, sive Oecumenicum II. haberi cœpit. Symbolum hoc pro Nicœno in Missa cani cœptum, ubi illud cani consueverat. Damasus autem quum sedem tenuisset ann. 17., mens. 2. dies 17. vivere desiit 3. Id. Decemb. ann. 384. Decem feruntur ejus Epistolæ, omnes suspectæ fidei. Sedes vacavit mensem solidum.

XXXIX.

Siricius.

40. Romanus, Tiburtii f. statuisse dicitur, ut Monachi possent ad Episcopatum, promoveri, ut Sacri Ordines, non nisi servatis temporum interstitiis conferrentur; ut unus Episcopus Presbyteros ordinaret. Manichæos ab Ecclesia, bigamos ab sacris ordinibus exclusit. Eo sedente Priscillianus ab Maximo interfectus, Martino, & Ambrosio repugnantibus. Romæ 80. Episcoporum Concilium celebratum, (*ann. circ. 387.*) ubi Presbyterorum, ac Diaconorum continentia stabilita, vetitumque, ut qui post baptismum militiæ nomen dedissent ad sacros ordines promoverentur. Aliud (*ann. 390.*) item ad-

versus Joviniani errores. Carthagine Synodus congregata (*an. eod.*) sub Genethio ubi prohibitum ne Presbyteri chrisma conficerent, aut Virgines consecrarent, aut reconciliarent Pœnitentes. Secunda, ubi Primianus Cabarsussii comparere jussus, & tandem contumax damnatus, ac depositus, subrogato Maximiano. Tertia (*ann. 393.*) sub Aurelio, ubi quotannis conventus Episcoporum habendus indicitur, translationes Episcoporum sine Concilii, Presbyterorum sine Episcopi authoritate prohibentur: Canon Scripturarum, ei quem nunc habemus, simillimus, contextus est. Quarta, (*ann. 396.*) in quo hæc & alia circa disciplinam confirmata. Quinta, (*ann. 398.*) in qua Legati ad Imperatorem deputati pro stabilienda locorum sacrorum immunitate. Hippone duæ: in prima (*ann. 393.*) statutum ut quotannis Episcopi celebrando Paschati diem præfigerent; in secunda (*ann. 398.*) Augustinus, non sine Canonum infractione, vivente Valerio, Episcopus consecratus; dissimulatum tamen in viri præstantissimi gratiam, & quæ inde sperabatur proventuram universæ Ecclesiæ utilitatem. Mediolani Jovinianus damnatus, Ithacius & qui cum eo Priscilliani cœdem procuraverant, ab Ecclesia ejecti. In Antiocheno Concilio sub Flaviano Massaliani proscripti; in Constantinopolitano sub Nectario, Bagades, Agapiusque circa Bostrensem Ecclesiam disceptantes compositi. In Bagacensi apud Numidas Primianus, aut Primitianus restitutus, Maximiano deposito. In Taurinensi diversorum Galliæ Episcoporum circa jurisdictionem lites sedatæ. Syricius autem quum sedisset annos 15., mens. 1., dies. 11. e vivis excessit die 22. Febr. ann. 398. Accusatur quod Ruffinum familiarem habuerit, quod Paulinum Romam venientem durius exceperit, quod nuptias damnaverit. Ruffinus autem aliis etiam viris ejusdem ætatis sanctissimis, & doctissimis charus fuit, & ipsi quondam Hieronymo. Paulinus per saltum promotus fuerat, quod Siricius, qui id recens prohibuerat, dissimulare non potuit, ne approbare videretur. Tertium vero de damnatis Nuptiis ex ejusdem Siricii decretis, & Epistolis falsissimum esse alibi demonstrabitur. (*lib. 6.*) Epistolæ ejus germanæ habentur ad Himerium Tarraconens. ad Afros, cujus meminit Ferrandus: ad Mediolanensem Ecclesiam, cui respondit Ambrosius: item ad Orthodoxos per diversas provincias, cujus, & aliarum meminit Isidorus Hispalensis in lib. de Vir. illustr.

XL.

X L.

S. Anastasius.

41. Romanus Maximi f. statuit, ut dum Evangelium caneretur, Presbyteri starent, ut ad sacros ordines non admitterentur errones, aut peregrini homines, præsertim ultramarini, nisi quinque Episcorum litteris, ut vocant, Testimonialibus muniti. Mutilatos, debiles, ac enormiter deformes ad sacros ordines promoveri vetuit. Origenis libros περι αρχων, ejusque defensores damnavit. Eo sedente in duobus habitis Carthagine, & item Milevitana Synodo (*402.*) multa circa disciplinam, & Donatistas statuta. Item in Toletana circa Priscillianistas, ibi primum Romanus Pontifex antonomasticos Papa appellatus. In Ephesina (*ann. 400.*) Heraclides ab Joanne Chrysostomo ordinatus, & 6. Episcopi Simoniaci depositi. In Alexandrina, & Salaminia Origenes damnatus, quibus quum non statim subscripsisset Chrysostomus, Origenismi suspectus est habitus. Inde in Theophilum Alexandrinum Chrysostomus, in Chrysostomum Theophilus exarsit, qui ad Quercum prope Chalcedonem 36. Episcoporum coacto Concilio, quo Chrysostomus adesse renuit, absentem Chrysostomum damnavit, atque ab sua sede deposuit. Inde Eudoxiæ opera Chrysostomus ab Arcadio in exilium missus, & iterum restitutus. Concilium ad Quercum ab 40. coeuntibus Episcopis illegitimum declaratum, convenientibus vero Chrysostomi inimicis, ille rursum depositus, & in Armeniam relegatus. Anastasius porro quum sedem tenuisset ab die 14. Martii ann. 398., ad diem 8. Decembr. ann. 401., annos 3., mens. 9. migravit ab sæculo. Ejus Epistolæ ad Joannem Hierosol. meminit Hieronym., ejus quæ est ad Ursinum Liberatus in Breviar. Quæ est ad Germaniæ, & Burgundiæ Episcopos, & quæ ad Nerianum suspecta habentur. Hoc Pontifice quartum Ecclesiæ sæculum completum. Colitur ejus memoria 6. Id. Decemb. (*Sæc. V.*)

X L I.

S. Innocentius I.

42. Albanus post dies 25. Pontifex renuntiatus instituit jejunium Sabbathi in memoriam Sepulturæ Domini: biduo ante Pascha sacrificium fieri vetuit. Majores causas post Episcopale judicium, ad sedem Apostolicam deferendas voluit: Bigamum declaravit eum, qui ante baptismum uxorem aliam duxisset. Canonem Scripturarum con-

texuit, ab Apostolorum tempore in Ecclesia receptum. Eo sedente octo celebrata Carthagine Concilia. Primum (403.) in causa Donatistarum. Secundum (404.) ubi decretum de annuo Concilio abrogatum. Episcoporum ad Imperialem aulam accessus prohibitus sine litteris patentibus Concilii ad Pontificem, & hujus ad Imperatorem. Novæ Sedes Episcoporum, sine Concilii authoritate, & antiqui Episcopi consensu prohibitæ. In tertio (407.) litteræ gratulatoriæ ad Innoc. datæ pro pace inter Romanam, & Alexandrinam Ecclesiam in Chrysostomi causa dissidentes. In quarto (408.) Fortunatianus ad Cæsarem legatus missus contra Donatistas. In quinto (411.) & Sexto Honorius contra eosdem imploratus, & Augustinus cum 6. aliis Episcopis ad Collationem designatus. In Septimo (412.) Cœlestii; in octavo (415.) Pelagii errores damnati. Item Milevitanum de eodem argumento. Bracarense in Hispania ubi Expositio fidei ad Wandalos missa. Cirthense in causa Donatistarum. Diospolitanum, Hierosolymitanum, & Antiochenum in causa Pelagii, & Cœlestii, quos tandem Augustini præsertim opera Innocentius proscripsit datis ad Conc. Milevitanum litteris Kal. Mart. ann. 417. Coorta vero inter Honorium Aug. & Attalaricum Visigothorum Regem discordia, Pontifex Ravennam se contulit, ibique diem obiit 5. Kalend. Augusti ann. 417., quum sedisset ann. 15. mens. 6. dies 23. Feruntur ejus Epistolæ 34., quarum 21. insertæ sunt in Codicem Canonum, & communi consensu genuinæ habentur.

XLII.

S. Zozimus.

43. Natione Græcus Diaconis usum Manipuli concessisse dicitur: Cereum Sabbatho sancto benedici instituit. Pelagium, & Cœlestium ad se confugientes, tandem detectos solemni decreto condemnavit. Apiarium depositum, suo muneri restituendum curavit. Hinc ortæ PP. Africanorum quærimoniæ circa Nicœnum Canonem de appellatione ad Sedem Apostolicam, de quo alibi. Hæc in Concilio Africano ann. 419., quo eodem mensis Decembr. die 26. Zozymus vivere desiit quum sedisset ann. 1. mens. 4. Tredecim feruntur ejus Epistolæ, ex quibus duæ Codici Canonum insertæ.

XLIII.

X L I I I.

S. Bonifacius I.

44. Romanus, Jucundi f. in discordia electus cum Eulalio. Pro hoc Præfectus Symmachus, pro Bonifacio pars Cleri sanior ad Honorium Aug., detulerunt. Ille utroque Roma exire jusso, Concilium indixit Clericorum, qui neutrius electioni interfuisset, curam Ecclesiæ interea Achilleo Ep. Spoletano committens. Eulalio vero turbas in Achilleum excitante, Concilium Bonifacii electionem confirmavit. Ejus hortatu Honorius legem tulisse fertur, ut in duorum discordia tertius alius Rom. Ecclesiæ præficeretur: servos; & obligatos ad ratiocinia ab sacris ordinibus exclusit: Soteris decretum circa fœminarum in Ecclesia ministerium instauravit. Eo sedente Concilium Hippone coactum, ubi Antonius Fussalensis depositus. Sedit Bonifacius annos 3., mens. 8., d. 28., obiitque mensis Septemb. die 28. ann. 422. Exstant ejus 3. Epistolæ Codici Canon. insertæ.

X L I V.

S. Cœlestinus I.

45. Campanus, Prisci f. cujus electionem Eulalii fautores turbare tentarunt; hoc tamen sponte renunciante, quieverunt. Rusticolam Novatianæ factionis Antipapam ultimum silere, ac latere coegit. Introitum, & Graduale Missæ addidit. Palladium in Hiberniam, Lupum, & Germanum in Angliam misit. Eo tempore Julianus Pelagianus a Theodoro Mopsuesteno damnatus. Augustinus Heraclium in Conc. Hipponensi successorem sibi destinavit. Apiarius iterum depositus Cœlestinum malis artibus deceptum induxit, ut Faustinum Legatum in Africam mitteret. Convenientibus tamen Carthagine Episcopis, convictus, & sua scelera confessus depositus est, atque ab Ecclesia ejectus. In Conc. Romano (*ann. 430.*) Nestorius damnatus, data Cyrillo Alexandrino eum admonendi, & nisi resipisceret deponendi, authoritate. Ea occasione Ephesi tertium Œcumenicum Concilium coactum, (*431.*) ubi Nestorius depositus, & paulo post in suum antiquum Monasterium detrusus. Sedit Cœlestinus annos 8. mens. 10. d. 17. Tres ejus Epistolæ in Codicem Canonum relatæ.

X L V.

S. Sixtus III.

46. Romanus Sixti f. in anniversario suæ consecrationis, quod primus celebrasse invenitur, Concilium celebravit, in quo sibi, & Ecclesiæ gratulatus est de concordia Cyrilli Alex., & Joannis Antiocheni in Antiochena Synodo stabilita. Helladium Tarsensem, & Eutterium Tianensem inde ad se venientes benignè excepit. Eo tempore in Rhegiensi Concilio Armentarius, quod a duobus Episcopis consecratus fuisset, in Chorepiscoporum numerum redactus est, & in ejus ordinatores animadversum in Euphratesiana nonnulli Episcopi Nestorii fautores in concordiam adducti, Theodoreti exemplo. In Anabarzica, Eusebianis quibusdam pro Theodoro Mopsuesteno intercedentibus, Cyrillus restitit. Sedit Sixtus ann. 7. mens. 11. dies 12. obiitque ann. Dom. 439.

X L V I.

S. Leo I.

47. Etruscus, Quintiani f. Attilam ab urbis obsidione Gensericum ab ejus direptione cohibuit. Hic primus in die suæ exaltationis ad promiscuum populum concionem habuit. In actione Mysterii addidit: sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Ejus ætate Concilium Arausicanum I. celebratum. In Arelatens. III. bigami a subdiaconatu exclusi. Ephesi Synodus habita dicta Latrocinium, ubi Eutyches, & Barsumas absoluti, Flavianus depositus, & penè occisus paulo post obiit. Hæc Synodus ab Leone in Romano Concilio damnata. In Toletano contra Priscillianistas, Spiritus Sancti a Patre, & Filio processio declarata. Constantinopolitana tria sub Anatolio contra Eutychem, unum sub Gennadio contra Simoniacos. Demum Marciano, & Pulcheria imperantibus Oecumenicum IV. Chalcedone celebratum, (*453.*) ubi Dioscorus damnatus, & in Paphlagoniam exul missus, Eutyches, & Nestorius damnati, Ibas, Theodoretus, Eusebius in suas sedes restituti. Leo demum vitæ sanctitate, doctrina, & rerum gestarum gloria clarissimus obiit 3. idus Aprilis ann. 460. quum sedisset ann. 20., mens. 11. De Leonis epistolis, & scriptis alibi. (*proleg. 3.*) .

XLVII.

XLVII.

ſ Hilarus.

48. Sardus, Crispini f. post 7. vacationis menses electus futuri successoris designationes factas prohibuit occasione Nondinarii Barcinonensis, qui Irenæum successorem nominaverat. Habitum eo sedente Concilium Tarraconense, & Vennetense, duoque in Hybernia sub Patritio pro novæ illius Ecclesiæ disciplina. Sedit Hilarus ann. 6., mens. 3., obiitque 8. Kalend. Martii ann. 467. Habentur decreta ejus in Syn. Rom. & 8. Epistolæ.

XLVIII.

Simplicius.

49. Tiburtinus Castini f. restitit Leoni Imp. & Acacio Patriarchæ postulantibus confirmationem 28. Canonis Chalcedonensis de æqualitate honoris Constantinopolitanæ cum Rom. Ecclesia. Inde orta discordia, Acacius Petrum Fullonem in Antiochena Synodo, & alios in Chalcedonensi depositos restituit. Ipse Acacius deinde dejectus Paulo, Fullo Joanni Apamensi locum dedit. His pulsis Acacius restitutus tres illos dejecit. In Arelatensi Synodo Lucidi errores circa Prædestinationem damnati, ipsomet Lucido Fausti Rhegiensis opera palinodiam canente. Sedit Simplicius ann. 15., obiitque ineunte Martio ann. 482. Feruntur ejus Epistolæ 12., quarum duæ Codici Canonum insertæ.

XLIX.

Felix II.

50. Romanus (alias III.) Acacium, & Fullonem ab Ecclesia semovit in Synodo Romæ semel atque iterum congregata. In 3. plurima statuta pro disciplina circa lapsos in persequutione Wandalica. In Lugdunensi Synodo Lucidi retractatio accepta, & laudata. In Constantinopolitana, occasione coronationis Anastasii Imperatoris congregatis Episcopis, decreta Chalcedonensis Synodi admissa sunt, quæ prius opera Euphemii Patriarchæ ab Imperatore recepta. Felicis constantia enituit in rejiciendo Zenonis Henotico, sive unionis pro utraque Ecclesia edicto. Vitalem, & Massenium Romanæ Sedis Apocri-

siarios in Orientem missos, & Simoniacos compertos excommunicavit. Episcopos non nisi in Ecclesiis consecrandos decrevit, obiitque mense Februario ann. 491. quum sedisset annos 8., mens. 11. dies 17. Epistolas ejus 15. numerat Labbæus.

L.

S. Gelasius.

51. Afer, Valerii f. Lateranensem Ecclesiam Canonicis Regularibus S. Augustini commisisse dicitur à Panvinio: Messenium pœnitentem in communionem recepit: Euphemium C. P. Patriarcham, quod Acacii nomen in Dypticis recitaret, excommunicavit: Manichæos Roma expulit, eorumque libros publicè combusit. Horum ut fraudibus obviam iret, Leonis decretum de Eucharistia sub utraque specie etiam ab Laicis sumenda instauravit. In Romana Synodo Librorum quum Canonicorum, tum Ecclesiasticorum indicem contexuit, qui exstat apud Gratianum: Eutychem, Pelagium, Nestorium scriptis confutavit: Hymnos, Præfationes, & precandi formulas Liturgiæ addidit, vitæque sanctitate, & Ecclesiastica doctrina conspicuus obiit 11. Kalend. Decemb. ann. 495. quum sedisset ann. 4. mens. 8. dies aliquot. Feruntur 13. ejus Epistolæ; de scriptis alibi. (*lib. 3. prol.*)

LI.

Anastasius II.

52. Romanus, Fortunati f., quo sedente in Conc. Constantinop. Euphemius Patriarcha depositus, Clodovæus Francorum Rex ab Remigio Rhemensi baptizatus, gratulante per litteras Pontifice. Episcopi 120. ab Thurismundo Wandalorum Rege Ariano in Sardiniam relegati. Ab hoc Pontifice Anastasium Imper. excommunicatum plures existimant, Symmachi Papæ posterioris testimonio innixi. Anastasium Pontificem cum Photino Acacii fautore communicasse, atque ideo Romanis in suspicionem venisse, imo repentina morte sublatum fuisse Gratianus, & Platina scripserunt, quos Baronius, & alii impugnarunt. Sedit annos ferme duos, obiitque die 16. Nov. ann. 497.

LII.

LII.

S. Symmachus.

53. Sardus electus in discordia cum Laurentio, qui Zenonis Henoticon se confirmaturum promiserat. Vixit tamen Ravennæ apud Theodoricum Regem Symmachi causa. Ea super re multa Romæ Concilia celebrata. (*ann. 501.*) I. circa futurorum Pontificum electionem. II. in quo Laurentio de Nocerano Episcopatu provisum. III. pro abrogatione legis Odoacri, qua vetuerat, ne absque Regis Italiæ consensu Pontifex crearetur. IV. sive ab loco, sive ab effectu dictum Palmare, ubi Symmachus coram Theodorico Rege, & Ennodio Ticinensi ab oppositis sibi criminibus se egregiè purgavit. V. contra bonorum Ecclesiæ invasores. Item Agathense, ubi 48. circa disciplinam canones promulgati. Lugdunense quoque Gundevaldo Ariano præsente, Tolosanumque, & Aurelianense coram Clodovæo. Antiochenum item sub Flaviano; ubi Oecumenica Concilia præter Chalcedonense, recepta. Demum Sydoniense Episcoporum 80., opera Anastasii Imperatoris; qui Zenonis Henoticon ab his confirmandum crediderat; sed non obtinuit. Symmachus interea pietatis operibus intentus captivos multos redemit, Episcopos in Sardiniam relegatos litteris, & corrogatis eleemosynis est consolatus, templa nonnulla ædificavit, alia amplificavit, ac redditibus auxit. In Dominicis, & Martyrum festis Hymnum, Gloria in excelsis cani decrevit, obiitque 14. Kalend. Aug. quum sedisset ann. 15. mens. 8. d. 3., nimirum ab 16. Novemb. ann. 497. ad 19. Julii ann. 513. Habentur Symmachi Epistolæ decem, sed multæ ex his Ennodii Ticinensis, non Symmachi sunt. Eo sedente Quintum Ecclesiæ sæc. completum. (*Sæc. VI.*)

LIII.

S. Hormisdas.

54. Campanus Justi f. pro utriusque Ecclesiæ pace ad Anastasium; & Justinum legatos misit, tandemque sub hoc adnitente Joanne Patriarcha fœdus initum ab urbe pulsis Acacianis. Pax item Africanæ Ecclesiæ reddita sub Ilderico Thrasimundi filio. In Conc. Illyrico cum Joanne Nicopolitano, 7. alii Episcopi Catholicæ fidei adhæserunt. Hac primum ætate Monachorum Cænobia in Occidente memorantur. In Hispaniis Tarraconense, & Gerundense Concilia habita.

In

In Gallia Epaonense sub Sigismundo Rege, & Avito Viennensi, ubi Rogationes publicæ ac Litaniæ institutæ fer. 5., 6., & Sabbatho ante Pentecostem. In Hierosolymitana, Tyriaque Chalcedonense Concilium receptum, sicut in Constantinop., cum Leonis ad Flavianum Epistol. In alia cum Acacio, & aliis Schismaticis, Zeno, & Anastasius Impp. è Dypticis abrasi. In 3. pro Joanne Epiphanes electus. In Agaunensi psalmodia jugis ad S. Mauritii Monasterium instituta. Controversam inter Scythiæ Monachos thesim: Unus de Trinitate passus est, Hormisdas supprimendam censuit. Sedit ann. 9., dies aliquot, obiitque 6. Aug. ann. 522.

L I V.

S. Joannes I.

55. Etruscus fidei, & Theodorici Regis causam acturus Constantinopolim ad Justinum Aug. profectus, ab hoc benignissimè exceptus est. Hoc Pontifice Juncense, Ilerdense, Valentinum, Arelatense, Suffetanum, & Africanum celebrata Concilia. In postremo appellationes ultramarinæ vetitæ, & Monachorum Cœnobia ab Clericorum jurisdictione primum, ut videtur exempta. Joannes ab Theodorico Ariano in carcerem detrusus, Ravennæ obiit 27. Maii ann. 526. quum sedisset ann. 2., mens. 9. d. 14. In Brev. Rom. fit mentio ejus Epistolæ ad Italiæ Episcopos.

L V.

S. Felix III. (Alias IV.)

56. Samnii Castorii f. post duos vacationis menses electus est die 24. Julii. Epiphanem Constantinop. Patriarcham excommunicasse nonnulli dixerunt: de Semipelagianorum erroribus consultus ab Cæsario Arelatensi ex S. Aug. libris extractas sententias ad eum misit, quibus Semipelagiani in Arausicano, Carpentoractensi, Valentino, & Vasensi Concilio damnati sunt. In hoc Seminaria Clericorum primum adumbrata. In Toletano urbs illa Hispaniæ Metropolis vocata. Felix vero quem nonnulli M. Gregorii atavum fuisse commemorant, sedit ann. 4., mens. 2. dies 18., obiitque 12. Octob. ann. 530. Tres ejus habentur apud Isidorum Epistolæ non satis constantis fidei.

LVI.

L V I.

Bonifacius II.

57. Romanus, Sigismundi f. in discordia electus cum Dioscoro, qui ab Hormisda ad Justinum fuerat legatus missus; hoc tamen intra paucos dies mortuo, Bonifacii electio confirmata est. Ille Dioscorum post mortem anathemate feriit, & vocatis Electoribus Vigilium sibi successorem nominari curavit, resistente tamen Attalarico Rege, quod id insolitum, & contra antiquos canones factum diceret, factum revocavit, & Electoribus liberam alterius eligendi facultatem permisit, legem tamen tulit, ut 3. a morte Pontificis die successor eligeretur. Arausicanum Concilium confirmavit: Stephanum Larisæum ab Epiphane depositum excepit, atque in ejus causa cognovit. Eo sedente Justiniani jussu Catholicorum cum Severianis habita Collatio, quæ inter Constantinopolitana Concilia habetur. Sedit Bonifacius ann. 2., obiitque 15. Kalend. Octob. ann. Dom. 532. & adscribitur Epistola ad Eulalium Alexandrinum dubiæ fidei. Certior alia ad Cæsarium Ardatensem.

L V I I.

Joannes II.

58. Romanus, Projecti f. statuta Arausicani Concilii adversus Simoniacos confirmavit, imo adversus eosdem Imperatoris legem obtinuit. Atæmetas, seu Vigiles Monachos, uti Nestorianos damnavit. Monachis Scythiæ thesim illam: Unus de Trinitate passus est, defendendam permisit Eutychiana jam hæresi abolita, ob quam Hormisdas eam silentio supprimendam decreverat. Sedit ann. 2. mens. 7. dies aliquot, obiitque mense Maii ann. 535. Exstat in Codice ejus ad Justinianum Epistola; quinque aliæ dubiæ sunt.

L V I I I.

S. Agapitus.

59. Romanus, Gordiani f. Dioscorum a Bonifacio post mortem excommunicatum absolvit, Vigilii electionem ab eodem Bonifacio factam, & revocatam, irritam declaravit. Constantinopolim seu sponte, seu hortatu Theodati regis profectus oppignerata D. Petri supel-

pellectile, Justinianum Anthymo, & Eutychianis faventem a sententia dimovit. Itaque coacta Synodo Anthymus depositus, Menna in ejus locum suffecto. Idem in pleniori alia Synodo confirmatum, addito in Severum Antiochenum, Petrum Apamensem, & Zoarum Monachum anathemate, in Concilio Hierosolymitano Episcoporum 40. eadem confirmata sententia. In Carthaginensi sub Reparato, petitum, obtentumque ab Justiniano, ut Africanis Ecclesiis bona omnia, juraque a Wandalis ablata restituerentur. In Claromontano sub Theodeberto Rege vetitum, ne quisquam intercessione Regum, aut Optimatum adscisceretur in Episcopum. Agapitus autem Pelagio apud Imperatorem Aprocrisiario constituto, extinctus est mense Junio ann. 536., quum sedisset mens. 11. dies 19. Octo feruntur ejus Epistolæ, sed 5. ad Anthymum suspicione non vacat.

LIX.

S. Silverius.

60. Campanus, Hormisdæ, ut fertur nondum sacris initiati filius, invadente urbem Belisario accusatus, quasi urbem Gothis tradere statuisset, simulque Theodoræ Aug. invisus, quod Anthymum restituere renuisset, Belisarii opera ab irata fœmina Roma pulsus est, Ecclesiæ administratione commissa Vigilio. Hic Silverium, Monachali veste indutum Pataram Lyciæ urbem exulem amandavit. Inde Justiniani jussu revocatum Belisarius eidem Vigilio custodiendum tradidit, qui rursum Silverium in Pontiam insulam relegavit, ubi ille coacto Episcoporum cœtu multa salubriter statuisse dicitur. Eo sedente in Concilio Arausicano triginta circa disciplinam canones promulgati. Obiit Silverius 12. Kal. Julii ann. 539., quum sedisset ann. 3. Ejus nomini adscribuntur Epistolæ duæ, sed utramque Baronius, aliique rejiciunt.

LX.

Vigilius.

61. Romanus, quondam vivente Bonifacio II., ei successor electus præconceptam animo Romani Pontificatus spem nunquam deposuit. Tandem cognita Silverii morte Clerus in ejus electionem consensit, adnitente Theodora Augusta, cui Menna excluso Anthymum restituere, & Acephalos Eutychianos in communionem recipere promiserat. Pontifex tamen factus, & Constantinopolim seu vi, seu sponte pro-

profectus contrarium fecit, fremente Augusta, & omnia in Vigilium intentante, qui & ipsam Apostolico fulmine aut icit, aut icere tentavit. Eo sedente duo Arausicana Conc. celebrata. Quartum nimirum, ubi bonorum Ecclesiæ usurpatio Laicis prohibita, & alienatio Clericis. Sunt qui ex hujus Concilii can. 33. jus Patronatus Laicorum natum putent. In Quinto ordinatio Episcopi aut Simoniaca, aut vi, & metu facta irrita declaratur, præsente Childeberto Rege. In Claromontano, 15. Arausicani Canones confirmati. In Parisiensi Suffaracus depositus, suffecto Eusebio. In Mopsuesteno Theodorus quondam ejus urbis Episcopus in Dypticis quæsitus, nec inventus est. In Illyriciano ab Episcopis trium Capitulorum defensoribus Benenatus depositus, & proscriptus. Trium autem Capitulorum controversia nata est ab Theodoro Cæsariensi. Quum enim Pelagius Romanæ Sedis Aprocrisiarius decretum ab Justiniano impetrasset, ut Origenis libri jam pridem ad Anastasio R. P. damnati prohiberentur, Theodorus Cæsariensis Origenis sectator, quo id eluderet, simulque lenocinaretur Imperatori, quem fœderis inter Nestorianos, & Eutychianos sanciendi studiosissimum noverat, tria illa Imperatori proposuit a Vigilio postulanda famosa Capitula. I. ut Theodori Mopsuesteni scripta, II. ut Theodoreti Commentaria in Cyrilli Anathematismos, III. ut Ibæ Edesseni Ep. epistola ad Mann Persam condemnarentur. Ea de re quatuor habitæ Constantinopoli Synodi. In 1. tria Capitula primum ab Justiniano proscripta, condemnata sunt Vigilio confirmante per decretum, quod Judicatum appellavit. Obstantibus autem Occidentis fere universis, & multis Orientis Episcopis decretum illud revocavit. In 2. Vigilius cum Latinis Episcopis 13. Theodorum Cæsariensem deposuit, Mennam 3. sub Menna, in quo Origenis scripta damnata. Quarta denique, & Oecumenica seu Generalis quinta, in qua Vigilio præesse, imo adesse recusante, quum compertum esset per trium Capitulorum damnationem, nihil Chalcedonensis Concilii authoritati derogari, ea damnata, & proscripta sunt confirmante Vigilio per decretum, quod Constitutum appellavit anno 553. Quinta hæc Synodus ab Palestinæ Episcopis in Synodo Hierosolymitana primum recepta. In Arelatensi Monasteria omnia Episcopis subjecta declarata in 2. alia nonnulli Canones confecti. Vigilius Romam redire permissus in Sicilia insula diem obiit postremum, quum sedisset legitimus Pontifex ann. 14. mens. decem. Exstant ejus Epistolæ sexdecim.

LXI.

L X I.

Pelagius I.

62. Post menses tres, ac dies quinque accedente Imperatoris consensu, qui eam sibi post Theodati mortem facultatem arrogaverat, electus est Pelagius mens. Aprili ann. 554. Eo Pontifice Parisiensis Synodus celebrata, contra Simoniacos, aut Principum favore electos Episcopos. Hinc in Santoniensi Heraclius electus deposito Emerio, qui tamen a Clothario Rege restitutus est. Bracarensis item Synodus coacta adversus Priscillianistas. Statuisse dicitur Pelagius, ut Hæretici & Schismatici sæcularibus Magistratibus puniendi traderentur. Sedit annos 11., menses fere undecim, obiitque 4. Non. Martii ann. 566. Feruntur ejus nomine epistolæ 16., sed prima ad Vigilium Ep. falsa suspicione non caret.

L X I I.

Joannes III.

63. Romanus, Anastasii f. Justini II. tempore vixit, quum Longobardorum bello afflicta Roma, vastata Italia vix Pontificum, ac sanctionibus Occidentis Ecclesia regi poterat. Pontifex Salonium Vapiensem, & Sagittarium Ebrodunens. in Conc. Lugdunensi depositos ad Sedem Apostolicam appellantes benignè excepit, & suis Sedibus restituit. In Synodo Turonensi cultus imaginum ex usu antiquo confirmatus: in Parisiensi multa circa disciplinam statuta, Promotus Ep. depositus, sed ab Sigeberto Rege retentus. Sedit Joannes annos 7., quo tempore Armenia Christi fidem suscepit, obiitque Idib. Jul. ann. 573. Ejus una fertur Epistola, sed incertæ apud Criticos fidei.

L X I I I.

Benedictus I.

64. Romanus, Bonifacii f., quem nonnulli Bonosum dicunt, Gregorium R. Eccl. Diaconum fecit. Eo sedente Prætextatus Rotomagensis opera Chilperici Regis ab Episcopis 45. in Parisiensi synodo depositus, obstante Gregorio Turonensi viro sanctissimo, deinde ab Rege in exilium missus, quod Merovæi seditionis conatibus favere crederetur. Benedictus calamitatum Italiæ dolore oppressus obiit 29. Julii

Julii ann. 577. quum sedem tenuisset ann. 4. dies aliquot. Unica illi epistola sed non certæ fidei adscribitur.

L X I V.

Pelagius II.

65. Post menses duos, ac dies decem ineunte Octobri electus est Pelagius origine Gothus, patriæ Romanus, qui Gregorium Constantinopolim Apocrisiarium misit: primus in suis literis Indictionis notam adhibuit: Patriarchatum ex Aquilejensi in Gradensem Ecclesiam transtulit. Ejus tempore in Cabilonensi Concilio Salonius, & Sagittarius iterum depositi. In Bremacensi Gregor. Turonensis accusatus, & quum se plenissimè purgasset, absolutus, ejus accusatoribus damnatis. In Matisconensi I., & II. diversi Canones promulgati signatè circa solutionem Decimarum, & cultum diei Dominicæ. In Lugdunensi vetitum Episcopis ne Natale Domini, aut Pascha extra suam Diæcesim celebrarent. In Abisiodorensi Matisconenses Canones confirmati. In Valentino pia Gumtranni Regis, & Austrasildæ Reginæ donationes susceptæ. In Toletano, & Narbonensi Arianismus fere ab tota Gothorum gente abjuratus. Symbolum Constantinopol. cum additione filioque juxta Orientalium Ecclesiarum consuetudinem in Missa cani jussum. In Narbonensi etiam versiculus: Gloria Patri ad finem psalmi cujusvis additus, tanquam brevis quædam fidei adversus Arianos repetita professio. Interea Pelagius pietate, & misericordia in pauperes insignis abiit ad Cœlites 6. Id. Februar. quum sedisset ann. 12., menses 4., nimirum ab Octob. mens. anni 577., ad Febr. ann. 590. Ei novem adscribuntur Epistolæ, quarum I., II., & VIII. dubiæ habentur apud Criticos.

L X V.

S. Gregor. I.

66. Post septem vacationis menses ineunte Sept. electus est Gregor. Roman., Gordiani f. Ejus gesta, ac decreta, ob quæ Magni cognomen adeptus est, habentur in Breviario Romano. Quatuor Romæ celebravit Concilia. Eo sedente celebratæ Synodi Hispalensis sub Leandro circa pias Gaudentii Ep. donationes, Metensis, ubi Ægidius Rhemens. depositus, & ab Childeberto in exilium missus. Cæsaraugustana, Carthaginens., Pictaviensis, Toletana, Oscensis, Barcinonensis, Anglicana sub Augustino Monacho, ubi multa circa disci-

pli-

plinam stabilita. Gregorius vero sexto humanæ salutis sæculo felicissimè completo in cœlos evolavit 4. Id. Martii, quum sedisset ann. 13. mens. 6. ab Sept. mens. ann. 590. ad 12. Martii ann. 604. De Epistolis, & libris ejus alibi, (*Sæc. VII.*)

L X V I.

Sabinianus.

67. Post mens. 5. d. 19. prid. Kal. Sept. electus est Sabinianus Volaterranus, qui Canonicas horas, & earum dicendarum tempora statuisse dicitur, de quo alibi. (*lib. 12.*) Hunc Pontificem Gregorio decessori suo infensissimum fuisse, adeo ut ejus libros igni tradendos censuerit, nonnulli scripserunt. Eo sedente inter Phocam, & Aguilulphum Longobardorum Regem sancita pax, & Cantuariensis Synodus celebrata, pro confirmatione Abbatiæ SS. Petri, & Pauli, quæ primum in Anglia erecta fuerat. Sedit ann. 1., mens. 6. dies aliquot, obiitque Id. Februar. ann. 606.

L X V I I.

Bonifacius III.

68. Post annum fere solidum electus redeunte Februar. ann. 607. Synodum habuit Romæ Episc. 72. ubi vetitum ne quis vivente Pontifice, de ejusdem successore loqueretur, ageretve: ne Episcopi nisi ab Clero, & populo eligerentur, omni pretio, aut Principum favore secluso. Eo suadente Phocas Cyriaco C. P. vetuit ne sibi Episcopi Oecumenici nomen arrogaret. Bonifacius decimo sui Pontificatus mense nondum completo exstinctus est prid. Id. Novemb. ann. 607.

L X V I I I.

S. *Bonifacius IV.*

69. Marsus Joannis f. post duos menses electus 18. Januar. ann. 608. Eo sedente urbs Hierosolyma a Chosroa occupata, Phocas exstinctus, Heraclius subrogatus. Concilia celebrata, Toletanum, Romanum, Parisiense, quod Generale Galliarum dicitur, ubi Clothario Rege præsente, libertas in Episcoporum electione confirmata. Sedit an. 6., mens. 4., obiitque postr. Non. Maii ann. 614. Menses 7., d. 25. sedes vacavit.

LXIX.

L X I X.

§. Deusdedit I.

70. Romanus Stephani f. ineunte Januario ann. 615. è Subdiaconatu ad Pontificatum evectus fuit, ut fertur; quod tamen cum his quæ Panvinius scripsit, non cohærent. Asserit enim hunc primum è Cardinalibus assumptum: fuisse autem ei Titularem Ecclesiam SS. Joannis, & Pauli. At Ecclesiæ non dabantur in Titulum, nisi Presbyteris, post etiam Diaconis; Subdiaconis nunquam. Eo sedente devictus Chosroas, & Crux ab Heraclio recuperata. Dicitur hic in Clero secundam Missam instituisse, de cujus Canonis sensu alibi dictum. (lib. 14.) Obiit 6. Id. Novemb. ann. 617. Pontificatus sui tertio nondum completo. Unica ejus fertur Epistola ad Gordianum Hispalensem, quæ suspecta habetur.

L X X.

Bonifacius V.

71. Campanus Romanum jus Asylorum ad Christiana templa transtulisse dicitur: Sacrilegos excommunicationis pœna mulctasse. Laicis MM. reliquias tangere prohibuisse. Eo sedente Mahometus suæ sectæ fundamenta posuit, & in Hispalensi Synodo sub Isidoro inter alia statutum ne Clerici communibus Laicorum vestibus uterentur. Sedit Bonifacius annos 5., obiitque ann. 622. ineunte Decembri.

L X X I.

Honorius I.

72. Capuanus Petronii f. cujus ætate Monothelitarum hæresis emersit ducibus Sergio C. P. Patriarcha, & Cyro Alex., resistente Sophronio Hierosolymitano. Sergius datis litteris rem ad Honorium retulit, qui homine hactenus incorruptæ fidei laudato, unius, aut duplicis voluntatis vocabulo, abstinendum censuit, & controversiam ad Grammaticos potius, quam ad Theologos amandandam existimavit. Ob male intellectam, aut corruptam ab Græcis Honorii epistolam, Monothelita habitus, & cum Sergio, & Cyro in 6. Synodo damnatus, de quo alibi. Honorio Pontifice Rhemensis, Aurelianensis, & Toletana Synodus celebrata. Mahometus adjunctis sibi Arabum, &

Saracenorum copiis Rom. Imperio minabatur. Honorius vero anno sui Pontificatus 12. completo, ac mensibus 10. ad plures abiit 12. Octob. ann. 635. Sex ejus feruntur Epistolæ, quarum tertia, & quarta habentur in 6. Synodo act. 2., & 13.

LXXII.

Severinus.

73. Romanus, Labieni f. ab Isaccio Exarcha jussu Imperatoris confirmatus, quum Heraclianam Ectesim, quod ille speraverat, confirmare renuisset, in Exarchæ odium incidit maximum. Isaccius Lateranensem Ecclesiam rebus quibusque pretiosissimis expilavit. Severinus dolore oppressus tertiò sui Pontificatus mense occubuit. Electus nimirum fuerat post vacationem anni, & mens. 7., mense Majo ann. 637.; Aug. autem mense è vivis excessit. Clippiaci, & Toleti habita Concilia, in quibus nihil notandum. Menses iterum quinque sedes vacavit.

LXXIII.

Joannes IV.

74. Itaque Januario exeunte ann. 638. electus est Joannes Dalmata, Venantii f. qui Scotorum litteris ad Severinum datis respondens eos qui Pascha cum Judæis celebrabant, & Pelasgianismum suscitabant excommunicavit. Monachis Siciliæ Monachum Presbiterum præfecit: pro Honorio Pontifice Apologiam scripsit. Ectesim Heraclianam in Concilio Rom. damnavit. Pyrrhus tamen Sergii successor, cum Anastasio Antiocheno, & Cyro Alexandr. eam defendendam susceperunt, statueruntque neminem, nisi ei subscriberet, ad Episcopatum promovendum. Sedit Joannes ann. 1. mens. 9. dies 9., obiitque mense Novemb. ann. 639. Mensem 1., dies 13. sedes vacavit.

LXXIV.

Theodorus.

75. Græcus, quo sedente Heraclius Constans, Heraclii Constantini veneno a noverca sublati filius a Pyrrho Patriarcha coronatus est mens. Octobr. ann. 641. Eadem nocte Pyrrhus fuga dilapsus in Africam

cam trajecit. Hinc a Maximo erroris sui convictus Romam petiit, & errore coram Pontifice abjurato, in Rom. Eccl. communionem receptus, adnitente etiam Theodoro, ut in suam sedem restitueretur ex authorato Paulo. Pyrrhus vero quum Ravennam pervenisset, Exarchæ suasionibus, & Constantis Imperatoris promissis ad vomitum rediit. Unde Theodorus coacto Romæ multorum Episcoporum Concilio, & intincto in Christi sanguine calamo sententiam in eum excommunicationis scripsit. In Africa item contra Monothelitas nonnulla Concilia celebrata. In Gallia Cabilonensis sub Clodovæo II. pro illius Ecclesiæ disciplina. Sedit Theodor. ann. 5. mens. 5., dies aliquot, obiitque Majo mense ann. 646.

LXXV.

S. Martinus I.

76. Umber, Julio mense electus Constantem Aug., & Paulum Patriarcham ad rectam fidem perducere modis omnibus studuit, sed ejus legatis Paulo suadente in exilium missis, eundem cum Pyrrho, Sergio, Cyroque proscripsit. (*in Conc. Rom.*) Ectesim quoque Heraclii, & Typum Constantis damnavit. Quare Constantinopolim primum vi adductus, inde in Chersonesum insulam relegatus est, ubi postremum diem obiit prid. Id. Novemb. anni 652., sui Pontificatus septimo inchoato. Eo sedente Toletana in Synodo sex canones editi. Fere 70. ejus feruntur Epistolæ.

LXXVI.

S. Eugenius I.

77. Post annum vacationis, ac mensem, Eugenius Rom., Sabiniani f. renuntiatus est Pontifex ineunte ann. 654.; Hic Petrum C. P.', qui Paulo, & Pyrrho restituto successerat, ad communionem invitavit: injunctam Subdiaconis continentiam nova sanctione dicitur confirmasse. Sunt qui vivente adhuc, & cedente Martino ad Petri cathedram evectum putent, sed de hac cessione non constat. Baronius Eugenium, antequam de Martini morte constaret, non Pontificem, sed exulis Pontificis Vicarium fuisse existimat. Annos 2., & mens. 9. tenuisse sedem dicitur.

LXXVII.

S. *Vitalianus.*

78. Signiensis ann. 657. ineunte electus, Organa in Ecclesia pulsari concessit: Maurum Ravennatensem Monothelitam, & Schismaticum excommunicavit: Theodorum, & Adrianum viros pios, & doctos in Angliam misit: Joannem Lappiensem in Cretensi Concilio depositum absolvit, ac suae sedi restituit in Romana Synodo. Eo sedente Emeritensis quoque, Nannetensis, & Senonensis Synodus celebrata, in qua cujusdam Monasterii exemptio confirmata. Anglicana de controversia Paschae inter Anglos, & Scotos: Augustodunensis ubi statutum ut Clerici Symbolum, quod Athanasii dicitur, addiscerent. Ea tempestate Constans Aug. Romam venit, & pretiosissimis quibusque spoliavit. Sedit Vitalianus ann. fere 15., obiitque 26. Januar. ann. 672.

LXXVIII.

Deusdedit II.

79. Romanus, 23. Aprilis electus Turonensi S. Martini Monasterio exemptionem concessit: Venetis ius sibi Ducis eligendi Apost. authoritate confirmasse dicitur. Duae Bracarenses, & Toletana Synodus eo sedente celebratae, tum etiam Herfordiensis in Anglia circa Paschae celebrationem Romano more. Obiit Pontifex sext. Kal. Julii ann. 676. quum sedisset ann. 4., mens. 2. dies 6.

LXXIX.

Donus I.

80. Romanus, Mauritii f. electus mens. Octobr. Reparatum Ravennatensem ad Rom. sedis obedientiam adduxit, adnitente Constantino Pogonato, quocum etiam de cogenda Oecumenica Synodo agere coepit. Coeptis obstitit Pontificis mors, quae contigit mense Martio ann. 678., quum sedisset ann. 1., mens. 5., dies aliquot.

LXXX.

L X X X.

S. Agatho.

81. Siculus electus mense Junio duo Romæ celebravit concilia, primum Episcoporum ultra 50., ubi Wilfridus opera Effridi Regis depositus, absolutus, & suæ sedi restitutus est; secundum Episcopor. 120., ubi Monothelitarum error damnatus, sicut etiam in Mediolanensi sub Mansueto. Roma Constantinopolim Legati missi, pro Clero quidem Joannes Regiensis, Joannes Portuensis, & Abundantius; pro Synodo autem Theodorus, & Gregorius Presbyteri cum Joanne Diacono, qui Agathonis nomine Concilio præfuerunt Oecumenico VI., ubi Monothelismus penitus extirpatus. Quæ tamen hujus Synodi habentur Acta non videntur omnino incorrupta. Hæc inter Pontifex Romæ obiit 3. id. Ianuar. ann. 681., quum sedisset ann. 2., menses 6., dies 15.

L X X X I.

S. Leo II.

82. Siculus Pauli f. post annum & sex menses vacationis electus est mense Julio, & consecratus 15. Aug. ann. 683. statuit ut Ravennatensem Episcopum Romanus Pontifex confirmaret, consecraretque. Ad hæc tempora refertur Toletana Synodus 15., in qua Regni administratio Wambæ interdicta, & in Ervigium translata. Leo decimo sui Pontificatus mense, & diebus aliquot sanctissimè obiit ann. 684. quartò Kalend. Iulii, quo in fastis Ecclesiasticis ejus memoria colitur. Quinque ipsius feruntur Epistolæ, quas tamen spurias putat Baronius.

L X X X I I.

S. Benedictus II.

83. Romanus Joannis f. quo sedente habita Synodus Toletana 16. ubi Regum viduis Nuptiæ prohibitæ, & 17. in qua juxta Leonis II. statuta concilium Oecumenicum VI. (quod ibi V. dicitur, quoniam V. sub Vigilio habitum non adhuc admissum fuerat) in tota Hispania, & Gallia Gothica receptum est. Hujus Toletanæ Synodi duriores quasdam, & insolitas loquutiones, Benedictus ut fusius expli-

carent Hispanis Patribus imposuit, quod & fecerunt post mortem Pontificis, quæ contigit 7. Maii ann. 685., quum sedisset mens. 9., ac dies aliquot. Duæ ejus exstant Epistolæ non omnino certæ.

LXXXIII.

Joannes V.

84. Antiochenus, qui de Pallio librum scripsit, & Episcoporum Siciliæ confirmationem Rom. Sedi reservavit. Eo sedente Justinianus II. patri Constantino successit. Pontifex anno Pontificatus completo, ac diebus aliquot, abiit ad plures postrid. Kalend. Aug. ann. 686.

LXXXIV.

Conon.

85. Thrax post duos menses, 20. die Octobr. electus in discordia, quum Clerus Paschalem, plebs autem Theodorum nominasset, usque dum utroque repulso Conon proclamatus est. Ille Kilianum Monachum in Franconiam misit: Constantinum quemdam hominem perditissimum Antiochenæ præfecit Ecclesiæ, nebulonis impudentissimi simulatione deceptus, quem mox Justinianus merita morte mulctavit. Conon undecimo sui Pontificatus mense obiit 22. Septemb. ann. 687.

LXXXV.

S. Sergius I.

86. Post menses duos, ac dies aliquot in discordia electus obstante Paschali Archipresbytero, qui Conone ægrotante Joanni Exarchæ non tenuem auri summam promiserat, ut Pontificatu potiretur. Sergio sedente Toletanum Conc. 18. habitum, in quo præcedentis obscuræ loquutiones ab Juliano explicatæ: 19., ubi Sigebertus depositus, & ab Egica Rege in carcerem detrusus: 20. in quo nonnulli canones editi: Anglicanum sub Yna Rege pro concordia in celebratione Paschæ: Becanceldense, & Bergamsterdense super Ecclesiarum libertate: Aquilejense, ubi quinta Synodus recepta communi fere Latinorum consensu: Trullanum denique, Quinisextum dictum, ubi 102. canones conditi. Hujus Concilii confirmationem quum ab Sergio Justinianus obtinere non posset, Zachariam Romam misit, qui Sergium dolo, aut vi captum Constantinopolim perduceret; Italis tamen ad arma accurrentibus, regius minister in ædes Pontificias sese recipere com-

compulsus est, & ab Sergio liber remissus. Justinianus paulo post, truncato naso, imperio exuitur ab Leontio, qui pœnam tandem ab Tiberio illatam postmodum subiit. Statuit Sergius ut post Hostiæ elevationem Agnus Dei ter diceretur, quumque sedem tenuisset ann. 13. mens. 8. dies 23., septimo Christiani nominis completo sæculo migravit in pace 9. Sept. ann. 701. Habetur ejus Epistola ad Ceolfridum de Beda Romam mittendo. (*Sæc. VIII.*)

L X X X V I.

Joannes VI.

87. Græcus mense Novemb. electus. Hic Walfridum in Nostorfieldensi Synodo depositum absolvit, atque in suam sedem restituit datis ad Ethelredum litteris ex Concilio Romano. Toleti quoque sub Witiza Synodus habita. Eo tempore Justinianus ope Trebelli Bulgarorum Regis imperium recuperavit. Joannes quarto Pontificatus anno ineunte vivere desiit 16. Januarii ann. 705.

L X X XV I I.

Joannes VII.

88. Romanus, quo sedente Callinicus Patriarcha C. P. ab Justiniano Romam missus est exul, suffecto Cyro. Joannes porro quum sedisset ann. 2., menses 7., dies 18. vitæ sanctitate conspicuus obiit 16. Octob. ann. 708.

L X X X V I I I.

Sisinius.

89. Aliis Sozymus, Syrus post tres menses electus, & 9. Kal. Febr. ann. 709. consecratus, decimo quarto sui Pontificatus die obiit 6. Febr.

L X X X I X.

Constantinus.

90. Item Syrus, qui Constantinopolim profectus ab Tiberio, & Justiniano patre honorificentissimè exceptus est. Ille Felicem Raven-

natem Schismaticum excommunicavit, ac deinde resipiscentem, atque exulem, & oculis ab Justiniano orbatum piè suscepit. Justiniano, Tiberioque occisis, quum Bardesanes, qui & Philippicus contra 6. Synodum, & sacras Imagines, cum Patriarcha Joanne intruso conjurasset, Constantinus eorum, & suæ pseudo-Synodi acta omnia rescidit, itemque Anastasii Armeni, qui Philippico successerat. Sedem tenuit Constantinus a mense Martio ann. 709. ad 6. Id. Aprilis ann. 715.

X C.

§. *Gregorius II.*

91. Romanus Bonifacium in Germaniam misit: Concilium Romæ coegit ubi præter alia, quidam circa matrimonium abusus extirpati. Eo tempore in Synodo C. P. sub Leone contra Sacras Imagines sævitum est obnitente Germano Patriarcha, propterea deposito, & in exilium amandato, & Anastasio Syncello substituto. Gregorius inter crebra per Italiam, Hispaniam, Galliam, & Germaniam bella, inter Exarcharum vexationes, inter Romanorum seditiones, inundante Tiberi, Leone seviente clavum tenuit ann. 15., mens. 8., dies aliquot, obiitque mens. Febr. an. 731. Exstant ejus Epistolæ 15.

X C I.

§. *Gregorius III.*

92. Syrus Concilium contra Iconomachos tenuit Romæ: ad Bonifacii quæsita respondit, quem etiam pallio decoravit: opem Caroli Francorum Regis contra Luitprandum imploravit, decimoque Pontificatus anno, mense nono, migravit ab sæculo mens. Novemb. ann. 741. Septem ejus feruntur Epistolæ circa stabiliendam in nova Germaniæ Ecclesia disciplinam.

X C I I.

§. *Zacharias.*

93. Græcus Sancti Gregorii Dialogos Latinos fecit: inter Luitprandum Regem, Thrasimundum Spoletanum Ducem, & Eutychium Exarcham amicitiam conciliavit; in Rom. Synodo Adalbertum, & Clementem Presbyteros a Bonifacio accusatos damnavit, ac deposuit. Eo sedente

te tres in Germania Synodi celebratæ, Liptinensis quoque & Suessionensis circa disciplinam. Vigilium novos mundos asserentem Romam evocavit suarum opinionum rationem redditurum: Chilperico in Monasterium detruso; regnum confirmavit Pipino, de quibus Zachariæ factis alibi. Sedit annos 10., mens. 3. dies 15., obiitque Idib. Martii ann. 752. Exstant ejus Epistolæ 15., ad Francos pleræque.

XCIII.

Stephanus II.

94. Quatuor dierum Pontifex, quem propterea nonnulli omittunt.

XCIV.

Stephanus III.

95. Romanus, adversus Astolphum Longobardum Pipini auxilium imploravit in Galliam profectus, Ravennaque, & Pentapoli a Pipino donatus unde Pontificum dominationem incepisse quidam putant. Ravennæ Exarchatus a Græcis in Latinos translatus. Eo sedente anno 755. Turcici Imperii jacta fundamenta Alanis, Colchis, Armenis, Persis, ac Saracenis devictis. Sub Pipino Vemeriensis, Vemensis, & Compiniacensis Synodi celebratæ. In Constantinopolitana sub Copronymo cultus Imaginum omnino abolitus damnatis Germano Patriarcha, Georgio Cyprio, & Joanne Damasceno, qui & Manzurius dictus. Obiit Stephanus 8. Kal. Maii 757. Sedit ann. 5. mens. 1. Feruntur ejus Epistolæ 6., & responsa 19. in Gallia edita apud Carisiacum, quæ tamen non ab omni suspicione carent, uti dictum alibi.

XCV.

S. Paulus I.

96. Romanus præcedentis frater electus in discordia, repulso Theophilacto R. Ec. Archidiacono. Eo tempore Copronymus Constantinum Patriarcham pro sacris Imaginibus pugnantem Sede, ac vita exuit, substituto Niceta, per Legatos item Gissellam, Pipini filiam Leoni filio uxorem depoposcit. Hos inter & Pauli ad Pipinum eundem legatos, & quosdam Galliæ Episcopos habita est Gentiliacensis Collatio super Sp. S. processione, & Imaginum cultu, quæ exstat

inter

inter Galliæ Concilia. Altiniacensis item Synodus celebrata. Sedit Paulus ann. 10. mens. 1., obiitque post Pipinum 28. Jun. ann. 767. Annum solidum ac mensem Sedes vacavit, quam Desiderj Regis, & factiosorum hominum auxilio Philippus, & Constantinus tenuerunt.

X C V I.

Stephan. IV.

97. Siculus Olibrii f. utroque Pseudo-Pontifice repulso, electus non. Aug. anni 768. coacta Synodo omnia Constantini acta rescidit, ab eoque ordinatos suspendit, statuitque ne deinceps Laicus quisquam ad Pontificatum assumeretur, qua propter Michaelem Ravennatens. exauthoravit, subrogato Leone. Copronymi quoque pseudo Synodum proscripsit. Sed a Desiderio Rege mirum in modum vexatus, quum sedisset ann. 3., mens. 5. dies 27. præ animi ægritudine cessit e vita ineunte Febr. ann. 772. Tres ejus Epistolæ habentur in Codice Carolino.

X C V I I.

Adrianus I.

98. Romanus Desiderium Ecclesiæ terras invadentem intentata excommunicatione deterruit, quem deinde Carolus magnus spoliavit regno Papia occupata, ubi ab Alboino per annos sex supraducentos Longobardi in Italia regnaverant. Carolus Romam profectus Pipini donationem ratam habuit. Adriano sedente sub Elsuoldo Anglorum Rege Calcutense Concilium celebratum, ubi inter alia statutum ne corneo in Calice sacrificium conficeretur. Narbonense, & Ratisponense ubi Felix Urgelitanus, de quo infra damnatus, & ad errorem adjurandum Romam missus: Francofordiense ubi Felix recidivus damnatus iterum cum Elipando: proscriptum item ibi Septimæ Synodi decretum perperam intellectum circa cultum imaginum. Habita autem erat paulo ante hæc Synodus sub Adriano eodem congregatis Nicææ 350. Episcopis, præsidente Pontifice perlegatos Petrum Archipresbyterum, & Petrum Abb. S. Sabbæ an. 787., cujus ut authoritatem infringerent Iconomachi Constantinopolim convenerunt, vique, atque armis Catholicos in suas partes trahere studuerunt, incassum tamen. Sedit Adrianus ann. 23. mens. 10., dies 16., obiitq. 26. Decemb. ann. 796.

XCVIII.

XCVIII.

S. Leo III.

99. Romanus, veluti Dei nutu, atque inspiratione statim electus, Paschalis Archipresbyteri, & Campuli Presbyteri invidia, atque odio ad S. Silvestrum captus, ac Pontificiis vestibus exutus, tum crudelissime vexatus, atque oculis pene orbatus ad Monasterium S. Erasmi in carcerem detrusus est. Inde eductus Venegisii Spoletam Ducis auxilio in Saxoniam ad Carolum M. aufugit, a quo cum magno honore Romam remissus est. Ibi quum coram Carolo Rege, Synodali se judicio subjecisset, & ab objectis criminibus plenissimè purgasset, omnium suffragiis absolutus, atque innocens declaratus est. Paschalis; & Campulus ejusdem precibus a morte erepti, & in Galliam exules missi. Paulo post Carolum inunxit, coronavit, & Imperatorem salutavit acclamante populo: Carolo magno a Deo electo, Aug. Pacifico Imper. vita, & victoria. Id factum 8. Kal. Januar. ann. 800. Ea tempestate Irene a filio Constantino imperio exuta, atque exulare jussa est; amicorum tamen auxilio redux, filium effosis oculis in carcerem misit, & Caroli M. opem, & conjugium ambivit; paulo post vero a Theodoro Patritio regno exuta, atque in Lesbon insulam relegata. Constantinopoli tres celebratæ pseudoSynodi sub Constantino, qui ad Iconomachorum partes transierat. In Anglia Becanceldensis sub Quesnulfo Rege, & Cloveshoviensis contra bonorum Ecclesiæ usurpatores: Urgelitana, Romana, Aquisgranensis circa Felicis, & Elipandi errorem: Aquisgranensis altera; & Ratisponensis; ubi Chorepiscoporum ordinationes vetitæ: Altiniensis, ubi Caroli auxilium imploratum adversus Joannem Venetiarum Ducem, qui Joannem Gradensem Patriarcham egerat è turri præcipitem. Salisburgensis, ubi Decimarum statuta distributio: item Remensis, Turonensis, Cabilonensis, Arelatensis, Moguntina, ubi Caroli cura, atque opera multa sunt circa disciplinam salubriter statuta. Leo tres Rogationum ante Ascensionem dies observari denuo sancivit, quod in Gallia Mamertus Viennensis statuerat. A patribus tertiæ Synodi Aquisgranensis consultus Pontifex circa morem canendi Symboli, & additionem filioque, quæ ab Hispania in Gallias transierat, quamvis eandem circa processionem Sp. S. teneret fidem, non tamen eum ritum probavit; immo, quoniam in Rom. Ecclesia nunquam symbolum cani consueverat, purum, putumque sine additione ulla ad valvas Vaticani templi in argentea tabula jussit inscribi. Interea Pipinus, qui rex Italiæ salutatus fuerat, Mediolani, Carolus Aquisgrani mo-

moritur ann. 815. Leo octavo sæculo felicissime completo diem obiit Romæ Id. Jun. an. 817. quum sedisset an. 20. mens. 5. dies 17. Tres ejus exstant Epistolæ. (*Sæc. IX.*)

XCIX.

Stephanus V.

100. Romanus, Campulo rursum turbas ciente ad Ludovicum Pium profectus statuit, ut non nisi præsentibus Imperatoris Legatis Pontifex consecraretur. Duæ eo tempore Aquisgrani Synodi celebratæ circa Monasticam præcipue disciplinam: Colichitensis item in Anglia sub Quesnulfo, ubi inter alia statutum, ut Scriptura omnis Crucis signo munita, inviolabiliter tanquam jurata observaretur. Obiit Stephanus Gallia redux 8. Kal. Februar. ann. 818., quum sedisset mens. 7., dies paucos.

C.

S. Paschalis I.

101. Romanus Bonosi f. mense Februario non exspectato Imp. consensu consecratus est, a quo tamen missis in Galliam legatis se purgavit. Ludovicus vero liberam Clero Pontificis electionem, & consecrationem esse voluit: Patris donationem confirmavit, urbesque Etruriæ nonnullas addidit: Bernardum Italiæ Regem, regno, ac vita exuit, Lothario substituto, quem Paschalis Romæ coronavit, de quo tamen facto in Conc. Attimacensi pœnitentiam egit. Thionvillense item, Compiniacense, & Colichitense circa disciplinam habita Concilia, tum Romanum, ubi Pontifex quarundam in Italia turbationum author creditus sese purgavit, quod Platina scribit. Obiit Paschalis 13. Maii ann. 825. quum sedisset ann. 7. mens. 3., dies que aliquot.

CI.

Eugenius II.

102. Romanus, quo sedente a Michaele Imper. Legati Lutetiam missi, qui Gallicanæ Ecclesiæ super Imaginum cultu sententiam exquirerent. Ludovicus rem totam Pontifici definiendam reliquit. Ea de re habita Parisiis, Aquisgrani, & Romæ Concilia, ubi Catholi-

ca

ca doctrina exposita, & multi canones editi, inter quos vigesimus de repudio conjugis causa fornicationis, de quo alibi. Sedit Eugen. ann. 3. mens. 5., obiitque mense Nov. ann. 828.

C I I.

Valentinus.

103. Romanus Leontii f. die ab sua electione quadragesimo decessit ineunte Januar. ann. 829.

C I I I.

Gregorius IV.

104. Romanus, quo sedente Saraceni in Palestinam; Mauri in Siciliam irruperunt, oramque Italiæ maritimam vastarunt. Pontifex Hostiensem portum muniendum curavit, & Ludovici Imp. imploravit auxilium. Interea Bonifacius Corsicæ Comes Mauros præliis quatuor protritos in propria redire compulit. Pontifex sedandi belli causa, quod inter Ludovicum, & ejus filios Lotharium, & Carolum Calvum exarserat, in Galliam profectus est. Eo tempore multa in Gallia, & Germania habita Concilia, Parisiense, Noviomagense, Compiniacense, San-Dionyssianum, Thionvillense tertium, & quartum, Wormatiense, Engilhengemense, Vernevilliense, Aquisgranense, ubi de Regum litibus, magis quam de rebus communibus Ecclesiæ disceptatum: Constantinopolitanum, in quo Iconomachi damnati, confirmata Synodo Septima. Gregorius porro quum sedisset ann. 16, vivere desiit 8. Kal. Februar. ann. 844. Habentur ejus Epistolæ tres.

C I V.

Sergius II.

105. Romanus Ludovicum Lotharij filium Italiæ Regem coronavit, primusque ut fertur, nomen mutavit, quod tamen alii Joanni XII, alii Sergio IV. adscribunt. Eo tempore Synodi habitæ Meldensis, Pellovacensis, Parisiensis super Ebbonis depositione, & Hincmari electione. Sedit Sergius ann. 3. obiitque mens. Februar. ann. 847.

CV.

C V.

§. Leo IV.

106. Romanus Rudolfi f. mens. Aprili electus quo sedente Saracenos ora Italiæ vastata, & magna præda Ancona solventes, magnaque tempestate jactatos absorbuit mare. Leo urbis mœnia reparavit, & armatis Romanis Saracenos repulit, Ostiam invadentes: Octavam Assumptionis instituit, & Vigiliam addidit: Collem Vaticanum muro cinxit, ac Leopolim, sive urbem Leoninam appellavit, Corsicisque e patria ejectis incolendam dedit, & Ostiam Sardis: duo Romæ concilia habuit. Duo item habita Moguntiæ sub Rabano Mauro, Britannicum quoque Redonense, Parisiense, Carisiensia duo in causa Godeschalchi, de qua alibi: duo item Papiensia circa disciplinam, Suessionense, Verneriense, Cordubense in Hispania sub Abderramano, ubi vetitum, ne quis se sponte Martyrio offerret. Ea tempestate Ludovicus II. Imper. Romam adiit, & Etelvulphus Anglorum Rex, Insulæ partem, ubi regnabat, Ecclesiæ Rom. tributariam fecisse fertur. Sedit Leo ann. 8. mens. 3. obiitque 16. Kal. Aug. ann. 855.

Scholion.

107. Inter Leonem, & Benedictum inseritur ab nonnullis fabula de Joanna Papissa, quam Martinus Scotus primus induxit aliorum quoque insignium mendaciorum ignorantissimus assertor. Hinc in Martinum Polonum, Antoninum, & Sigeberti Chronicon irrepsit; necnon in Platinam, qui cum vulgo errarre se velle disertissime testatur. Id multis impugnarunt Baronius, Bellarminus, & locupletissimè Natalis Alex., irridentq. etiam Heterodoxi oculatiores cum Davide Blondello. Unde autem monstruosum hocce commentum originem duxerit, alibi dicetur.

C V I.

Benedictus III.

108. Romanus ineunte Nov. electus frustra obnitente Anastasio, quem Leo IV. è numero Cardinalium eraserat. Hic Michaelis Imp. legatos accepit, & Gregorii Syracusani depositionem ab Ignatio C. P. factam approbavit, tum etiam acta Suessionensis, & Rhemensis Synodi: primus in Apostolicis Constitutionibus iis verbis usus est: Salvo

vo in omnibus jure Sedis Romanæ, & illis: Si preces veritate nitantur. Eo sedente Vintoniensis Synodus in Anglia, & Carisiensis in Gallia celebrata sub Carolo Calvo. Sedit Benedictus annos 2., mens. 6. dies aliquot, obiitque mens. Aprili ann. 858.

C V I I.

S. Nicolaus I.

109. Romanus, eodem mense electus est, & coram Ludovico Imp. coronatus. Ille Joannem Ravennatensem contumacem deposuit, Michaelis Imperatoris legatos excepit: Ludovicum Andegisio Beneventano conciliavit. Eo sedente Michael cum Bulgaris suis ad fidem conversus: Saraceni ab Italia pulsi: Ignatius depositus a Barda Cæsare, & Photius intrusus. Ea super re tres Synodi Constantinopolitanæ celebratæ varia Ignatii, Photiique fortuna. In Gallia Cariacensis, Meldensis, Langrensis, Confluentina, Tullensis, Suessionenses duæ, Vemeriensis in causa Rothaldi. Aquisgrani duæ, Pistensis quoque Silvanectensis, Romæ sub Nicolao quinque, in quarum postrema Rothaldus restitutus, fremente Hincmaro, viro quidem pro eo tempore non indocto, sed fervido, ac turbulento, & Episcoporum depositio Apostolicæ Sedi reservata. Concilia hæc omnia potius de Regum discordiis, & Episcoporum, quam de sacra disciplina, aut doctrina cogebantur. Photius quum ab Romana Sede suæ electionis confirmationem obtinere non posset, coacta Synodo, quam Œcumenicam appellabat, Nicolaum deposuit, atque anathemati subjecit, datis per Orientem litteris, & aperto ab Romana Ecclesia Schismate. Nicolaus autem quum sedisset ann. 8., mens. 7., diesque aliquot, fato concessit Id. Novemb. ann. 866. Per annos 8., & mens. 7. sedem vacasse Platina ex aliis scribit, falso tamen, ut ex ipso, & aliis historiæ Pontificiæ authoribus constat, præcipue Anastasio Bibliothecario coævo, & non indiligente Scriptore. Epistolæ plusquam centum, & 60. in postrema Codicis Canonum editione habentur.

C V I I I.

Adrianus II.

110. Romanus Silvestrum, Leopardum, ac Dominicum viros Apostolicos ad Bulgaros misit, Alvredum Anglorum Regem solenni ritu inunxit, & coronavit: Concilium Romæ habuit ubi Photium deposuit, ejusque pseudo-Synodum, & impia scripta damnavit, quod dein-

deinde confirmatum est in 8. Œcumenica Synodo cui præfuit per Legatos Donatum Ostiensem, Stephanum Nepesinum, & Marinum Diaconum, Basilio Aug. eximiè cooperante anno D. 869., cui & Anast. Bibliothecarius interfuit, ejusque Acta ex Græcis Latina fecit. Habitæ quoque in Occidente Synodi Wormatiensis sub Ludovico Germanico, Vemeriensis, & Attiniacensis, Duziacensis, & Silvanectensis, ubi Carolomannus Imperatoris filius antea ab Diaconatu depositus, effosis oculis in carcerem detrusus. Sedit Adrianus ann. 5. mens. 11., dies aliquot, obiit Kal. Nov. ann. 872.

C I X.

Joannes VIII.

111. Romanus Carolum Calvum Imp. coronavit, eoque Mantuæ veneno sublato Ludovicum Balbum ejus filium, eoque mortuo, Carolum Grassum in Tricasina Synodo. Eam ob rem Pontifex Carolo, & Carlomanno Germanici filiis infensus, ab Lamberto Spoletano Duce in eorum gratiam comprehensus, atque in carcerem detrusus est. Eo sedente Normanni, & Belgæ Christi fidem amplexi sunt: habitæ Synodi, Ravennatensis ubi Ursus Venetiarum Dux cum Joanne Gradensi compositus: Romanæ tres, 1. de Imp. deligendo, 2. in qua Lanspergius Mediolanensis, 3. in qua Athanasius Neapolitanus depositus, Tricasina in qua Carolus Grassus coronatus, damnatusque Formosus, quod in Imp. conjurasset, quod pessimis artibus Pontificatum ambiisset, quod Portuensem Ecclesiam deseruisset, quod Legatus ab Nicolao in Hungariam missus eum Regem jurare induxerit non alium nisi se post Joannis mortem admisurum Pontificem: damnatus item Lambertus Spoletanus, & causa Hincmari Laoniensis iterum discussa, qui oculis orbatus fuerat. Constantinopolitana 380. Patrum, quam Œcumenica vocant Græci Schismatici, ab quibus Photius, qui in Basilii gratiam, & Constantinopolitanam iterum sedem irrepserat, electionem, & ordinationem suam confirmari fecit, lectis Joannis Papæ ad Imp. atque ad se scriptis litteris, sed detruncatis, corruptis, atque arbitraria interpretatione detortis, homine impudentissimo, & vaferrimo Romanorum Legatorum simplicitatem, & Græcæ linguæ ignorationem, quæ summa erat apud Latinos, irridente. Joannes porro Basilii Aug. litteris acceptis, etiam ante hanc Synodum, Photium legitimum Patriarcham habendum decreverat ex indulgentia sive dispensativè, ut loquitur, pro bono pacis; postmodum tamen omnia hujus Synodi Acta ab eodem rescissa sunt, Photiusque iterum de-

depositus, atque anathemate perculsus. Sedit Joannes ann. 10., obiitque mens. Decemb. an. 882.

C X.

Martinus II.

112. Qui ab Joanne VIII. Constantinopolim fuerat Legatus missus, & ab Imper. Basilio in carcerem conjectus, absens, ut creditur, electus est. Eo sedente Legati Romam missi ab Alfredo Anglorum Rege, & Formosus in suam sedem restitutus. Martini incerta omnia. Obiisse creditur Pontificatus mense exacto, 15. Kal. Februar. ann. 883.

C X I.

Adrianus III.

113. Romanus, Eugenii II. decretum de expectando Impp. consensu ad Pontificis coronationem abrogavit; prædecessorum suorum adversus Photium decreta confirmavit, quumque in Galliam proficisceretur, prope Mutinam fato concessit 7. id. Maii ann. 884.

C X I I.

Stephanus VI.

114. Qui adversus Photianam Synodum pro Martini decessoris authoritate litteras ad Basilium dedit eo successu, ut Leo Philosophus Basilii successor Schismaticum Patriarcham in Armeniam relegaverit, atque in Monasterium detruserit. Vidonem Spoletanum Ducem, Longobardorum regno in Italia deleto Imperatorem salutavit, Carolo Crasso extincto. Eo tempore Hunnos Germaniam invasisse quidam memorant. Synodi celebratæ Cabilonensis, Coloniensis, Meldensis, Sancta-macrensis, & Moguntina pro Ecclesiasticæ disciplinæ restauratione. Sedit Stephanus ann. 7., mens. 4., obiitque mense Sept. ann. 891.

C X I I I.

Formosus.

115. Qui Vidone extincto, quum Lambertus filius Imperium sibi arrogaret, Astolfum Carlomanni filium in auxilium vocavit, eumque Imperatorem aut unxit, aut ungere quum vellet, a populo Rom. id indigne ferente prohibitus est. Eo sedente Viennensis, ac Triburiensis prope Moguntiam Synodi celebratæ. Sedit ann. 5. menses fere tres, obiitque postrid. Id. Decemb. ann. 896.

C X I V.

Bonifacius VI.

116. Etruscus, quem Baronius, atque alii omiserunt, quod quodam populi tumultu potius quam justa, & canonica electione fuerit evectus, flagitiosus alioqui vir, qui a Subdiaconatu primum, mox ab Sacerdotio depositus fuerat. Post dies 15. a sede deturbatus est ab successore Stephano, undecimque post depositionem dies vixit.

C X V.

Stephanus VII.

117. Romanus, qui vivente Bonifacio sedem invaserat, post ejus mortem Pontifex habitus coacto Romæ concilio, Formosi cadaver exhumari jussit, Pontificiis insignibus exuit, digitisque indice, ac pollice truncatis in Tiberim proiici imperavit. Deinde Græcorum armis, qui Beneventum expugnaverant, & domesticis Thuscos inter, & Romanos odiis vexatus, anno sui Pontificatus 1., & mens. 1. in carcerem conjectus, strangulatusque est mense Martio anno 898.

C X V I.

Romanus.

118. Etruscus omnia Stephani in Formosum acta irritavit, quum sedisset autem menses tres, ac dies aliquot e vivis excessit ejusdem anni mens. Julio.

CXVII.

CXVII.

Theodorus II.

119. Romanus, Romani decretum sequutus, Formosum absolvit, ejusque ordinationes & gesta rata haberi voluit, & mense Pontificatus secundo vix exacto naturæ concessit 13. Kal. Octobr. ann. ejusdem 898.

CXVIII.

Joannes IX.

120. Romanus, quo sedente Hungari Germaniam, Italiamque, Saraceni Calabriam invaserunt. Ille Formosum tertiò absolvit, ejus translatione ob necessitatem excusata, quam deinceps in exemplum adduci, aut repeti vetuit. Lambertum Imperatorem agnovit, repudiato, ut subreptitio Arnolpho. Ad Pontificum coronationem Legatorum Imperatoris præsentiam adhibendam rursum instituit, hæcque omnia Ravennæ in frequenti Synodo confirmavit. Eo sedente Compostellana Synodus habita sub Alphonso Rege. Quum sedisset autem annos 2., dies 5., ad plures abiit 9. Kalend. Octob. anni 900. (*Sec. X.*)

CXIX.

Benedictus IV.

121. Romanus victo Berengario, Ludovicum Romæ coronavit, coactaque Synodo Angrinum Langrensem suæ Sedi restituit, Ovetensem Ecclesiam Episcopalem fecit, datisque ad Eduardum Anglorum Regem litteris, singulis Ecclesiis Episcopos præficiendos curavit, nonum Ecclesiæ sæculum complevit, obiitque ineunte Aprili ann. 904. quum sedisset ann. 3., menses 6., ac dies 15.

CXX.

Leo V.

122. Qui vix mense exacto ab quodam suo familiari in carcerem conjectus, præ dolore, atque animi ægritudine vitam posuit mense Majo ann. ejusdem.

CXXI.

Christophorus.

123. Ignobilis Leonis familiaris, qui eo vivente sedem invaserat, post ejus mortem legitimus Pontifex sedit menses aliquot, missus deinde in carcerem ab Sergio, qui diu, multumque Pontificatum ambierat.

CXXII.

Sergius III.

124. Romanus Adalberti Etruriæ Marchionis auxilio, & populi precibus, annuente Clero, voti compos factus in Galliam iter fecit ad Ludovicum, quo suadente Romam reversus in Formosum sæviit, ejus cadavere diligentissimè quæsito, & comminuto, atque in Tiberim projecto. Troslejana ea tempestate Synodus habita sub Hervæo Rhemensi circa disciplinam. Sergius autem, quum sedisset ann. 7., dies 17., obiit 5. Id. April. ann. 912.

CXXIII.

Anastasius III.

125. Romanus Luciani f. graviter, & moderatè vixisse in Pontificatu dicitur ann. 1., mens. 6. Obiit autem mens. Octobri ann. 913.

CXXIV.

Landus.

126. De quo ex instrumento Ravennæ apud Hieron. Rossium asservato constat sedisse jam mense Februario ann. 914. constat autem ex Hodoardo sedem tenuisse mens. 6. dies 10. Constat item ex Bulla Joannis X. ad Arconem Fuldens. Joannem die 19. Maii ann. 917. quartum sui Pontificatus annum egisse : incœperat ergo ante 19. Maii ann. 914. Landus ergo ante 19. Maii ann. 914. vivere desiit.

CXXV.

Joannes X.

127. Romanus, Sergii, ut fertur, Pontificis f. pessimis artibus fœmineoque favore intrusus, & Cleri, ac populi consensione firmatus Berengarium Imperatorem coronavit Ludovico ob cæcitatem gerendis rebus impari. Joanne sedente habitæ Synodi, Altheimensis, Troslejana, Rhemensis, Confluentina, ubi Monachi omnes Episcopis subesse jussi. Joannes Berengarii, & Alberici auxilio Saracenos repulit. Dein Albericus Pontifici infensus Hungaros in Italiam vocavit, unde in eum Romanorum odium exarsit, quo primum urbe pulsus, ac demum trucidatus est. Marozzia Alberici uxor, post ejus mortem Guidoni nupsit Etruriæ Duci, Petrumque prius Pontificis fratrem, deinde ipsum Pontificem suffocari jussit, nullumque non movit lapidem, ut filium suum nomine item Joannem in Petri sedem eveheret, imo evectum fuisse nonnulli existimant. Obiit Joannes 7. Id. Aprilis ann. 928., quum sedisset annos quatuordecim.

CXXVI.

Leo. VI.

128. Romanus Christophori f. quum suavissimis, ac sanctissimis moribus sedem menses aliquos occupasset, ineunte Febr. ann. 929. sublatus est.

CXXVII.

Stephanus VIII.

129. Quo sedente Lambertus Guidonis frater Etruriæ Ducatum, & Marozziæ nuptias obtinuit. Altheimensis Synodus eo tempore celebrata. Sedit autem Stephanus ann. 2., mens. 1. dies 12., obiitque mens. Mart. ann. 931.

Scholion.

130. Hos duos Pontifices Luitprandus, aliique omittunt, quod non Pontifices, sed Joannis XI. Vicarios esse credant, qui post Joannis X. mortem a Marozzia procuratam Pontifex electus Laicus adhuc, & immatura ætate Ecclesiæ regendæ par non erat. Illud certum est nulla exstare acta, constitutionem, decretum, aut documentum illius ætatis, cui Leonis, aut Stephani nomen præfixum sit, quum postremus ultra duos annos sedem tenuisse dicatur. Tamen in Chronologica PP. enumeratione ab communi, & vulgato Scriptorum ordine non putavimus recedendum.

CXXVIII.

Joannes XI.

131. Marozziæ famosæ fœminæ ex Alberico filius, quo sedente Genua a Saracenis expugnata, Italia vastata ab Hungaris, & Erpfordiensis Synodus celebrata. Porro Albericus Joannis frater, ipso, & Marozzia matre fœmina dominationis avidissima in custodiam traditis, sacra, & profana omnia ad lubitum gerebat. Unde & Theophilacto C. P. Patriarcha Pallium transmisisse dicitur, facta ipsi, & posteris suis utendi facultate. Joannes autem 4. sui Pontificatus anno, ac mense decimo vivere desiit Januario mense ann. 936.

CXXIX.

Leo VII.

132. Romanus, quo sedente, quum Hugo Italiæ Rex Romam ab Alberico occupatam oppugnaret, Odo Clumacensis Abbas utrumque conciliavit, Alda Hugonis filia Alberico in conjugem data. Leo mona-

na-

nasticam disciplinam reparare enixè studuit, Gherardo Ep. Laureacensi pallium misit, quumque ann. 3., mens. 6. sedem tenuisset, vita functus est mens. Julio ann. 939.

CXXX.

Stephanus IX.

133. Germanus, qui urbem regente Alberico, ingentibus populi Romani seditionibus vexatus in Galliam contendit, ibique excommunicatione denuntiata populos in Ludovici Transmarini obsequium continuit. Hugonem Rhemensem confirmavit in Episcopatu, in quo Artaldo successerat per Suessionensem Synodum deposito. Sedit ann. 3., mens. 4., obiitque mens. Dec. ann. 942.

CXXXI.

Martinus III.

134. Aliis Marinus, Romanus, quo sedente Landaffense Concilium in Anglia habitum pro bonorum Ecclesiasticorum restitutione, quibus Nougujus Rex multa addidit. Sedit ann. 3., mens. fere 5., obiitque ineunte Mai. an. 946.

CXXXII.

Agapitus II.

135. Romanus, quo sedente Otho Rex Germanorum adversus Berengarium in Italiam vocatus, ipsum, & Adalbertum regno spoliavit, quod tamen postea restituit: Artaldus in Verodunens. Synodo repositus, excluso Hugone, qui & in Trevirensi sub Marino Agapiti legato excommunicatus est cum Hugone alio Parisiensi Comite, itemque in Mosonensi, Engilhenhemiensi, & Romana. Sedit Agapitus ann. 9., mens. 7., obiitque 27. Decemb. ann. 955.

CXXXIII.

Joannes XII.

136. Joannis XI. nepos ex Alberico fratre, cujus opibus, ac potentia Pontificatum obtinuit, quum neque morum sanctimoniam, ne-

que doctrinam, neque ætatem haberet ei oneri parem. Constat enim sexto sui Pontificatus anno puerum ab Othone vocatum. Puer est, inquit, facilè bonorum virorum exemplo resipisset. Ab eo idem Otho, Berengario, atque Adalberto oppressis, primum Rex Italiæ Mediolani, mox Imperator coronatus est. Vix tamen Othone Roma egresso, Adalbertum Berengarii filium in urbem recepit. Otho Romam reversus, pulsoque Adalberto Concilium instituit, ubi omnis generis civium querimoniæ adversus Joannem Papam discuterentur. Ibi bis vocatus, &. contumax omnium sententia damnatus, substituto in ejus locum Leone, qui Leo VIII. dictus est adhuc Laicus. Joannes faventium sibi Principum auxilio Romam contendens, magna suorum strage repulsus est, majore tamen supplicio mulctandus, nisi Othonem iratum Leo placasset. Othone autem in Germaniam reverso, Joannes vi Romam ingressus coacta Synodo Leonem absentem anathemati subjecit, inque Episcopos, & pios omnes atrocissimè sævit. Denique post dies paucos, sive a viro, cujus in thalamum irrepserat, sive ut vulgo ferebatur, a Dæmone percussus, pudenda morte sublatus est anno sui Pontificatus 8., mense quinto.

CXXXIV.

Benedictus V.

137. Romanus Joanni successit. Otho autem indignatus, quod Leone vivente quem ipse in Pontificem eligi curaverat, suo sine consensu, imo contra præstitum sibi juramentum ad alterius electionem devenissent, Romam petit, atque obsidione cinxit, nec interim nata sibi a Benedicto excommunicatione territus urbem invadit, Synodum cogit, Leonem in Pontificiam sedem restituit, Benedictum Pontificiis insignibus exutum, atque in Diaconorum ordinem redactum in Germaniam mittit, ubi non sine magna sanctitatis opinione annum circiter vixit Leoni superstes qui Martio mense ann. 965. vitam posuit. Eo sublato Rom. Clerus missis ad Othonem legatis, Benedictum jampridem electum confirmari, & Romam mitti postulabat, neque rei a mitissimo Imperatore obtinendæ spes deerat, quum Benedictus naturæ paruit ann. eodem 965.

C X X X V.

Joannes XIII.

138. **Romanus, qui ab Goffredo Comite comprehensus, & Capuam** amandatus est. **Goffredo** occiso Joanne Capuæ Principe opitulante post menses **decem Romam rediit: authores facinoris** Romana in Synodo damnati, **in quos Otho severissime animadvertit. Hic cum Græcis** Italiæ **partem adhuc occupantibus bellum gessit, donec** mortuo Nicephoro **Phoca, ejusque filia Theophania in conjugem** accepta, opera Pandolfi **Beneventani** Ducis **fœdus est initum** cum Joanne Tzomica Phocæ successore. Eo tempore duæ Ravennæ celebratæ Synodi, ubi ea urbs Rom. Pontifici reddita, & Heroldus Salisburgensis depositus: Cantuariensis, Londinensis, Romana, & Compostellana. Joannes autem quum Othonem, & Theophaniam Occidentis Imperatores coronasset, de Othonis Senioris consensu, qui filium jam pridem Imperii collegam assumpserat, Pontificatus anno 7. diem clausit **mens. Septembri ann. 972.**

C X X X V I.

Benedictus VI.

139. Romanus, quo sedente Engilhenhemiensis Synodus habita. Ille autem ut creditur a Bonifacio Francone dicto Pontificatum ambiente, in carcerem detrusus ante completum biennium seu fame, seu suspendio necatus est. Bonifacius expilata urbe Constantinopolim aufugit.

C X X X V I I.

Donus II.

140. Romanus quo sedente opera Adalberti Pragensis Ep. Hungaris, & Borussiis fides affulsit. Anno nondum exacto diem obiit ann. 974.

CXXXVIII.

Benedictus XI.

141. Romanus a quo Bonifacius Franco Sedis invasor damnatus in Rom. Synodo, & in Simoniacos animadversum: Othonis III. electionem confirmavit, qui Henrico Bavaro devicto, captus a Pyratis fuerat, & in Siciliam adductus, unde redux Beneventum expugnavit, indeque S. Bartholomæi corpus in Tiberinam insulam transtulit. Vintoniensis, & Calnensis Synodi in Anglia celebratæ pro Cleri, & Monachorum reformatione. Obiit Benedictus 6. Id. Julii ann. 985. sede fere per decennium occupata.

CXXXIX.

Joannes XIV., & XV.

142. Papiensis a Ferrucio Patritio Bonifacii Antipapæ Patre comprehensus, & in S. Angeli arcem detrusus, seu fame, seu veneno sublatus est 13. Kalend. Sept. ann. ejusd. . . . Huic suffectus Joannes alter item Romanus nondum consecratus decessit ordin. CXXXX., quem tamen nonnulli omittunt.

CXLI.

Joannes XVI.

143. Romanus Leonis f. a Crescentio opulento patritio vexatus in Etruriam secessit, & post biennium agente Theophania Othonis III. matre, ab ipso Crescentio vocatus, Romam rediit. Eo sedente Ethelredus Angl. Rex fratris occisor in Landaffensi Synodo publicæ pœnitentiæ subjacuit: Silvanectensis, Rhemensis, Mosonensisque Synodi celebratæ circa Episcoporum negotia: Romana item ubi Udalricus Augustanus solenni ritu, ac decreto tunc primum interposito Sanctis adscriptus est. Sedit Joannes ann. 10., mens. 6., obiitque mens. Jun. ann. 996.

CXLII.

C X L I I.

Gregorius V.

144. Bruno antea dictus, Saxo genere, Crescentium fugiens, Papiam se recepit, ubi coacta Synodo Crescentium, & Joannem Placentinum, quem ille Pontificem creaverat, excommunicavit, Othonis consanguinei auxilio. Othone Romam ingresso Joannes Antipapa evulsis oculis, & asino impositus per urbem circumductus est: Crescentio cum aliis 12. fautoribus caput abscissum. Gregorius septem Imperii Electores instituisse dicitur. Romæ, Ravennæ, & ad S. Dionysium prope Parisios Synodi habitæ. Sedit Gregor. ann. 2. mens. 7., obiitque prid. Id. Februar. ann. 999.

C X L I I I.

Silvester II.

145. Aquitanus, primum Rhemensis, dein Ravennatensis Episcopus translationis exemplo, inaudito, nisi in Formoso, nunquam laudato: duas Romæ Synodos habuit, & quod Mathematicæ disciplinæ studiis non nihil incubuisset, Magicis artibus deditus ferebatur. Eo sedente in Francofordiensi Synodo nonnulla circa disciplinam stabilita. Sedit Silvester ann. 4., mens. 1., ac dies 10., obiitque completo decimo Christiani nominis sæculo, mens. Majo ann. 1003. (*Sæc. XI.*)

C X L I V.

Joannes XVII.

146. Romanus sexto nondum elapso Pontificatus mense, obiit 7. Id. Decemb. ann. 1003.

C X L V.

Joannes XVIII.

147. Romanus Sergium, vel ut alii vocant Eulogium C. P. Patriarcham, in primæ Sedis communionem, & obsequium adduxit: Brunonem ad Evangelium Russis annuntiandum misit. Eo sedente Tre-

Tremoniensis, Pictaviensis, & Francofordiensis Synodi pro disciplinæ reformatione coactæ. Sedit Joannes an. 5., mens. 6., obiitque mense Julio ann. 1008.

CXLVI.

Sergius IV.

148. Romanus, quo sedente a Guillelmo Fortibrachio Normannorum Duce, Saraceni ex Sicilia, Græci ex Appulia pulsi: Sub Henrico Confluentina, sub Alphonso V. Legionensis Synodus in Hispania celebratæ. Sedit ann. 2., mens. circiter decem, obiitque exeunte Junio ann. 1011.

CXLVII.

Benedictus VIII.

149. Tusculanus, qui in Germaniam profectus invocato Henrici auxilio, Gregorii competitoris ambitionem superavit, Henricumque eundem solenni ritu inunxit. Eo tempore Guido Aretinus S. Benedicti Monachus floruit. Multaque Concilia celebrata, Papiense, Ravennatense, Aurelianense, Selingstadiense, Pictaviense, Parisiense, Moguntinum. Hierosolymæ id temporis a Turcis captæ, Capua, Bariumque a Saracenis obsessæ, atque a Venetis liberatæ. Sedit Benedictus annos fere duodecim, obiitque ineunte, ut videtur, Aprili, ann. 1023.

CXLVIII.

Joannes XIX.

150. Romanus, quum eam dignitatem pecunia potius, quam meritis obtinuisse crederetur aversum a se, & rebellantem populum Conradi auxilio, quem Imperatorem coronavit, in officio continuit: Eustachium item Constantinopolitanum, qui sibi Oecumenici Episcopi nomen arrogabat. Eo tempore Canutus Rex solvendi voti causa Romam petiit, & Burgundiæ pars Imperio addita: Concilia Atrebatense, Ansense, Carrofense, Moguntinum, & Lemovicensia duo celebrata, in quibus de S. Martialis Apostolatu acriter disceptatum. Sedit Joannes annos novem, mensesque aliquos, obiitque anno salutis 1033.

CXLIX.

CXLIX.

Benedictus IX.

151. Patris Alberici Tusculani Comitis, suorumque opibus ac potentia admodum juvenis Sacerdotium invasit: Eribertum Mediolanensem excommunicavit: Casimirum Misconis III. Poloni filium Diaconum, & Monachum sacris votis absolvit postulante, ut fertur, populo, quem gravi propter ea, ac diuturnæ pœnitentiæ subjecit. Eo sedente celebratæ Synodi Arelatensis, Aquitanica, Lugdunensis, & Gillensis. Plebs Romana Benedicto contempto novum creavit Pontificem, quem Silvestrum III. appellavit: Benedictus Cremonam adiit, Conradique Imperatoris opera Romam rediit, Silvestrumque excommunicavit anno 1038. Populi tamen seditionem veritus, cum Joanne Archidiacono, magna pecunia accepta, Ecclesiæ regimen partitus est. Ita tres inter Pontifices bona & proventus Rom. Ecclesiæ distribuebantur, quorum Benedictus in Laterano Palatio, Silvester III. in Exquilino; Joannes dictus XX. in Vaticano degebat. Bonorum tandem virorum opera, eo ventum est, ut tres Pontifices simul, & solenniter renuntiarent, ac loco cederent. Joannes Gratianus rei bene gestæ mercedem accepit, Pontificatu obtento ann. 1044., quem tamen non sine ingenti pecunia assequutum fuisse quidam putarunt.

CL.

Gregorius VI.

152. Igitur seu ritè electus, sive impia venditione intrusus, quum Pontificiam militiam contra populi insultus instituisset, post annos duos convocato Henrici Germaniæ Regis opera Sutriensi Concilio Papatui renuntiavit, commissorum omnium venia a Patribus obtenta.

CLI.

Clemens II.

153. Henrico eodem præsente electus est Suigderus, Saxo, Episcopus Bambergensis, qui Henricum cum Agnete conjuge Imperatores coronavit. Henricus Joannem Gratianum secum deferens in Germa-

maniam rediit, eoque abeunte, sive ab Romanis Germanorum dominationem ægrè ferentibus, sive a Bened. IX. Papatum recuperare optante Clemens post menses novem veneno sublatus Sept. ineunte anni 1047. Sedes, obstante Benedicto IX., legitimo pastore caruit menses octo, donec missa ad Henricum legatione, ille Peponem Brixiensem Episcopum eligendum proposuit.

C L I I.

Damasus II.

154. Ritè igitur electus Pepo quum 25. die Julii adiisset, & Dominica sequenti coronatus esset, die 18. Aug. non sine veneni ab eodem Benedicto propinati suspicione vivere desiit ann. 1048.

C L I I I.

S. Leo IX.

155. Germanus Bruno, aut Bauno antea dictus, cujus ætate Berengarii errore serpente multæ celebratæ sunt Synodi, Romana, Rhemensis, Rotomagensis, Moguntina, Brionensis, Vercellensis, Parisiensis, Papiensis, Sipontina, Mantuana, ubi Simoniacorum Episcoporum opera, vehementi tumultu excitato, vix Pontifex incolumis evasit. Deinde Henrici copiis adjutus in Normandos Appuliam occupantes bellum orditur; in prælio tamen captus, & Beneventum delatus (quam ille urbem pro Bamberga ab Henrico obtinuerat) ac deinde Romam, præ animi ægritudine diem obiit 13. Kalend. Maii ann. 1054. quum sedisset ann. 5., mens. 2., dies aliquot. Annum fere solidum sedes vacavit.

C L I V.

Victor II.

156. Germanus, Ghebeardus antea dictus electus Id. April. ann. 1055., cui rem divinam facienti venenum ab Subdiacono propinatum dicitur, authore nefandi consilii Benedicto IX. flagitiosissimo Antipapa. Eo sedente celebrata in Berengarium, & Simoniacos concilia Rotomagense, Luxoviense, Lugdunense, Florentinum, Andegavense, Turonense, Compostellanum, Tolosanum. Victor Henrici Imp. eo tempore mortui filium in Germaniæ regem eligi procuravit, quum-

que

que ann. 2., mens. 2. ac dies 5. sedem tenuisset, fato concessit 4. Kal. Julii ann. 1057.

C L V.

Stephanus X.

157. Federicus antea dictus, Abbas Cassinensis, natione Lotharingus Petrum Damiani Cardinalem creavit; Hildebrandum in Germaniam legatum misit, nec nisi ipso reduce Pontificem eligendum decrevit. Græci id temporis, Alexio Comneno imperante, a Roberto Guiscardo tota pulsi Appulia. Sedit Stephanus mens. 7., dies aliquot, obiitque Florentiæ ante Kal. Aprilis ann. 1058.

Scholion.

158. Anni residuum sedem occupavit Mincius Capuanus, Velitrensis Episcopus, qui Benedictus X. dici voluit. Eo igitur in Senensi Concilio suffragiis omnibus repudiato.

C L V I.

Nicolaus II.

159. Mense Januario ann. 1059. electus est Gherardus Burgundus Episcopus Florentinus, qui Sutriensi in Synodo Benedictum illegitimum, atque intrusum declaravit. Benedictus re cognita, Pontificalia insignia statim posuit, atque ad Nicolai Romam ingressi pedes provolutus, errati veniam impetravit, atque apud S. Mariam Majorem Laica communione contentus vixit. Eo sedente Synodi habitæ Turonensis, Viennensis, Amalphitana, Romanæ duæ adversus Simoniacos, & Berengarium. Jaccetana in Hispania sub Ramiro, ubi Gothicus ritus pene abolitus, Romano inducto: Beneventana, ubi Normandi in Pontificis gratiam adducti auxilia Ei decreverunt, quibus Præneste; Tusculum, Nomentum, aliasque urbes Ecclesiasticæ ditioni restitutæ. Sedit Nicolaus ann. 2., mens. 6., d. 25. obiitque mense Julio ann. 1061.

C L V I I.

Alexander II.

160. Mediolanensis, Lucæ Episcopus, Anselmus antea dictus non expectato Imperatoris consensu electus est. Id autem indigne ferente Agnete Henrici impuberis matre, Cadolaum Parmensem ab Longobardis Episcopis Kal. Novemb. electum, illa confirmavit. Ille armatus Romam contendit, urbisque Leoninæ occupata parte Alexandrum Lucam se recipere compellit, donec Goffredi Etruriæ Ducis copiis adjutus Cadolaum in arcem Sancti Angeli confugere coegit. Inde digressus, & novis auctis copiis Romam rediit; admissusque in urbem ab Cincio Consule, quum Vaticanum peteret, vix irruentis populi manus effugit. Biennium in arce a Romanis obsessus, tandem Cincii favore, magnaque pecunia Roma discessit, Alexandrum tanquam Simoniacum accusat, a quo se ille crimine in Mantuana Synodo plenè purgavit, ibi. Cadolaum excommunicavit, Cardinaliumque plures ab ejus partibus separavit. Hanc præter multæ aliæ id temporis celebratæ sunt Synodi, Osboriensis, Aragoniensis, Cabilonensis, Londinensis, Gerundensis, Tolosana, Barcinonensis, Ausensis, Leyrensis sub Ramiro Rege, & Hugone Pontificis legato: Moguntina Petro Damiano præside super Henrici, & Berthæ matrimonio, Vintonienses duæ, Romanæ quatuor, Rotomagensis. Alexander autem anno undecimo completo, & mense septimo ad plures abiit 11. Kal. Maii ann. 1073.

C L V I I I.

S. Gregorius VII.

161. Hildebrandus antea dictus, Suanæ in Etruria natus, multis obitis legationibus, & laboribus pro Ecclesia exantlatis clarissimus. Decem Romæ celebratis conciliis Simoniacam labem eradicare penitus est conatus. Henricum Imp., Robertum Guiscardum Normannorum Ducem, Nicephorum Botoniatam anathemate perculit, idem comminatus in Philippum I. Galliæ Regem: Agnetem Henrici matrem ad se confugientem tutatus est, & honorificentissimè in Germaniam remisit. Berengarium semel, atque iterum errorem abjurare coegit: Ab Cincio Consule dum sacrum ageret comprehensus, & in arce S. Angeli inclusus est; brevi tamen a populo liberatus. Multis decretis, & Conciliis ejus hortatu aut jussu ubique coactis adversus Be-

Berengarium, incontinentes, & Simoniacos Clericos pugnavit, in his Londinensis Synodus & Erpfordiensis, Pictavienses duæ, Rotomag. Augustodun. Rhemens. Avenion. Lugdun. Meldens. Compiniacens. Juliobonens. Brixiens. Moguntinæ duæ, Lucens. Burgens. ubi Mozarabicus Ritus penitus ab usu communi abolitus. In Wormatiensi Conciliabulo adversus ipsum ann. 1076. Antipapa ab Henrico Imp. & Hugone Cardin. electus est Gilbertus Ravennæ Episcopus, Clemens III. dictus. Iterum ad arcem Sancti Angeli confugientem, atque ibi diu inclusum Robertus Guiscardus liberavit. Inde in Montem Cassinum se contulit, inde Salernum, ubi post duodecim Pontificatus annos diem obiit 8. Kal. Jun. an. 1085.

C L I X.

Victor III.

162. Antea Desiderius, Beneventanus, Abbas Cassinensis post annos vacationis duos ob turbas, & factiones Clementis Papæ intrusi electione impedita, tandem armata manu Romam ingressus, Antipapam è Vaticano abire coegit. Deinde in montem Cassinum secessit, unde Mathildis Comitissæ opibus, & copiis adjutus urbem totam subegit. Henrici tamen minis Romani territi, Mathildis gentes aggrediuntur, atque ex urbe eliminant. Pontifex montem Cassinum, ac deinde Beneventum se contulit, ubi coacta Synodo Clementem, & Schismaticos anathemati addixit. In Burdigalensi Concilio Berengarius postremam, eamque, ut creditur, sinceram palinodiam cecinit. Sedit Victor mens. 4., obiitque 16. Kal. Octob. ann. 1087.

C L X.

Urbanus II.

163. Gallus, Odo antea dictus Ep. Hostiensis statim coacta Synodo latam in Antipapam excommunicationis sententiam, & Gregor. VII. in Simoniacos decreta confirmavit, tum Amalphim, deinde Beneventum petiit, coactisque utrobique Synodis Henricum denuo excommunicavit, Adelaidem tamen ejus conjugem, & Conradum filium Italiæ Regem creatum excepit, ac benignè fovit. Deinde Placentiam adiit, mox Claramontem in Gallia, coactisque Synodis Christianorum Principum arma in Saracenos convertit, Cruciatarum primus inventor. In Italiam regressus, urbe recuperata, & asserto Conrado Italiæ regno Barium se contulit, ubi processio Spiritus Sancti ex

Patre, & Filio ab Anselmo Cantuariensi multo rationum, & authoritatum pondere asserta. Synodi præterea habitæ Tolosana, Stampens. Legionensis, Rhemens. Augustodunens. Constantiens. Pictaviens. Turonens. Nemausens. Rotomag. Audomarens. in Berengarianos, Simoniacos, Concubinarios, Schismaticos. Sedit Urbanus ab die 12. Martii ann. 1088. ad diem 22. Julii ann. 1099.

C L X I.

Paschalis II.

164. Rainerius antea dictus, natione Etruscus Italiæ Duces turbas cientes a Rogerio Siciliæ Comite adjutus compressit, tresque Antipapas, qui Clemente, qui III. dictus est, mortuo, supremam sibi dignitatem abrogabant, Capuæ Alberto; Præneste Theodorico, Ravennæ Maginulpho. Ab Henrico comprehensus dolo, inque Soractem montem amandatus est, donec privilegium extorsit, quosque libuisset ad Ecclesiastica beneficia promovendi; Paschalis tamen Romam redux in Lateranensi Synodo privilegium vi extortum revocavit. Eo tempore Hierosolymæ ab Latinis captæ, Goffredo Bullonio coronato, qui paulo post moriens regnum Balduino fratri reliquit. Concilia habita Romæ præter dictam Lateranensia duo, Pictaviense, Valentinum, Ravennatense, Londinensia tria, Parisiense, Rhemensia duo, Thuringense pro novæ Saxonicæ Ecclesiæ institutione, Florentinum, Guastalense, Tolosanum, Claromontanum, Bellovacens. Viennens. Cabilonens. Coloniens. Vintoniens. Cantuariens. Beneventanum. Paschalis demum Italiæ Ducum, urbiumque assiduis seditionibus, atque Henrici deprædationibus, dolis, atque artibus vexatus, quum sedisset an. 18. mens. 4. d. 7. undecimo Ecclesiæ completo sæculo vivere desiit mens. Januar. ann. 1118. (*Sæc. XII.*)

C L X I I.

Gelasius II.

165. Joannes antea dictus patria Cajetanus, professione Cassinensis, qui ab Cincio comprehensus, ac fustibus percussus vix plebis favore evasit. Paulo post Henrico urbem ingresso Cajetam secessit, & solenni ritu consecratus est, fremente Henrico, qui Mauritium Bracarensem Antipapam creavit sub Gregorii VIII. nomine. Gelasius Romam redux aliquando delituit, tamen Cajetam rursus, ac deinde in Galliam secessit, ubi Pleuritide correptus mortalitatem exuit anno

sui

sui Pontificatus exacto 4. Kal. Febr. ann. 1119. Eo sedente habitæ Synodi Capuana, ubi Henricus, & ejus Antipapa excommunicati, Rotomagens. ubi adversus eosdem implorata auxilia, Cenomanensis pro expeditione in Palæstinam, Tolosana pro auxilio Alphonso Aragonio conferendo adversus Mauros.

CLXIII.

Callixtus II.

166. Guido antea dictus, natione Burgundus, Viennæ in Gallia Episcopus Petri Brovsii Manichæi errorem in Tolosana Synodo damnavit: in Rhemensi excommunicationem in Henricum, & Mauritium Antipapam: Burdinum etiam Antipapam vi oppressit, & comprehensum in Monasterium detrudit, Abaclardum quoque post errorem circa Trinitatem abjuratum, & librum suum flammis traditum in Suessionensi Synodo. Habitæ item Synodi Bellovaci, & Neapoli in Palæstina, & in Gallia quatuor sub Petro Leone legato. Præfuit denique Callixtus Conc. Lateranensi, Occidentis primo Oecumenico; ubi 22. Canones editi, Henricus absolutus, Balduino suppetiæ decretæ: Conradus Constantiensis Ep. SS. adscriptus. Sedit Callixtus annos 5., mens. 10., d. 6., obiitque Id. Decembr. ann. 1124.

CLXIV.

Honorius II.

167. Lambertus de Fagnano antea dictus Bononiensis competitorem habuit Theobaldum, qui Cœlestinus dictus est, quare ad novam electionem ventum est, & Honorius confirmatus. Eo tempore Balduinus a Saracenis captus, & magna pecunia redemptus Antiochiæ principatum regno adnexuit: habitæ Synodi Ravennatensis, Rotomagens., Treccensisque, ubi Templariis constitutiones præscriptæ, Londinens. Cabilonens. Nannetensis, Westmonasteriensisque circa privatam disciplinam. Obiit Honorius post 5. Pontificatus annos & mens. 2. postrid. Id. Februar. ann. 1130.

CLXV.

Innocentius II.

168. Gregorius Paparescus antea dictus, Romanus, competitorem habuit Petrum Leonem Cardin. Ostiensem, qui Anacletus II. dici voluit. Innocentius in Galliam contendit, atque in Stampensi Synodo S. Bernardi præsertim opera, præsentibus Lotharii legatis, legitimus Pontifex proclamatus est, tum in Herbipolensi, ac Rhemensi, ubi Ludovicus Rex inunctus, & canones confecti 16. Lothario deinde ipso adveniente, Romam rediit, ipsumque solenni ritu coronavit, delitescente interim pseudo Anacleto; qui tamen Lothario mortuo ann. 1137. rursum è latebris prodiit; Innocentius Pisam se contulit. Anacleto mortuo, ab ejus factionis gentibus electus est Gregor. Cardin; qui Victor IV. dicebatur. Hic post tres menses, Bernardo agente, Pontificale insigne deposuit, atque Innocentio se submisit. Pontifex a Rogerio Siciliæ Comite, quem armatus persequebatur captus, & honorificentissimè exceptus, ei Siciliæ regnum confirmavit sub Regis titulo, ejusque filios, primum quidem Ducem Appuliæ; alterum Capuæ principem appellavit. Concilium celebravit Oecumenicum X. Lateranens. II. in Petrobrusii, Arnoldi Brixiensis, & Abaelardi errores. Ibi Decimarum possessio Laicis prohibita, & in percussores Clericorum excommunicatio indicta cap. Si quis suadente. Provinciales Synodi habitæ, Moguntina, Placentina, Treccensis, Pisana, Londinensis, Vintoniens. Northamptoniensis, Senonensis, & Constantinopolitana in Bogomilos Hæreticos. Sedit Innoc. ann. 13. mens. 7. diesque aliquot, obiitque septimo Kalend. Octobr. anno 1143.

CLXVI.

Cœlestinus II.

169. Etruscus, antea dictus Guido, cujus tempore Balduino successit Falco Comes Andegavensis. Hic primus, excluso populo, a Clero, & Cardinalibus electus dicitur; quinto tamen mense exacto vitam posuit 7. id. Mart. ann. 1144.

CLXVII.

CLXVII.

Lucius II.

170. Gherardus Caccianemicus antea dictus, Bononiensis, in Romana Synodo quasdam Episcoporum Galliæ lites composuit: Conradum Imp. & Ludovicum Galliæ Regem per S. Bernardum ad pium bellum commovit, qua tempestate Balduinus II. amissa Edessa, Ascalonem occupaverat. Pontifex Romanæ nobilitatis seditionibus crebris agitatus, dum in Capitolium cum armata suorum manu progreditur, saxo percussus interiit 5. Kal. Martii an. 1145.

CLXVIII.

Eugenius III.

171. Pisanus, Abbas Clarevallensis, Romanorum seditionibus vexatus, Viterbium secessit, ubi ab Tiburtinis adjutus Romam rediit, sed brevi exire compulsus Placentiam, & inde Galliam petiit. Ibi in Parisiensi, atque Rhemensi Synodo Gilberti Porretani error de Trinitate discussus, & damnatus. Italiam redux Eugenius Rogerii Regis auxilio Romanis domitis, urbem ingressus est. Ea tempestate Conradus Imper., & Ludovicus Rex, ab Emmanuele Orientis Imperatore dolis, ac malis artibus delusi tum ad Damascum ingenti clade accepta domum redire coacti sunt; Bernardus, qui eis fausta omnia in Viseliacensi, & Carnotensi cœtu promiserat, gentium risu, sannisque exceptus Apologiam pro se scribere coactus fuit. In Trevirensi Synodo Sanctæ Hildegardis scripta discussa, & laudata: in Constantinopolitana Cosmas Patriarcha depositus, Niphonis impii Monachi fautor. Obiit Eugenius Non. Jul. an. 1153., quum sedisset ann. 8. mens. 3., ac dies aliquot.

CLXIX.

Anastasius IV.

172. Romanus, Conradus antea dictus, quum sedisset ann. 1. menses 4. ad plures abiit postr. Kal. Decemb. an. 1154.

C L X X.

Adrianus IV.

173. Anglus, Nicolaus antea dictus, consecrari noluit antequam Arnoldus Brixiensis damnatus Hæreticus, atque omnium fere seditionum author urbe excederet: Guillielmum Siciliæ Regem Ecclesiæ terras invadentem communione privavit: Federicum Imperatorem coronavit, id indignè ferentibus, bellumque minantibus Romanis, quos ille tamen Imperatore, & Siciliæ Rege resipiscente, & reconciliato, adjuvantibus, in officio continuit. Obiit Kalend. Sept. ann. 1159. quum sedisset ann. 4. mens. circiter nono.

C L X X I.

Alexander III.

174. Senensis, antea Rolandus Bandinellus in discordia electus cum Octaviano Card. qui Victor IV. dici voluit, cui Federicus Ænobarbus Imperator favit. Alexander Anagniæ in Pseudo Pontificem, & Imp. excommunicationem protulit, & in Galliam secessit, ubi in Tolosana Synodo omnium fere Christianorum Principum litteris, legitimus Petri successor acclamatus est: in Monspelliensi prolatam in Antipapam, & Schismaticos sententiam confirmavit. Idem in Leodiensi cœtu Octavianus adversus Alexandrum fecit: In Turonensi Senonensis urbs in sedem Pontificiam electa. Federico post vastatam Italiæ partem in Germaniam reverso, & Octaviano mortuo, successit in Antipapatu Guido Cremensis, qui Paschalem III. se appellavit. Alexander Romam contendit, sed superveniente, & urbem obsidente Federico, Guillielmi Regis auxilio Beneventum se contulit. Ibi Græci Imperatoris Emmanuelis, & Federici legatos audiit, tandemque post negotiationes multas, Joanne, qui Callixti III. nomine, pseudo Paschali III. successerat, in ordinem redacto, schisma extinctum est, & indicto Venetiis colloquio pax jurejurando firmata. Porro super his, & in causa Thomæ Cantuariensis multæ præter dictas habitæ Synodi, quarum celebriores Oxoniens. Clarendonens. Londinens. Northamptoniens. Absincens. Armachana, Constantinopolitana adversus Demetrium anti-Trinitarium, Lumbariensis contra Albigenses, Aquisgranensis ubi Carolus M. SS. adscriptus; denique Lateran. III. Oecumenica undecima, ubi præter alia Electio Pontificis Cardinalibus reservata. Sedit Alexander ann. circiter 22., obiitque 5. Kal. Sept. ann. 1181.

CLXXII.

CLXXII.

Lucius III.

175. Lucensis, Ubaldus antea dictus, qui orta super Consulatu controversia, Veronam secessit, ubi in Humiliatos, Patarinos, aliosque Hæreticos Concilium tenuit. Parisiis item, & Londini coactæ Synodi pro expeditione in Palæstinam, ubi Henricus Rex a promissa profectione ob regni communem utilitatem ab Episcopis absolutus. Ea tempestate Alexio pulso, Andronicus imperium occupavit, & Balduinus IV. Sibillæ filiæ maritum, & Balduino nepoti tutorem dedit Guidonem Lusignanum, cui tamen ob superbiam repudiato Beltrandus successit Comes Tripolitanus. Interea Saladinus Hierosolymitanum agrum vastabat, & Andronicus ab Alexio Conmeno occisus est. Pontifex Guillielmum Siciliæ Regem in Græcos arma convertere suadebat. Interea tamen 9. Kalend. Decemb. cessit e vita an. 1185.

CLXXIII.

Urbanus III.

176. Mediolanensis, antea Ubertus, quo tempore Balduino IV., & V. ejus nepote mortuis, & Comite Tripolitano excluso, Guido Lusignanus regnum obtinuit. Beltrandus cum Saracenis fœdus iniit, animosque Saladino addidit, adversus quem auxilia in Parisiensi Synodo procurata. Ille autem Guidone capto Biblion, Aconem, Ascalonem, tandemque Hierosolymam expugnavit, cujus rei notitia accepta Urbanus mærore confectus occubuit 14. Kal. Novemb. quum sedisset ann. 1. mens. 10., ac dies aliquot.

CLXXIV.

Gregorius VIII.

177. Antea Albertus Mora Beneventanus, Pisam ad eadem auxilia procuranda profectus subita morte ereptus est 16. Kal. Januar. ann. 1188., quum sedisset mens. 1., ac dies aliquot.

C L X X V.

Clemens III.

178. Romanus, antea Paulus, quo hortante Federicus Imp., Philippus Galliæ, Richardus Angliæ Rex in Palæstinam trajecerunt. Ea tempestate Guillielmo Siciliæ Regi successit Tancredus. In Gallia Parisiensis, & Rotomagensis Synodi celebratæ. Sedit Clemens annos 3. mens. 2., dies aliquot, obiitque 25. Martii ann. 1191.

C L X X V I.

Cælestinus III.

179. Romanus, Hiacynthus Bobo antea dictus, cujus tempore Henricus coronatus, & Ptolemais post biennium ab Christianis expugnata. Philippus rex in Galliam redux Normandiam, aliasque Anglorum terras vastavit, atque absente Richardo in Angliam trajicere parabat. Richardus ideo, qui Hierosolymas expugnare parabat, cujus regni cessionem ei Guido Lusignanus fecerat, induciis cum Saladino ad quinquennium factis, ad propria redire compulsus est; sed vi tempestatis Aquilejam delatus, atque Henrici jussu captus, non nisi post biennium ab Eleonora conjuge redemptus in Angliam trajecit. Henricus Tancredo, & Rogerio ejus filio mortuis, Siciliam occupavit, jure Constantiæ Rogerii quondam Regis filiæ. Concilia celebrata Compiniacense, Monspelliense, Eboracense, & Senonense adversus Albigenses, Parisiensia item duo in causa matrimonii Philippi, & Ildegundæ; hæc tamen nonnulli referunt ad sequentem anni 1198. quo 6. Id. Januar. Cœlestinus obiit, quum sedisset ann. 6., mens. ferè 10.

C L X X V I I.

Innocentius III.

180. Antea Lotharius, Anagniensis, cujus ætate de Orientis, atque Occidentis Imperio ambigue, atque acriter certatum est. Latinorum Classis duce Bonifacio Constantinopolim occupavit, & a Græcis ad Latinos imperium translatum Balduino Belgii Comite in Imperatorem, & Thoma Morosino Veneto in Patriarcham electo, traditaque Bonifacio Creta Insula, quam ille ann. 1205. Venetis vendidit: Ha-

bi-

bita Concilia Divionens., Nigellense, Suessionense circa Ildegundis, & Philippi matrimonium: Dalmaticum, & Londinense circa disciplinam: Parisiensia quatuor, Meldense, Avenionense, Vaurense, Monspelliense, Sanctiægidianum, Melodunense circa Albigenses, & mutuas Regum invasiones, ac lites: denique Lateranense IV., Oecumenicum XII. ubi auxilia Christianis in Palæstina bellum gerentibus procurata, Albigensium, Almerici, & Joachimi Abbatis errores damnati, & canones 60. confecti, quos inter de annua Confessione, & Communione præceptum. Porro Innocentius dum Pisanorum, Genuensium, aliarumque Italiæ urbium Guelphorum, & Ghibellinorum factionibus ardentium paci procurandæ incumbit, Perugiæ decessit 16. Jul. ann. 1216. quum sedisset ann. 18. mens. 6, ac dies aliquot, & anno sui Pontificatus 2. duodecimum Ecclesiæ sæculum complevisset (*Sæc. XIII.*)

CLXXVIII.

Honorius III.

181. Antea Cencius Sabellus, Romanus, cujus tempore Mendicantium Ordines nati, Prædicatorum, Minorum, & Carmelitarum regula confirmata. Damiata urbs obsessa, & capta, sed brevi Noradino restituta: Joannes Brennæus in Italiam venit, Iolantam filiam Federico tradidit, sibi Berengariam Castellani Regis filiam conjugem accepit: habitæ Synodi Oxoniensis, Melodunensis, & Moguntina circa disciplinam; Parisienses quatuor, Monspelliensis, Bituricensis in causa Albigensium, & Comitis Tolosani eorum fautoris. Obiit Honorius 15. Kal. April. ann. 1227. quum sedisset ann. 10., mens. 8.

CLXXIX.

Gregorius IX.

182. Campanus, antea Hugolinus, qui Federicum in Palæstinam trajicere excommunicatione coegit, ejus duces Ecclesiæ ditionem invadentes, armis compressit, tandemque resipiscentem coronavit. Bis Romanorum seditionibus urbe pulsus, Dominicum, Franciscum, & Antonium Patavinum SS. adscripsit. Eo tempore rursum turbas ciente, & Italiam vastante Federico, & Cardinales ad Concilium a Gregorio indictum properantes comprehendente, Guelphis Papæ, Ghibellinis Imperatori faventibus, ingens turbatio rerum exorta. Compilatio Decretalium per Raimundum Pennafortium ordinata,

de

de qua & aliis alibi. Sedit Gregorius annos 14. mens. 5., ac dies aliquot.

CLXXX.

Cœlestinus IV.

183. Antea Goffredus Mediolanensis, duodecimo ab sua electione die vitam posuit, ejusque obitu annum solidum, & menses 8. sedes vacavit.

CLXXXI.

Innocentius IV.

184. Tandem ad preces Sancti Ludovici Cardinalibus per Federicum liberis ire permissis, mense Aug. ann. 1243. electus est Sinibaldus Fieschius Genuensis, ante Pontificatum ipsi amicitia conjunctissimus, quique omni studio eum ad pacem trahere conatus est. Quum tamen nulla satisfactione exhibita absolutionem sibi dari in cassum contendisset, ad arma iterum conversus est. Quare Innocentius indicto Lugduni Concilio, Oecumenico 13. latam excommunicationis sententiam in eum confirmavit, & subditos juramento fidelitatis absolvit. Federicus paulo post moritur Conrado filio successore relicto, quem Innocentius Romam reversus fer. 5. in Cœna Domini solenni ritu excommunicavit. Ille quarto regni sui anno, Corradino filio relicto vivere desiit, anno 1254., quem post menses aliquos sequutus est Innocentius Neapoli 7. Id. Decemb. quum sedisset annos 11., mens. 4. Præter Lugdunense Concilium habita etiam sub Innocentio Ilerdense, Biterrense, Catalaunicum, Valentinum, Albiense, in quibus præter Constitutiones Inquisitoribus Fidei, tunc recens institutis præscriptas, nihil notatu dignum. Cavisse Innocentius decreto suo dicitur, ne Sacerdotes, nisi officio Matutino dicto Missam celebrent.

CLXXXII.

Alexander IV.

185. Antea Rainaldus, Anagniensis electus Neapoli mens. Decembr. Corradinum Imperatorem eligi vetuit intentato anathemate: legatos misit Constantinopolim pro utriusque Ecclesiæ concordia: librum

brum

brum Guillielmi de Sancto amore a Sancto Ludovico missum, ac discussum damnavit. Ejus tempore Parisiensia duo concilia celebrata pro rebus Palæstinæ: Burdigalense, Arelatense, Coloniense, Moguntinum, Londinense, Lambetense circa disciplinam, & quorumdam abusuum reformationem. Ad Kal. Julias ann. 1261. Ravennæ concilium congregandum indixerat Pontifex, orta vero plebis seditione, Viterbium primum, mox Anagniam secessit ad biennium. Inde Viterbium regressus 8. Kalend. Junii vivere desiit eodem anno 1261., quum sedisset ann. 6., menses 5.

CLXXXIII.

Urbanus IV.

186. Antea Jacobus Pantaleon, Trecensis festum instituit Corporis Domini. Eo sedente Constantinopolis post annos fere 60. ad Græcos rediit, Balduino II. spoliato, & Imp. Michaele Palæologo, qui quum utriusque Ecclesiæ fœderi se studere significaret, Pontificis animum arma meditantem demulsit. Synodus Nannetensis, Compiniacensis, & Parisiensis habita, ubi Pontificis Legatus Decimas a Clero obtinuit in favorem Caroli Ducis Andegavensis, ut eo subsidio Manfredum Siciliam occupantem, inde pelleret. Sedit Urbanus annos 3., mens. 1. ac dies paucos, obiitque Perusiæ postr. Kalend. Octob. ann. 1264.

CLXXXIV.

Clemens IV.

187. Martio mense seq. anni 1265. electus est Guido Grossus Ep. Narbonensis, cujus filias duas propter dotis defectum innuptas remansisse S. Antoninus scribit. Idem Nepotem tres Præbendas habentem quam vellet eligere, reliquas renuntiare coegit. Ducem Andegavensem, Manfredo pulso, Siciliæ Regem salutavit ea conditione, ut unciarum auri 8000., & album equum Rom. Pontifici quotannis penderet 3. Kalend. Jul. Habitæ eo sedente Synodi, Uratislaviensis, Viennensis, & in Anglia Londinens., Westmonasteriensis, Nortamptoniensis pro Regni negotiis. Sedit Clem. ann. 3., mens. 7., obiitque exeunte Novemb. ann. 1268.

CLXXXV.

Gregorius X.

188. Post annos 2., ac menses fere decem, Kalend. Sept. ann. 1271. electus, Theobaldus antea dictus, Placentinus, in Syria degens; coronatusque 6. Kalend. Apr. ann. 1272. Pro expeditione in Palæstinam, & concordia Latinæ, & Græcæ Ecclesiæ Concilium celebravit Lugdunense II., Oecumenicum XIV., cui per suos Legatos, & Bonaventuram Cardin. præfuit, coadjuvante Michaele Palæologo, & Joanne Vecco. Ibi Canones unus supra 30. confecti, qui in librum Decretalium Sextum relati: Novos ordines sine Apostolica authoritate instituere vetitum, institutos confirmatione non obtenta aboleri decretum; de Conclavi Cardinalium forma præscripta, quæ habetur in cap. Ubi periculum de El. in 6. In Salisburiensi Synodo Lugdunensis decreta recepta, atque observari jussa: in Constantinopolitana Joannes Veccus Patriarcha electus. Ab Gregorio Rodulphus Com. Auspurgensis, primus ex Austriaca familia Imperator coronatus est. Pontifex dum per Etruriam Romam regreditur, Aretii moritur 4. Id. Januar. an. 1276., quum sedisset an. 4., mens. 4.

CLXXXVI.

Innocentius V.

189. Antea Petrus de Tarantasia. Ord. Prædicat. missis in Etruriam legatis pacem inter Lucenses, ac Pisanos procuravit, Servorum ordinem declaravit abolitum. Obiit Mense Majo sui Pontificatus 5.

CLXXXVII.

Adrianus V.

190. Othobonus Flischus antea dictus, Genuensis, Diaconus, Gregorii Constitutionem de Conclavi Cardinalium abrogavit, Viterbiumque ut Sacerdotio initiaretur, profectus, vivere desiit 15. Kalend. Septemb. an. ej. 1276. quum sedisset dies 37.

CLXXXVIII.

C L X X X V I I I.

Joannes XX.

191. Lusitanus abrogationem Gregorianæ Constitutionis confirmavit, Michaelem Palæologum ad fœderis Lugdunensis observationem solicitavit, subsidia in Palæstinam procuravit enixè. Eo sedente habitæ Synodi Bituricensis, & Constantinopolitana, ex qua Joannes Veccus fidei suæ professionem Romam misit. Pontifex Viterbii cameræ labentis ruinâ oppressus interiit 6. Maii an. 1277., quum sedisset menses circiter octo.

C L X X X I X.

Nicolaus III.

192. Joannes Cajetanus antea dictus ab Rodulpho obtinuit, ut suas, & prædecessorum suorum donationes, & privilegia R. E. facta rati haberet, & Electorum testimoniis fulciret: Carolum Siciliæ Regem ad Senatoriam urbis dignitatem abdicandam induxit, proque firmanda inter Latinos, Græcosque concordia strenuè laboravit, cooperante Joanne Vecco & factis, & scriptis pro fide Latinorum. Eo sedente Andegavensis, Biterrensis, Budensis, Compiniacensis, Langesiensis, & Redingensis Synodi celebratæ. Sedit Nicolaus annos 2., & menses fere novem, obiitque 11. Kalend. Septembr. an. 1280.

C X C.

Martinus IV.

193. Simon de Bria antea dictus, Gallus 8. Kalend. Martii electus est ann. 1281. Collatam sibi Senatoriam Urbis dignitatem Carolo Siciliæ Regi restituit: Palæologum Imp. jurata cum Latinis fœdera rumpentem, & qui Joannem Veccum deposuerat, quem postea Andronicus exulem amandavit, a fidelium communione semovit, nec non & Petrum Aragoniæ regem, qui Vesperarum Sicilianarum author ferebatur, seu cœdis Gallorum peractæ ad 31. Martii ann. 1282. Eo sedente habitæ Synodi, Parisiensis, ubi Mendicantibus excipiendarum in Paschate confessionum privilegium ademptum scribit Dubolajus, deceptus constitutione Martini hujus datâ 20. Januarii ann. 1280.;

1280.; sed eo tempore nondum sedebat Martinus: Salisburgensis, Lambechensis, Lancisiensis ubi Henricus IV. Silesiæ Dux excommunicatus ob bonorum Ecclesiasticorum invasionem. Obiit Martinus Perusii 4. Kalend. Aprilis, ann. 1285. quum sedisset ann. 4., mensem 1.

C X C I.

Honorius IV.

194. Romanus, Jacobus Sabellus antea dictus Ordinem Eremitarum Sancti Aug. confirmavit, & iterum Carmelitarum, quos & album pallium pro virgato deferre jussit: linguas Orientales Parisiis, & alibi doceri voluit. Eo sedente Ravennatensis, Rhemensis, Burdigalensis, Mediolanensis, Herbipolensis Synodi habitæ circa mores, ac disciplinam: Londinensis circa quosdam de Eucharistia errores, & de mortuo Christi corpore. Melphitana, ubi jussum ut Presbyteri Græci in regno Siciliæ additionem: filioque canerent. Sedit Honorius ann. 2., dies aliquot, obiitque tertio Non. April. an. 1287.

C X C I I.

Nicolaus IV.

195. Antea Hieronymus Tineus, Asculanus ex Ordine Minorum, cujus tempore Inquisitionis tribunal Venetiis erectum, Ptolemais a Soldano capta, Christiani a tota Syria pulsi: habita Concilia, Insulanum, Mediolanense, Salisburgense, ubi de Theutonicis, ac Templariis Equitibus in unum corpus redigendis, quorum ob dissidia res Christiana in Syria corruisse credebatur. Nicolaus ob eam cladem mærore confectus occubuit prid. Non. April. an. 1291., sui Pontificatus 4., mense 1, die 14.

C X C I I I.

S. Cælestinus V.

196. Petrus Moronus antea dictus, Molisinus post duos vacationis annos, & menses tres Aquilæ consecratus Constitutionem Greg. X. de Conclavi Cardinalium renovavit: Cœlestinorum Ordinem a se institutum, & appellatum confirmavit. Mortuo autem Card. Latino ex Or-

Ordin. PP. quo consultore Ecclesiam regebat, oneri pariter & honori cessit 24. Decemb. ann. 1294., quum sedem tenuisset menses 5.

CXCIV.

Bonifacius VIII.

197. Benedictus Cajetanus antea dictus, Anagniensis, Cœlestinum prædecessorem in arce Funonis inclusit, unde post biennium vir sanctissimus ad cœlos evolavit; sextum librum Decretalibus addidit, Ludovicum IX. Sanctis adscripsit, Jubilæum centenarium instituit; Jacobo Aragonio Sardiniam, Corsicamque in perpetuum feudum concessit, Apostolorum, Evangelistarum, & Doctorum festivitates instituit; Petrum, & Jacobum Columnam Cardinales exauthoratos Roma expulit, quod Cœlestini renuntiationem nullam, & malis Bonifacii artibus procuratam evulgarent: corpus Hermanni Bisochi authoris Fratricellorum Ferrariæ per annos 30. cultum exhumari, & comburi jussit: Albertum Austriacum Imperatorem salutavit, conditione imposita ut bellum gereret contra Philippum Galliæ Regem, quem Pontifex excommunicaverat, & regno spoliare tentaverat incassum. Demum Anagniæ per Sciarram Columnam, & Guillielmum Nogaretum in custodia habitus & ab suis civibus liberatus Romam rediit, ubi post dies 35. ad plures abiit. Habitæ sub eo Pontifice Synodi, Londinensis, ubi Regi subsidium decretum, Merdonensis circa decimarum exactionem, Rotomagensis, Biterrensis, Melodunensis, Rhemensisque circa disciplinam, Pennafeldensis, ubi Antiphona: Salve Regina Completorio addita: Romana, unde prodiit famosa Constitutio: Unam Sanctam de duabus Potestatibus, in qua Pontifex, vacante Imperio, alteram Thiaræ coronam addidit, atque Imperiali in veste se conspiciendum populo dedit, duobus ante se gladiis delatis: Parisienses tres adversus eam Bonifacii constitutionem, in quibus auditæ Nogaretti, atque aliorum querimoniæ, & accusationes in Pontificem, actumque de Concilio ad ejus depositionem indicendo. Sedit Bonifacius ann. 8., mens. 9., dies 17., obiitque 5. Id. Octobr. ann. 1303., decimotertio completo Christiani nominis sæculo. (*Sæc. XIV.*)

CXCV.

C X C V.

℞. Benedictus XI.

198. Nico'aus antea dictus, Tarvisinus ex Ord. PP. Petrum, & Jacobum Columnios in Urbem, & suorum bonorum possessionem restituit, non tamen in Cardinalatus dignitatem: Sciarram Columnium, & Nogarettum damnavit: confirmavit ordinem Servorum B. M. Philippo Galliæ Regi antiqua privilegia a Bonifacio adempta restituit: dissensiones inter Clerum, & mendicantes composuit edita Constitutione: inter cunctas 1. de Privil. bellum in Saracenos instaurare tentabat, quum octavo sui Pontificatus mense vivere desiit 6. Julii ann. 1304.

C X C V I.

Clemens V.

199. Nonis Junii ann. 1305. absens electus est Bernardus de Gotto, Archiep. Burdegalensis, & Lugduni 18. Kal. Decemb. coronatus. Primus hic Avenione substitit, Italiæ cura tribus Cardinalibus relicta, a quibus Henricus VII. Imperator coronatus est 3. Kal. Jul. ann. 1312. Jacobo II. Aragonio Sardiniæ regnum confirmavit: Philippum Pulchrum in communionem recepit: Andronicum Or. Imperatorem eadem privavit: Petro, & Jacobo Columniis Cardinalatum restituit, Galliæ Regibus in die Inunctionis suæ, & in mortis articulo Communionem sub utraque specie concessit. Concilium celebravit Viennæ in Gallia, Oecumenicum XV., ubi Petri Joann. Olivi, Dulcinistarum, Fratricellorum, Beguardorum, & Beguinarum errores damnati in cap. Ad nostrum Clem. de Hæret: Templarii, non per viam justitiæ, sed per viam expedientiæ, ut Pontifex loquitur, extincti: confirmatæ constitutiones de Conclavi Cardinalium decreto relato in cap. Ne Romani 2. Clem. de Elect. Linguarum Orientalium Professores statuti in Academiis Bononiensi, Parisiensi, Oxoniensi, & Salmantina cap. Inter solicitudines, Clem. de Magistr. Ex his, & aliis Clementis V. constitutionibus liber prodiit, qui dicitur Clementinarum. Synodi præterea sub eo Pontifice; Budensis, Parisienses duæ, Silvanectensis, Coloniensis, Ravennatensis pleræque in causa Templariorum. Clemens annos 8. sedit, menses 10., & dies 15., obiitque 12. Aprilis ann. 1314. ante elapsum annum ab obitu Jacobi de Molis magni Templariorum Magistri, qui jam jam flammis tra-

tradendus & Pontificem, & Philippum Regem ad supremi Judicis tribunal compellasse dicitur.

CXCVII.

Joannes XXI.

200. Post annos 2., mensesque fere quatuor electus 7. Aug. ann. 1316., dictus antea Jacobus de Eusa Gallus, vulgò Joannes XXII., quo tempore Federicus Alberti filius, & Ludovicus Bavarus de Imperio disputabant. Ludovicus armis potentior Romam profectus coronatur, & Rainalutium de Corbario ex Ord. Minorum Pontificem eligendum curat, qui Nicolaus V. dictus est. Ille non multo post Avenionem profectus, ab Joanne Pontifice veniam petiit, atque impetravit. Ludovicus anathemate perculsus, & populis Sacramenti Religione solutis cessit Italia. Joannes quæstionem de Paupertate Franciscanorum diremit edita Constitutione, quæ habetur in Extravag. ad Conditorem de Verb. sig. Fraticellorum, & Joannis de Polliaco Parisiensis Doctoris errores damnavit, Thomam Aquinatem, & Ludovicum Tolosanum inter Sanctos retulit: Festum Sanctissimæ Trinitatis, & Catharinæ V., & M. instituit. Malè audiit, quod animas Sanctorum non nisi post extremum judicium Deo fruituras aliquando asseruisse visus sit. Multæ habitæ sub Joanne Synodi circa disciplinam, bonorum Ecclesiasticorum immunitatem, & negotia Episcoporum, Salmuriensis, Avenionensis, Parisiensis, Bononiensis, Silvanectenses 3., Coloniensis, Vallisoletana, Toletana, Laonensis, Complutensis, Compiniacensis, Noviomensis. Obiit Joannes prid. Non. Decemb. ann. 1334., quum sedisset annos 18., mens. 4.,

CXCVIII.

Benedictus XII.

201. Antea Jacobus Fornerius Cisterciensis, Ludovicum Bavarum excommunicavit iterum, quoque se contra ejus potentiam præmuniret, Veronam Scaligeris, Ferrariam Estensibus, Gonzagis Mantuam possidendam permisit; ortam sub Joanne de Justorum animabus controversiam diremit. Eo tempore habita Avenionensis Synodus, ubi abstinentia a carnibus in Sabbatho injuncta Clericis; Frisingensis ubi multa circa disciplinam salubriter statuta. Obiit Benedictus Avenione 24. Apr. ann. 1342., quum sedisset ann. 7., mens. 4. d. 4.

C X C I X.

Clemens VI.

202. Antea Petrus Roggerius Lemovix, qui adversus Ludovicum Bavarum, Carolum Regis Bohemiæ filium eligi curavit, & confirmavit electum: Jubilæum a centesimo ad quinquagesimum annum: Annatas instituit: Flagellantium sectam damnavit, Avenionem ab Joanna Appuliæ Regina emit: S. Ivonem Beatis adscripsit. Celebratæ sub eo Synodi, Londinensis, Bitterrensis, & Constantinopolitana sub Joanne Cantacuzeno, ubi Gregorii Palamæ errores approbati. Obiit Clemens 6. Decemb. ann. 1352., quum sedisset an. 10. mens. 7.

C C.

Innocentius VI.

203. Antea Stephanus, Lemovix, Rotæ Auditoribus stipendia assignavit, Avenionem muro circumdedit: Bononiæ Theologiæ Scholasticæ Cathedram erexit, eamque Urbem, atque alias Italiæ per Ægidium Albornozium Cardinalem ab Tyrannis, atque usurpatoribus vendicavit. In Anglia Cantuariensis, & Lambesitana Synodus habita. Obiit Pontifex 4. Septemb. an. 1362., quum sedisset an. 9., & totidem ferè menses.

C C I.

Urbanus V.

204. Antea Guillielmus de Grisaco, Lemovix, quo sedente Joannes Palæologus Orientis, & Carolus IV. Occidentis Imperator Romam adierunt, & Carolus sacrificanti ad B. Petrum Pontifici Diaconus ministravit an. 1367. Urbanus Jesuatorum, & S. Birgittæ Regulam confirmavit, Thiaræ Pontificum tertiam coronam adjunxit, atque Avenionem reversus obiit 19. Decemb. an. 1370., quum sedisset an. 8., mens. 1., dies aliquot. Eo sedente Andegavensis, Eboracensis, & Vaurensis Synodi celebratæ.

CCII.

CCII.

Gregorius XI.

205. Petrus Roggerius antea dictus, item Lemovix, nondum Sacerdos Pontifex creatus est. Festum Præsentationis B. V. in Occidente instituit, festo Nativitatis ejusdem jejunium præmisit. Ordinem Eremitarum S. Hieronymi confirmavit. Florentinis anathema dixit, quod tamen ad preces Catharinæ Virginis relaxavit. Pontificiam Sedem post annos ab obitu Benedicti XI., 72. mensesque 6. in Italiam reduxit, Romam ingressus 17. Jan. an. 1377. Tandem quum Gallorum Cardinalium hortatu Avenionem cogitaret, finem vivendi fecit 6. Kal. April. an. 1378.

CCIII.

Urbanus VI.

206. Comitiis Pontificalibus indictis, veriti Romani ne iterum sedes in Galliam migraret, minis, & clamoribus Romanum, aut saltem Italum Pontificem deposcebant, electusque est Bartholomæus Prignanus Barii in Appulia natus. Mox tamen vim protestantibus Gallis Cardinalibus, & agente Joanna Neapolis Regina Urbano infensa electus est Robertus, Clemens VII. dictus, qui statim Avenionem se contulit. Utrique Principes, virique, quum doctissimi, tum religiosissimi favebant, nec unquam, ut S. Antoninus scribit, sic potuit quæstio illa dirimi, quin semper apud plurimos dubia remaneret. Is tamen Ecclesiæ Catholicæ sensus fuisse videtur, inquit Spondanus, Urbanum, ejusque in Italia successores veros, & germanos fuisse Pontifices. Unde quum alii postea Clementis VII., & Benedicti XIII. nomen assumpserint, nemo tamen iterum Urbanus VI. aut Gregorius XII. dictus sit. Urbanus porro quum per annos 11. universam fere Italiam percurrisset, tandem Romæ quievit: Jubilæum a 50., ad 33. quemque annum contraxit: festum Visitationis instituit, nec multo post Id. Octobris an. 1389., veneno, ut creditur, sublatus est, quum sedisset annos 11., menses fere 5. Eo sedente adversus Wiclephum habita Synodus Londinensis, Palentina quoque in Hispania, sub Joanne I. Rege, & Petro de Luna pseudo Clementis legato, tum etiam Salisburiensis circa disciplinam, & Cleri reformationem.

C C I V.

Bonifacius IX.

207. Petrus Thomacellus antea dictus, Neapolitanus, qui Birgittam Sanctis adscripsit, & Annatæ pensionem, teste Platina, omnibus Beneficiariis imposuit: ab eo Electores Imperii facultatem postulasse dicuntur transferendi regnum a Wenceslao ad Robertum Bavariæ Ducem. Eo sedente in Londinensi Concilio, 18. Wiclephi propositiones confixæ: Roberto, qui Clemens VII. dicebatur, mortuo anno 1394., electus est ab suæ factionis hominibus Petrus de Luna, Hispanus, Benedictus XIII. nuncupatus, quem quum Carolus VI. ad cedendum inducere non posset, ab ejus obsequio se, gentesque suas subtraxit in 2. Parisiensi Synodo an. 1395. Bonifacius quum Jubilæo celebrato sæculum 14. complevisset, obiit Kalend. Octobris an. 1404., quum sedisset annos fere 15. (*Sæc. XV.*)

C C V.

Innocentius VII.

208. Antea Cosmas Melioratus, Sulmonensis, qui orta seditione Viterbium secessit, donec firmata authoritate Romam rediit. Ladislaum factiosis faventem, excommunicatum regno exuit, quod Ecclesiæ feudum erat, sed mox resipiscenti restituit: Pontificatui abdicando, quod jurasse in sua electione dicebatur, pronum se semper, & facilem præbuit; sed Petro de Luna resistente, a quo propterea in Parisiensi Synodo iterum se Gallia subduxit, Pontifex obiit Idib. Novembr. an. 1406., quum sedisset annos 2., ac dies aliquot.

C C V I.

Gregor. XII.

209. Antea Angelus Corrarius Venetus sub eodem jurejurando electus est. Indictus utriusque Papæ congressus ad Saonam, infectus tamen. Concilium igitur Pisis coactum, ubi neutro Papa comparente session. 15. uterque excommunicatus, ac depositus, & in 18. Petrus de Candia ex Ord. Minorum electus est sub nomine Alexandri V. Gregorius in Synodo Aquilejensi Benedicto, & Alexandro anathema dixit, juratus iterum se dignitati renuntiaturum, mo-

modo idem ipsi præstarent. Petrus de Luna Pisas procuratores cum litteris ad Legatos suos misit; his tamen ab Carolo Rege detentis, & interceptis Epistolis, omnis exstinguendi schismatis occlusa via est. Habita eo tempore in Wiclephum Synodus Oxoniensis, ubi versio Vulgaris Bibliorum prohibita. Sedit Gregorius legitimus Pontifex annos 2., & menses aliquot, nimirum ab anno 1406. exeunte, ad annum 1409., in quo per Pisanum Concilium exauthoratus est, & electus.

CCVII.

Alexander V.

210. De quo nuper dictum. Ille Cardinalibus mutandi Tituli facultatem fecisse dicitur. Regnum Neapolitanum ab Ladislao ad Ludovicum Andegavensem transtulit: Romam ab eodem Ladislao oppressam per Cardinalem Ursinum recuperavit, quam quum peteret, Bononiæ, veneno, ut S. Antoninus scribit, sublatus est 8. Aprilis an. 1410., Pontificatus mense 10., die 8.

CCVIII.

Joannes XXII.

211. Antea Balthasar Cossa, Neapolitanus Bononiæ electus Sigismundum Caroli IV. filium Hungariæ Regem, Imperatorem eligendum curavit, coronavitque: Romana in Synodo Wiclephi errores damnavit. In Ladislaum bellum fecit, sed urbe ab eo capta Sutrium petere coactus est, inde Bononiam, unde Constantiam ad indictum Concilium, cujus Primæ, & Secundæ sessioni præfuit. In 10. judicio stare pollicitus, annulum Piscatoris resignavit. In 12. depositionis ejus lecta sententia est, quum prius ipsi ut sponte renuntiaret, persuasum esset: in 14. Gregorius XII. renuntiavit: Petrus de Luna ut idem præstaret induci nunquam potuit. In eo Concilio Wiclephi, Joannis Hussii, & Hieronymi Pragensis errores damnati, sicut in Londinensi Joannes Oldcastellus. Sedit Joannes verus Pontifex ab anno 1410. ad 1415., quo per Synodi sententiam fuit depositus.

CCIX.

Martinus V.

212. Antea Odo Columna, Romanus electus in Constantiensi Synodo session. 41. habita 26. Julii an. 1417., præfuit duabus postremis sessionibus. Eo sedente Recineti mortuus est Angelus Corrarius, qui fuerat Gregorius XII. Balthassar Cossa, qui fuerat Joannes XXII. e custodia Bavariæ Ducis elapsus, & a Martino benigne susceptus est, Decanus Cardinalium constitutus, & eminentior ei sedes concessa, qui tamen paulo post Florentiæ occubuit 11. Kalend. Januarii anni 1419. obiit pariter in arce Penniscolæ Diæcesis Valentinæ Petrus de Luna, qui quum per annos 30. umbratilem Pontificatum gessisset, vel hoc ipso se non Papam, sed Antipapam fuisse, demonstravit, quod Petri annos transgressus fuerit, quos legitimorum Pontificum hucusque nullus æquavit. Martinus edita constitutione sancivit nullum excommunicatum vitandum, nisi expressè nominatum: Bononienses ab Antonio Bentivoglio ad defectionem adductos, & Braccium Perusinum alias urbes occupantem domuit. Ægidium Munium Barcinonensem, qui Clementis VIII. nomine Petro de Luna suffectus fuerat, supplicem, ac resipiscentem benignè excepit, & Majoricensi Episcopatu decoravit. Celebratæ sub Martino Synodi Salisburiensis, Coloniensis, Dertusana, Papiensisque pro restauratione disciplinæ. Indicta etiam Basileensis, quo quum Legatum Julium Cæsarinum misisset, fato concessit 10. Kal. Mart. an. 1431. Pontificatus 13. cum mensibus septem.

CCX.

Eugenius IV.

213. Antea Gabriel Condulmerius Venetus Concilium Basiliense feliciter præside Julio Cardin. Cæsarino inchoatum est. Quum autem Pontifex Concilium alio transferre decrevisset, commoti Patres a sess. 2. usque ad 16. multa RR. Pontificum authoritati adversa, & contumeliosa decreverunt. Eugenius Sigismundi Imperatoris hortatu permisit demum ut Basileæ concilium celebrari pergeret. Itaque habitæ sessiones ab 17. usque ad 25., quæ incidit in diem Maii 7. an. 1437. Ibi orto dissidio circa Concilii translationem, quum Eugenius Ferrariam designasset, ad alterius Pontificis electionem ventum est. Itaque electus Amadæus Sabaudius Non. Nov. an. 1439. Felicis V. nomine

mine assumpto. Eugenius interea Ferrariæ Concilium inchoavit, ubi per 15. sessiones actum de stabilienda cum Græcis concordia adnitente potissimum Joanne Palæologo Imperatore præsente, & Bessarione Episc. Nicœno, & Græcis communi cum Latinis fidei professioni subscribentibus. Post Græcorum discessum ab die 26. Aug. an. 1439., Florentiæ, quo Synodus translata fuerat, actum per sessiones 5. de Concordia Armenorum, Jacobitarum, Syrorum, aliorumque Orientalium, & de Schismatis extinctione: Amadæo Antipapæ, ejusque electoribus, & fautoribus anathema dictum. Eo tempore Sigismundo successit Albertus Austriacus electus Francofurti, ubi sicut & Moguntiæ decreta omnia Concilii Basileensis contra Pontificiam authoritatem rejecta sunt: In Burdigalensi Conventu edita est Pragmatica Sanctio, quæ libertatum Ecclesiæ Gallicanæ propugnaculum ab ejus gentis scriptoribus habetur. Eugenius quum Bessarionem Cardinalem, & Constantinopolitanum Patriarcham creasset, & Nicolaum Tolentinatem Sanctis adscripsisset, obiit 7. Kal. Mart. an. 1447. quum sedisset annos ferè sexdecim.

CCXI.

Nicolaus V.

214. Sarsanensis Amadæum Sabaudium abdicantem benignè excepit, & Cardinalatu, ac perpetua Sabaudiæ legatione decoravit, Bernardinum Senensem SS. accensuit, Patriarchatum Grado Venetias transtulit, Federicum III. Imperatorem coronavit. Eo sedente Græci in Constantinopolitana Synodo rursus a fide Romana defecerunt non abnuente Joanne, cui paulo post mortuo Constantinus filius successit. Eo regnante Mahometes II. Amurathis II. filius Constantinopoli potitus est, & Græcorum Imperium a Constantino M. erectum in Constantino Palæologo Helenæ filio post annos 1123. finem habuit quod Joanni Palæologo Nicolaum comminatum fuisse ferebatur. Andegavensis Synodus per eos annos celebrata. Obiit Nicolaus mens. Mart. 1455. quum sedisset annos fere octo.

CCXII.

Callixtus III.

215. Antea Alphonsus Borgia, Hispanus, in quem Alanus Cardin. suffragia detorsit in Bessarionem inclinantia. Meridianam Virginis salutationem instituit pro auxilio impetrando adversus Turcas, quos per

per Joannem Capistranum ad Taurunum ingenti clade affecit, in cujus rei gratam memoriam festum Transfigurationis instituit, Vincentium Ferrerium Beatis accensuit: Regnum Siciliæ, ac Neapolis resumpsit, repugnante Ferdinando Alphonsi Aragonii notho filio, in quem arma parantem mors oppressit 8. Id. Augusti anni 1458., quum sedisset an. 3., menses fere 4. Eo sedente Suessionensis, & Avenionensis Synodi habitæ.

CCXIII.

Pius II.

216. Antea Æneas Silvius nonnulla ab se in juventute minus accurate scripta & in Basileensi concilio adversus Pontificiam authoritatem asserta retractasse fertur dicens Æneam rejicite, Pium suscipite. Appellationem ad futurum Concilium sub excommunicatione vetuit: pacta Bohemorum cum Basileensis Concilii legatis abrogavit: Pragmaticam Sanctionem ab Ludovico XI. abrogari obtinuit: bellum in Turcas instaurare studuit, cui rei dum incumberet, Anconæ mortuus est 19. Kal. Septemb. an. 1464. Sedit an. 6. quo tempore Moguntiæ circa mores multa salubriter statuta.

CCXIV.

Paulus II.

217. Antea Petrus Barbus, Venetus, Hussitas per Bohemiam grassantes coercuit: Georgio eorum Rege, & fautore excommunicato: bona Ecclesiæ ultra triennium locari, aut alienari vetuit cap. Ambitiosæ inter Extr. comm. Cardinalibus rubrum capitium dedit: Jubilæum 25. quoque anno celebrari voluit. Litterarum omnium rudem, & Studiosorum osorem vocat Platina, non æquus judex quippe ab eo in carcerem detrusus. Sedit an. 6. menses fere 11., obiitque 25. Julii an. 1471.

CCXV.

Sixtus IV.

218. Antea Franciscus Roboreus Savonensis ex Ord. Min. Bohemiæ regnum ab Uladislao Poloniæ Regis filio ad Mathiam Hungariæ Regem transferri curavit: Ferdinando Neapolitano præter album equulum,

lum, tributum reliquum remisit: ordinem Minimorum confirmavit, & Augustinianorum Excalceatorum authore Baptista Poggio: de Conceptione disputari vetuit: Catharinam Senensem cum stigmatibus depingi vetuit. Huic Pontifici per Conradum Svvinhemium, & Arnoldum Pannarsium primum Typographicæ artis specimen oblatum est. Obiit anno Pontificatus 13., ac die 5. Idib. Augusti an. 1484. Habitæ eo tempore sub Alphonso Carrilio Synodi Toletana Arandensis, Matritensis circa disciplinam, & morum reformationem.

CCXVI.

Innocentius VIII.

219. Antea Joannes Cibo, Genuensis, quo tempore Maximilianus Federico III. successit. Lusitaniæ Regum in Africanis oris expeditiones probavit: Ferdinando Hispaniæ Regi, Catholici titulum concessit, Mauritani in Europa regni deletione debitissimum. Eo sedente Senonensis, & Londinensis Synodi celebratæ. Sedit annos circiter 8., obiitque 25. Julii anni 1492., novi Orbis a Christophoro Columbo Genuensi auspiciis Lusitaniæ Regis recens inventi gloria clarissimi.

CCXVII.

Alexander VI.

220. Antea Rodericus Lenzolius, Valentinus inter Hispaniæ, & Lusitaniæ reges arbiter constitutus orbem recens inventum divisit; Hispanam Inquisitionem instituit: Jubilæum anno 1500., decimoquinto completo sæculo celebravit, tertiumque post annum veneno, ut fertur, sublatus est Pontificatus anno 11., 15. Kal. Septemb. an. 1503.

CCXVIII.

Pius III.

221. Franciscus Tudeschinus antea dictus, Senensis, 26. ab sua electione die fato concessit 15. Kal. Novemb.

CCXIX.

CCXIX.

Julius II.

222 Antea Julianus Roboreus, Savonensis, Henrico VIII. concessit, ut Arturi fratris sui viduam uxorem duceret: Symoniacam Pontificis electionem irritam esse voluit: Vaticanæ Basilicæ opus incepit an. 1506. Architecto Lazaro Bramante: Balliones Perusia, Bentivoglios Bononia expulit: Venetis bellum indixit, addito interdicto, quod mox levavit Venetis ipsis contra Gallos in auxilium vocatis, qui Alphonso Ferrariæ Duci favebant. Ea de causa agente Ludovico XII. cum Maximiliano Imp. primum in Synodo Pisana, mox in Mediolanensi, quum Pontifex Etruriam invasisset, Schismatis fautor, & ab officio suspensus declaratus est per litteras, ut vocant patentes promulgata sententia die 16. Jul. ann. 1512. Julius Galliæ regnum interdicto subjecit, & in Lateranensi Concilio 5., Ludovicum anathemati subjecit, actaque Pisanæ, & Mediolanensis Synodi irrita pronunciavit. Sedit an. 9., mens. 3., dies 21., obiitque 9. Kalend. Mart. an. 1513.

CCXX.

Leo X.

223. Antea Joann. Mediceus Florentinus septem postremis Lateranensis Concilii sessionibus præfuit, ubi Pragmatica sanctio abrogata, & factum Concordatum cum Francisco I. substitutum. Pro adducendis in concordiam Bohemis, Moschis, Maronitis, Abyssinis laboravit: Carolo V. regnum Siciliæ concessit, & Neapolitanum: Lutheri errores gravissima constitutione proscripsit: Henricum VIII. qui eos impugnavit, Defensoris fidei titulo decoravit: Baptismum Constantinianum restituit: Franciscum de Paula SS. adscripsit, Parmaque, & Placentia receptis, & Gallis Mediolano pulsis præ ingenti lætitia in morbum incidit. Sedit ann. 8. mens. 8. dies 20., obiitque non sine veneni suspicione, Kal. Decemb. an. 1521.

CCXXI.

CCXXI.

Adrianus VI.

224. Ultrajectinus Caroli V. præceptor, ipsum cum Francisco I. componere summopere studuit: Hispanis Regibus jus nominandi, & proponendi Episcopos concessit: Ludovicum Hungariæ Regem adversus Turcas juvit: Antoninum Florentinum, & Bennonem Misniensem inter Sanctos retulit. Id temporis Equites Hierosolymitani per Solimanum Rhodo pulsi. Sedit Adrianus an. 1., mens. 8., d. 6. obiitque 18. Kal. Octob. an. 1523.

CCXXII.

Clemens VII.

225. Antea Julius Mediceus, Florentinus, Carolum V., a quo, duce Hugone Moncada in custodia habitus, & Urbis direptionem passus fuerat, mox Imperatorem coronavit Bononiæ an. 1530.: Clericorum Regularium ordinem, & Cappuccinorum, authore Matthæo de Bassio confirmavit: In Henricum VIII. viva Catharina conjuge, aliam ducentem anathema dixit; Alexandrum Mediceum Ducem Etruriæ designari obtinuit: in Galliam profectus Catharinam neptem Henrico Francisci I. filio junxit: Certis conditionibus propositis Concilium Oecumenicum cogi curavit. Adversus quas quum Joannes Saxonicus, Georgius Brandemburgicus, & Philippus Hassiæ Langravius publice protestati fuissent, Protestantes dicti sunt. Ad eam suffocandam in Gallia Bituricensis, & Parisiensis Synodi habitæ, tum Monspelliensis, ubi Tonsura ante annum ætatis 20. dari prohibita. Sedit Clemens an. 10., mens. 10., dies 7., obiitque 6. Kalend. Octobr. an. 1534.

CCXXIII.

Paulus III.

226. Alexander Farnesius antea dictus, Romanus, anathema in Henricum, Ordinem Clericorum Soc. JESU, & Ursulinarum Cœtum confirmavit. Ab Carolo V., & Francisco I. decennales inducias impetravit pro Concilii celebratione, cujus primæ octo sessiones Tridenti habitæ, mox Bononiam commigratum; sed Carolo pro Parmæ Du-

Ducatu bellum movente suspensum est, intereaque promulgatum a Carolo Edictum, quod Interim dictum est, & Catholicis, atque Hæreticis æque displicuit. Paulus vero quum Congregationem Inquisitionis instituisset, obiit 4. Id. Novemb. an. 1549., quum sedisset an. 15., & fere mensem.

CCXXIV.

Julius III.

227. Aretinus, antea Joannes de Monte Parmam Octavio Farnesio restituit: Hebraicum Talmud, & universim Hæreticorum libros prohibuit: Angliæ regnum, adnitente Maria Catharinæ filia, Ecclesiæ conjungere enixè procuravit: Concilium Bononia Tridentum transtulit, sexque sessionibus præfuit, in quarum postrema 5. Kal. April. an. 1552. occasione belli inter Carolum, & Henricum II. exorti, iterum suspensio Concilii decreta. Triennium post Julius decessit 10. Kal. April. an. 1555. quum sedisset an. 5. mens. 1., dies 16.

CCXXV.

Marcellus II.

228. Cognomine Cervinus, patria Politianus, dierum 6., ac 20. Pontifex.

CCXXVI.

Paulus IV.

229. Neapolitanus, Joannes Petrus Carrafa antea dictus, quo sedente Carolus Imperium Ferdinando fratri, Hispaniæ regnum Philippo filio reliquit, cui cum Maria Angliæ regina juncto, Paulus Regis Hyberniæ titulum dedit. Hebræos in singularem locum per urbes coegit, croceoque pileo distinxit, librorum prohibitorum indicem edidit, quumque annos 4., mens. 2., dies 27. Ecclesiæ prefuisset, obiit 15. Kal. Septemb. an. 1559.

CCXXVII.

Pius IV.

230. Dictus antea Joannes Angelus Mediceus, Mediolanensis, Tridentinum absolvit, & confirmavit Concilium, quod Veneti primum mox Toletana, Mediolanensis, & Cameracensis Synodus recepere: indicem librorum prohibitorum edidit: Congregationem Concilii instituit. Sedit annos 5., mens. 11., d. 15., obiitque 5. Id. Decemb. an. 1565.

CCXXVIII.

S. Pius V.

231. Antea Michael Ghislerius ex Ord. PP. Tridentinum ubique recipi, atque exequutioni mandari curavit: Sanctorum ex ære imagines, aut numismata primus solenni ritu benedixit, eaque gestantibus indulgentias concessit: Cosmam Mediceum Romæ coronavit, magnique Etruriæ Ducis titulo salutavit: Regem Galliæ adversus Hugonotos, & Albanum Ducem adversus Geusios, seu rebelles Belgas copiis, & pecunia juvit: Somaschorum Ordinem confirmavit: Officium Ecclesiasticum ad uniformitatem redegit. Ejus auspiciis ingens illa clades ad Echinadas insulas Turcis illata sub Joanne Austriaco an. 1521. & sequentis anni Kal. Maii Pontifex obiit, anno sui Pontificatus 6., mens. 3., dies 24.

CCXXIX.

Gregorius XIII.

232. Antea Hugo Boncompagnus, Bononiensis, Collegium Romanum erexit, Germanicum instauravit, Græcorum, Anglorum, & Maronitarum Seminaria Soc. JESU Regularibus attribuit: Regis Japoniæ legatos excepit: Congregationem Oratorii confirmavit: adversus Turcas ingentem comparavit exercitum, qui tamen Ducum discordia evanuit: Philippum Hispanum adversus Elisabetham Angliæ Reginam, & Henricum III. Galliæ adversus Hugonotos pecunia, & milite juvit. Kalendarii Romani correctionem juxta Nicœnæ Synodi placitum confecit, verno Æquinoctio ad diem 21. Martii restituto, atque Epactis pro aureis numeris subrogatis: Canonici Juris emenda-

tos

tos Codices edi curavit, dumque Bibliis emendandis, & accuratissimè edendis incumberet, morte præventus est. Habitæ sub eo Provinciales multæ Synodi, Mechliniensis, Rotomagens., Rhemens., Andegavens., Burdigalens., Limana sub Alphonso Mogrovejo, Mexicana sub Petro Moja. Sedit Gregorius annos fere tredecim, obiitque 4. Id. Aprilis an. 1585.

CCXXX.

Sixtus V.

233. Felix Perettus antea dictus ex Ord. Minorum Bibliorum editionem accuratissimam fieri curavit: Romanas congregationes, atque earum munera distinxit: In Henricum Navarræ, in Elisabetham Angliæ, in Henricum III. Galliæ Regem anathema dixit: Didacum Complutensem cultu decoravit. Eo sedente Tolosæ Synodus habita. Ei æream in Capitolio statuam Pop. Romanus posuit. Sedit annos 5., mens. 4., d. 3., obiitque 6. Kal. Sept. 1590.

CCXXXI.

Urbanus VII.

234. Antea Joannes Bapt. Castaneus die ab sua electione 13. decessit, 15. Sept.

CCXXXII.

Gregorius XIV.

235. Mediolanensis, Nicolaus Sfondratus antea dictus, dum adversus Henricum Borbonium exercitum comparat, mensium, ac dierum 10. Pontifex interiit 15. Octob. an. 1591.

CCXXXIII.

Innocentius IX.

236. Bononiensis, Joannes Fachinetus antea dictus post mensem ab sua electione obiit 29. Decembr. an. 1591.

CCXXXIV.

CCXXXIV.

Clemens VIII.

237. Antea Hyppolitus Aldrovandinus, Florentinus agente Card. Toleto Henricum Borbonium solvit anathemate, regnoque capessendo, abjurata hæresi, idoneum declaravit, Ferrariensem Ducatum, mortuo Alphonso Estensi, in se recepit, Romæ Scotorum, & Illicorum seminaria instituit: Congregationem Fratrum misericordiæ in Italia reformavit, ritus Græcorum licitos, atque illicitos discrevit: Hiacinthum, & Raimundum Ordin. PP. Sanctis adjunxit: confessionem, & absolutionem inter absentes per Epistolam irritam declaravit: Controversiam de Auxiliis inter Dominicanos, & Jesuitas coram se disputari voluit, indictaque collatione 38., quum ad ferendam sententiam se accingeret, extinctus est 5. Non. Martii an. 1605., quum sedisset an. 13., mens. 1. d. 3., & (*Sæc. XVI.*) complevisset. (*Sæc. XVII.*)

CCXXXV.

Leo XI.

238. Alexander Mediceus antea dictus, Florentinus mense non exacto obiit 27. April.

CCXXXVI.

Paulus V.

239. Antea Camillus Burghesius, Rom., Venetos interdicto subjecit, quod tamen ad Henrici IV. preces levavit: Vaticanam Basilicam absolvit, & Controversiis de Auxiliis finem imposuit, re in medio relicta, & prohibitis utrique parti adversæ sententiæ acrioribus censuris: Congregationem Fratrum Misericordiæ, authore Joanne de Deo in Regularem Ordinem erexit: Carolum Borromæum & Franciscam Romanam Sanctis adscripsit, obiitque 5. Kal. Febr. an. 1621. quum sedisset an. 15., mens. 8., dies 12.

CCXXXVII.

CCXXXVII.

Gregorius XV.

240. Alexander Ludovisius dictus antea, Bononiensis, Congregationem de Propaganda fide instituit: Sigismundum Poloniæ Regem, & Ferdinandum Imperatorem adversus Hæreticos consilio, armis ac pecunia juvit: Ignatium, & alios Sanctis adnumeravit: Rodulphum Saxoniæ Ducem, & Marcum Antonium de Dominis errores abjurantes benignè excepit; posterior tamen ad vomitum iterum reversus, & iterum resipiscens paulo post in Arce S. Angeli reclusus obiit: in Confessarios ad turpia intra Confessionem solicitantes severissimè animadvertit, obiitque 8. Id. Julii an. 1623., quum sedisset ann. 2., mens. 5.

CCXXXVIII.

Urbanus VIII.

241. Antea Maphæus Barberinus, Florentinus, Urbinensem Ducatum post obitum Francisci Mariæ Roborei, statui Pontificio adnexuit: Vaticanam Basilicam dedicavit: Arcem de suo nomine Urbanam dictam prope Bononiam ædificavit: Regum Congi legatos obedientiam Sed. Apost. profitentes excepit: Ecclesiasticos libros, Breviarium, Martyrologium, Pontificale Romanum, ac Missale emendata edidit; festorum multitudinem in pauperum commodum imminuit: Cardinales Eminentissimos vocari voluit. Jubilæum 12. celebravit, obiitque 4. Kal. Aug. an. 1644., quum sedisset annos fere 21.

CCXXXIX.

Innocentius X.

242. Joannes Bapt. Pamphilius antea dictus, Romanus, ex Augustino Jansenii Iprensis libro quinque famosas propositiones damnavit: Venetos adversus Turcas juvit: Cardinalibus sæcularium dignitatum titulos prohibuit: Controversiam inter Joannem Palafoxium Angelopolitanum Episcopum, & Regulares Soc. JESU diremit Brevi in iis regionibus percelebri: Jubilæum decimum tertium ab sua institutione celebravit an. 1650., atque an. 1655., septimo Id. Januar. vivere desiit, quum sedisset an. 10., mens. 3., dies 22.

CCXL.

Alexander VII.

243. Senensis, Fabius Ghiscus antea dictus, Venetis, & Leopoldo Imp. adversus Turcas, Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci adversus Hæreticos, Regique Poloniæ adversus Suecos auxiliatus est, Christinamque ejus gentis Reginam abdicato regno, atque hæresi Romæ excepit, atque amplissimis honoribus est prosequutus: Diversorum in Morali materia scriptorum 45. theses confixit: Isaacum Pereiram errores suos retractantem communioni restituit: Thomam Villanovanum, & Franciscum Salesium Sanctis aggregavit, obiitque 11. Kal. Jun. an. 1667., Pontificatu functus an. 12., mens. 1. diebus 5.

CCXLI.

Clemens IX.

244. Antea Julius Rospigliosus, Romanus, Petrum de Alcantara, & Magdalenam de Pazzis Sanctis accensuit, amissaque Candia, cui enixè opitulari studuerat præ animi ægritudine in morbum incidit, quo extinctus est 5. Id. Octobr. an. 1669., quum sedisset an. 2., mens. 5., dies 19.

CCXLII.

Clemens X.

245. Antea Æmilius Alterius Romanus, Gorcomienses MM. 21., diversosque alios Sanctis annexuit: Liberianæ Basilicæ a Prædecessore suo reædificari cœptæ colophonem imposuit: Moschorum Dux Petrus I. ea florebat tempestate, cui Clemens Cæsaris, aut Imperatoris titulum dare renuit; nunc & Imperatores, & Csares pro Cæsares vulgo dicti. Sedit ann. 6., mens. 2., dies 23., obiitque 11. Kal. Aug. an. 1676.

CCXLIII.

Innocentius XI.

246. Antea Benedictus Odescalchius, Comensis, Regum Oratores immunitatis jure privavit, Galloque renitenti audientiam negavit, atque Ædem S. Ludovici interdicto subjecit. Venetis, Joanni Poloniæ Regi, Leopoldo Imperatori adversus Turcas opem tulit, solutaque Viennæ obsidione, in tantæ rei memoriam, Dominica infra Octavam Nativitatis B. V., qua acciderat, Nominis Mariæ festum instituit. Eodem fere tempore Poloni Camenekum, Veneti Peloponesum Turcis ademerunt, Leopoldus Hungariam fere totam Imperio adjunxit, Ludovicus 14. Hugonotos sectam abjurare, aut regno abire coegit; Jacobus II. Angliæ Rex Catholicam fidem in Angliam reduxit, qui tamen postmodum regno pulsus cum uxore, & filio parvulo in Galliam aufugere coactus est. Michaelis de Molinos turpissimos errores, aliorumque Moralis Theologiæ Scriptorum theses 65. proscripsit, tandemque quum per annos 12., menses 10., dies 22. sedem tenuisset, bonorum luctu vivere desiit prid. Idib. Augusti ann. 1689.

CCXLIV.

Alexander VIII.

247. Antea Petrus Ottobonus Venetus, Regum Oratores ad jus immunitatis abdicandum induxit: Avenionem ab Ludovico XIV. occupatam recuperavit: peccati Philosophici doctrinam, thesesque laxiorum Theologorum 31. damnavit. Sedit ann. 1., mens. 3., dies 26., obiitque Kal. Febr. an. 1691.

CCXLV.

Innocentius XII.

248. Antonius Pignatellius antea dictus, Neapolitanus, edita gravissima constitutione Pontificum consanguineos Ecclesiæ bonis ditari vetuit, Centumcellas urbis titulo insignivit, Cerviam, atque Antium portum reparavit: Venetos adversus Turcas navibus, ac milite juvit: Circa Parochos, & eos qui ad sacros Ordines promovendi essent, multa salubriter providit: Jubilæum XV. celebravit anno sæ-

cu-

culari 1700., quo eodem nondum completo 5. Kalend. Octobr. vitam posuit, quum sedisset ann. 9., menses 2., dies 15. (*Sæc. XVIII.*)

CCXLVI.

Clemens XI.

249. Antea Joannes Franciscus Albanus, Urbinas, quo tempore decimo octavo ineunte Christiani nominis sæculo, ingenti bello totus fere christianus orbis exarsit; cui ille extinguendo impense laboravit: Jacobum II. Anglia pulsum multa pecunia juvit: Brunsvicensem, & Saxonicum Ducem hæresim abjurantes summo gaudio complexus est: ad Sinas, Ægyptios, Persas, Æthiopes, Indos, Moschos prædicatores misit. Janseniani libri propositiones illas quinque iterum condemnavit, fautorum ejus interpretatione de obsequioso silentio rejecta. Exsecratus est etiam Paschasii Quesnellii propositiones unam supra centum: Domum Emendationis Romæ erexit: Lineam Meridianam fieri curavit ad rationem temporum, & Paschæ celebrationem accuratius observandam: superstitiosos honores Confucio Philosopho, aliosque similes ab Sinis exhiberi solitos Christianis interdixit: priscorum Pontificum more homilias habuit ad populum non sine Eloquentiæ laude, Invicto animo Pontifex, & calamitosissimis temporibus pari sedit annos 20., menses 3., dies 25., obiitque 14. Kal. April. an. 1721.

CCXLVII.

Innocentius XIII.

250. Michael Angelus de Comitibus antea dictus, Romanus instituit festum Nominis JESU; Neapolitani, atque Hierosolymitani regni titulum Carolo VI. tribuit. Eo sedente Philippus V. Ludovico filio regnum commisit ann. 1724., quo eodem Non. Maii Pontifex obiit, quum sedisset an. 2., menses fere 10.

CCXLVIII.

Benedictus XIII.

251. Vincentius Maria Ursinus antea dictus, Romanus, anno 1725. Jubilæum 16. celebravit, eaque occasione Concilium Lateranense coegit, ubi multa circa disciplinam sapienter statuta: Lucensem Ecclesiam Metropolitanam fecit: eo agente Carolus VI. Comachium Sedi Rom. restituit: Lateranensem Ecclesiam dedicavit: Joannem Nepomucenum Martyrem, atque alios Sanctis accensuit, quumque sedisset an. 5., mens. 8., dies 23. fato concessit 9. Kalend. Martii an. 1730.

CCXLIX.

Clemens XII.

252. Post quinque vacationis mensium electus est Laurentius Corsinus, Florentinus, qui Romam multis ornamentis decoravit, & Vaticanam auxit Bibliothecam: Vincentium a Paulo, atque alios sanctis adscripsit, Ludovicum Philippi V. filium Cardinalem creavit, Toletana Ecclesia in Commendam, ut vocant, ipsi tributa: Parmensem Ducatum ad Ecclesiam reversum declaravit, si Antonii Farnesii vidua prolem non ederet virilem. Sedit ann. 9., mens. 6., dies 25., obiitque 8. Id. Febr. an. 1740.

CCL.

Benedictus XIV.

253. Sex solidos menses sedes vacavit, donec 17. Aug. electus est Prosper Lambertinus, Bononiensis, quo sedente Carolus Rex Neapolitanus Romam adiit: Joanni V. Lusitano, ejusque successoribus Fidelissimi titulum tribuit: Ordinem Excalceatorum Passionis confirmavit: in Hispania, & Lusitania Missas tres in die Commemorationis Defunctorum celebrari permisit: Missionariis Soc. JESU inter Americanos administrandi Chrismatis facultatem concessit: Venetis tres Episcopos nominare indulsit: cum Ferdinando VI. Concordatum iniit circa provisionem Beneficiorum Hispaniæ: Complicem a Complice in peccato luxuriæ absolvi non posse sancivit nisi in extrema necessitate ad alterius defectum. Sabbathi abstinentiam in regnis His-

pa-

paniæ sustulit, nisi in Vigiliis: ibidem in festis diebus laborari posse permisit, exceptis Dominicis, & Majoribus solennitatibus: Martini Pratensis nonnullas theses, & alias quorundam Missionariorum circa Sinensium ritus doctrinas proscripsit: Regularibus Societatis in Lusitania Cardinalem Saldagnam Visitatorem misit: Jubilæum celebravit 17., quumque sedisset annos 17., mens. 7., dies 16. fato concessit 5. Non. Maii ann. 1758.

C C L I.

Clemens XIII.

254. Antea Carolus Rezzonicus, Venetus, Genti suæ unum Rotæ auditorem nominandi jus fecit: In Corsicam diuturno bello afflictam Apostolicum Visitatorem misit: in negotiatores Clericos gravi constitutione animadvertit: quorundam circa Trinitatem errores proscripsit, in eorumque detestationem, ut altius fidelium animis sanam de Trinitate doctrinam infigeret, omnibus Dominicis, præfationem de Trinitate cani voluit, nisi propria occurreret: Parmensis Ducis Ministrum, velut Ecclesiasticæ immunitatis violatorem excommunicavit, neque ut eum in communionem reduceret, Principum suasionibus; aut minis ullis adduci potuit, non occupatis Ecclesiæ urbibus Avenione, ac Benevento: Jesuitas ab Lusitania pulsos paterna charitate complexus est, annuisque largitionibus sustentavit: Eorundem institutum, constitutionesque, & vivendi genus, ac ministeria undevigesies jam a Prædecessoribus suis approbata, quum multis in Gallia præsertim, libellis, & Sæcularium magistratuum sententia proscriptum, atque infamatum sciret, nova, eaque gravissima constitutione confirmavit incipiente Apostolicum pascendi &: Galliæ, & aliarum Regionum Episcopos Ecclesiæ jura vindicantes, litteris solatus est, præcipue Christophorum Franciscum Beaumontium ea de causa urbe regia exulem. Tandem quum eum Ordinem in Gallia sæculari sententia proscriptum, atque ab Lusitania, Hispania, Neapolitano regno, Parmaque, ac Melita pulsum vidisset, & ab his omnibus Principibus urgeretur, ut eum, quem nuper confirmaverat, Apostolica authoritate extingueret, præ animi, ut creditur, anxietate, vita discessit postrid. Kal. Febr. ann. 1769., quum sedisset ann. 9., mens. 6. dies 26.

CCLII.

Clemens XIV.

255. Antea Laurentius Ganganellius ex Ord. Minor., anno sui Pontificatus 4. edito Brevi incipiente: JESUS Christus Dominus sub die 21. mens. Jul. ann. 1773. Ordinem Clericorum Regularium Soc. JESU, anno a sua Institutione ducentesimo, trigesimotertio pro bono pacis suppressit, atque extinxit, Principes hortatus, ut hoc suum decretum, inditione sua quisque exequutioni mandaret. Laurentium de Riccis, qui Generalis Præpositus fuerat, in arcem Sancti Angeli cum paucis aliis detrusit, qui tamen præter Laurentium omnes paulo post inde detracti, & liberi abire permissi. Apud Russos tamen Catharina ipsorum Czarina agente, Jesuitæ in eodem statu, victu, vestitu, communique, & solita vivendi, agendi ratione permanserunt, permanentque etiam num, aperto tyrocinio, sub regimine cujusdam Generalis Vicarii a se electi, cui præsenti anno 1785. defuncto alium substituerunt, sciente Clemente ipso, & ejus successore Pio VI. Clemens item in gratiam Principum famosam constitutionem in fer. 5. Cœnæ Domini legi Romæ solitam abrogavit, obiitque anno Pontificatus 5., & mens. 4., decimo Kal. Oct. ann. 1774.

CCLIII.

Pius VI.

256. Angelus Maria Braschius antea dictus, Cæsenas, anno sui Pontificatus septimo Viennam profectus est, atque a Josepho II. Imp. honorifiscentissime exceptus. Eo sedente Laurentius de Riccis Societatis Jesu Generalis ultimus neque accusatus, neque convictus, neque damnatus e vivis excessit in arce S. Angeli, atque ipsius Pontificis permissu honorifice sepultus, funus curante Cardinali Torreggiano. Pius Basilicæ Vaticanæ ingens ædificium adjecit pro sacrarum rerum custodia: in Pontinis paludibus exsiccandis enixe incubuit: Musæum Clementinum rebus ornavit prætiosissimis. Nunc decimum tertium Pontificatus annum agit. Vivat, & bonis faveat.

IN-

INDEX

ALPHABETICUS ROMANORUM PONTIFICUM.

A

B

Bo-

Pe-

D

Dio-

G

Gre-

L

Lau-

N

lijs

liis finem imposuit, re in medio relicta. Congregationem Fratrum Misericordiæ in regularem ordinem erexit. Carolum Borromæum, & Franciscam Romanam Sanctis adscripsit. n. 239.

Pelagius I. Accedente Imperatoris consensu, qui eum sibi post Theodati mortem arrogaverat, electus est. Plures sub eo Synodi celebratæ. Statuisse dicitur Pelagius, ut Hæretici, & Schismatici sæcularibus Magistratibus puniendi traderentur. n. 62.

Pelagius II. Origine Gothus, patria Romanus, primus in suis litteris indictionis notam adhibuit. Patriarchatum ex Aquilejensi in Gradensem Ecclesiam transtulit. Diversa eo sedente Concilia celebrata. In Toletano, & Narbonensi Arianismus fere ab tota Gothorum gente abjuratus. n. 65.

S. Petrus post Christi mortem primus Apostolorum quum Judæis, tum Gentibus Evangelium prædicat. Varias provincias circumit dispersos fratres in fide confirmans. Profectus Romam ad eosdem fratres primam scripsit epistolam. Hierosolymas reversus Antiochenam Ecclesiam rexit. Post aliquot annos Concilium Hierosolymitanum cogitur, in quo Petri sententiam Jacobus Hierosolymorum Ep. aliique Apostoli, & Seniores statim sequuti sunt. Romam deinde iterum petiit, Marco discipulo, atque interpreti scribendi Evangelii curam commisit. Petrus certior ab Domino factus de proxima sui tabernaculi depositione secundam scripsit epistolam, in qua fratres postremis verbis adhortatur. Tandem jussu Neronis in Crucem actus, inverso tamen capite glorioso fine quievit. n. 1.

Philippus Pseudo Papa. n. 96. & 97.

S. Pius I. Hunc Optatus Milevitanus, & Augustinus post Anicetum memorant. Fuit Aquilejensis. Domum Pudentis Senatoris in Ecclesiam consecratam, Pastoris nomine vocatam fuisse, quidam putant. Statuisse Pius dicitur, ut non nisi in die Dominica celebraretur. Pœna mulctavit Altaris Ministros, quorum negligentia aliquid de Consecrato calice effunderetur. Canon tamen iste, sicut & quatuor epistolæ Pio tributæ commentitiæ habentur. n. 12.

Pius II. antea Æneas Silvius Appellationem ad futurum Concilium sub excommunicatione vetuit: pacta Bohemorum cum Basileensis Concilii Legatis abrogavit: Pragmaticam Sanctionem ab Ludovico XI. abrogari obtinuit. n. 216.

Pius III. Franciscus Tudeschinus antea dictus Senensis 26. ab sua electione die fato concessit. n. 221.

Pius IV. Tridentinum absolvit, & confirmavit: edidit indicem librorum prohibitorum. Congregationem Concilii instituit ejus obitus. n. 230.

S. Pius V. antea Michael Ghislerius ex ordine Prædicatorum. Tridentinum ubique recipi, atque

R.

S

Vi-

INDEX

ALPHABETICUS CONCILIORUM L. I. PROL.

Ara-

Ce-

Hie-

M

Mi-

N

O

P

R

S

Sa-

T

To-

Wor-

Wormatiense sub Adriano II. n. 110.

Ex his Oecunemica numerantur XIX.

Chalcedonense unum sub Leone I.
Constantinopolitanum I. sub S. Damaso.
Constantinopolitanum II. sub Vigilio.
Constantinopolitanum III. sub Agathone.
Constantinopolit. IV. sub Adriano II.
Ephesinum sub Cœlestino I.
Florentinum sub Eugenio IV.
Hierosolymitanum sub S. Petro.
Lateranense I. sub Callixto II.
Lateran. II. sub Innocentio II.
Lateranense III. sub Alexandro III.
Lateranense IV. sub Innocentio III.
Lateran. V. sub Julio II., & Leone X.
Lugdunense I. sub Innocentio IV.
Lugdun. II. sub Gregorio X.
Nicœnum I. sub Silvestro I.
Nicœnum II. sub Adriano I.
Tridentinum sub Paulo III. ad Pium IV.
Viennense sub Clemente V.

Semigeneralia non ab omnibus, neque in omnibus recepta.

Basileense sub Martino V. & Eugenio IV.
Constantiense sub Joanne XXII. & Martino V.
Constantinopolitanum in Trullo, seu Quinisextum sub Sergio I.
Pisanum sub Gregorio XII. & Alexandro V.
Sardicense sub Julio I.

Inter Provincialia Celebriora habentur.

Agatense.
Ancyranum.
Antiochenum.
Arelatense I.
Arausicanum I., & II.
Aurelianense I.
Bracarense I. & II.
Carthaginense III., & IV.
Epaonense.
Francofordiense.
Gangrense.
Iliberitanum.
Laodicenum.
Milevitanum.
Moguntinum I.
Nannetense.
Neocœsariense.
Parisiense III.
Romanum sub Gelasio.
Toletanum IV. & XVI.
Vasense I., & II.
Westmonasteriense.
Wormatiense.

IN

IN LIBROS
THEOLOGICARUM INSTITUTIONUM
PROLEGOMENON SECUNDUM;

Sive Hæresum, atque Hæresiarcharum brevis notitia.

BRevi Romanorum Pontificum memoriæ, breviorem aliam adnectere visum est Hæresum, atque Hæresiarcharum. Sicut autem in præcedenti nihil asserere ausi sumus quod non ex Baronio, Platina, Panvinio, Zandinio, Deujatio, Natali Alexandro, Burio, aliisque Ecclesiasticæ, aut Pontificiæ authoribus deprompserimus, ita quicquid in præsenti dicturi sumus ex eodem Baronio, Natali, Bernino, Ludovico Gottio, aliisque ejusdem rei scriptoribus, depromemus, quum præsertim ex antiquis, qui in hoc argumento versati sunt, Irænæo, Tertulliano, Epiphanio, Augustino, Philastrio Brixiensi, ac Theodoreto, quorum laboribus adjuvandus est, atque erudiendus Theologus, ut sciat contra quos, & adversus quæ opinionum monstra bellum ipsi gerendum sit. Ecclesiæ igitur sæcula percurrentes, uniuscujusque hæreses, quas in hujus operis decursus confutaturi sumus, hic summatim adnotavimus.

SÆCULUM I.

PRimam hæresim putat Augustinus eorum discipulorum fuisse, qui Christo Domino adhuc in terris degente, ac prædicante, ab ipso recesserunt, etiam non cum illo ambulabant, ex quo Dominus Sacramenti Eucharistici fidem commendavit dicens: (*Joan. c. 6.*) Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hos Capharnaitas appellat Augustinus, sive quod ea ex urbe oriundi essent, sive quod in ea eorum defectio contigerit. Alii tamen eos inter Hæreticos non numerant, sive quod hæreses post Christi ascensionem, & Apostolorum prædicationem natas solum sibi recensendas proposuerint, sive quod illi nihil contra fidem semel susceptam docuerint, sed mysterii cœlestis ignari fidem doctrinæ Domini præstare renuerunt, unde potius stulti, & duro corde ad credendum, quam Hæretici dicendi sunt.

§. I.

§. I.

Simon Magus, & ejus hæresis.

1. Simonis hæresim primam cum communi scriptorum recensemus, nec immerito, quamvis nonnulli Origenem sequuti, primum Hæresiarcham Dositheum quendam Samaritanum fuisse commemorent. Enimvero Dositheos geminos admittere scriptorum nos Ecclesiasticorum compellit authoritas, alium Christo antiquiorem, nativitate quidem Samaritanum, origine autem Judæum, quem Saducæorum Patrem Epiphanius, (*Epist. in Panar.*) & Hieronymus fuisse existimant, (*Hierindial. adv. Lucif.*) quemque Tertullianus, (*Tert. in de Præf. c.* 4.) Abrahamus Ecchellensis, (*Abr. in Chron. Sam.*) atque Ittigius inter Judaismi Hæreticos recensent. Ittigius (*in app. ad cap. 1. s.* 1.) porro Epiphanio consonat scribenti Dositheum, quum in Speluncam recessisset, fame, ac siti periisse. Alterius autem posterioris Dosithei meminit Hippolitus, Eulogiusque apud Photium, tum apud Eusebium Egesippus, Vigiliusque Tapsensis, ex his omnibus antiquior Clemens Romanus, si hujus sit, & genuinus exstat, liber recognitionum. Ibi Dositheus iste Simonis Magi præceptor fuisse traditur, ab eoque victum, magisterium ei, & principatum reliquisse. Origenes autem (*cap.* 1.) contra Celsum scribens, Dositheum ait, post JESU CHRISTI tempora, persuadere suis voluisse, se Messiam esse a Moise promissum. Quidquid autem de hoc sit, certum est, eam non Christiani hominis, sed Judæi hæresim fuisse, quum Dositheus nec baptismum suscepisset, nec a quoquam inter Christianos numeretur.

2. Primus igitur, qui vagientem adhuc in cunis Ecclesiam, Apostolorum ætate turpissimis erroribus maculare aggressus est, fuit Simon origine Samaritanus, aut patria, ut vult Justinus, qui cum Samaritanis aliis, ut habetur Act. 8., & ipse credidit, & quum baptizatus esset, adhærebat Philippo, cujus signa, & virtutes, quas faciebat, maximas, stupens admirabatur. Quum deinde adveniente in Samariam Petro, per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum Sanctum vidisset, obtulit pecuniam Petro dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque manus imposuero, accipiat Spiritum Sanctum. Fuerat autem ille ante conversionem Magus, auscultabantque ei omnes a minimo usque ad maximum, dicentes: hic est virtus Dei, quæ vocatur magna; attendebant autem eum, quoniam multo tempore magiis suis dementasset eos. Severa porro Petri reprehensione, quæ ibidem habetur, quamvis erubescere, ac resi-

resipiscere visus esset, postmodum tamen reversus ad vomitum, magicis præstigiis se totum immersit; peragratisque nonnullis Asiæ regionibus, quum Tyrum pervenisset, Helenam quandam sibi sociam adjunxit, ut est apud Eusebium, (*l.* 5. *c.* 20.) librum que scripsit, deliriis, & commentis vanissimis refertum, de quibus infra. Hinc Romam digressus, quum se in cœlum ascensurum esset pollicitus, a Petro, ut Sancti tradiderunt, orante deturbatus, ac terræ alisus, paulo post e vivis excessit.

3. Primus igitur, ac palmaris Simonis error fuit, quod existimaverit donum Dei pecunia possideri. II. Se magnam esse Dei virtutem, per quam, atque Helenam, primam, ut ajebat suæ mentis conceptionem, Angeli creati fuerunt. III. Hos Angelos, non Deum, fuisse mundi conditores, eosque invidia in Helenam vehementer accensos, ipsam in diversa muliebria corpora transmigrare fecisse, unde. IV. Animarum transmigrationes cum Platonicis adstruebat. V. Se ad Helenam liberandam in terras descendisse, ac diversimodè diversis gentibus apparuisse, Samaritanis quidem, ut Patrem, Judæis, ut filium, Apostolis autem, ac primis discipulis, ut Spiritum Sanctum. VI. Se quamvis ab Judæis crucifixum, ea non revera, sed tantum ad speciem passum fuisse: Christum autem JESUM neque quid quam passum esse, nec in terram venisse. VII. Necessitatem bonorum operum negavit, fide duntaxat in se, atque Helenam salutem sperandam esse docens, lege contempta, quam VIII. a malo principio esse dicebat, sicut & carnis generationem. Hinc IX. in contemptum Hebraicæ Legis, jejunium suis omni Sabbatho indixit, adversus quem morem illa quarundam Ecclesiarum statuta prodiisse putat Irenæus, quibus Sabbathi jejunium prohibebatur. X. Denique carnis Resurrectionem Simon negavit, & fidei confessionem externam nunquam necessariam esse docuit. Hæc ex Augustino, (*l. de Hæresib. ad Quid vult Deum. c. 1.*) Irenæo, (*l. 1. Adversus Hæreses c. 10.*) Epiphanio, (*Hæresi 21.*) Theodoreto, (*l. 1. Hæreticar. Fabular. c. 2.*) ac Tertulliano (*l. de Anima c. 34. & l. de Præscript. c. 31.*) liquent, qui Simonis errores recensent, confutantque.

4. His opinionibus valde consona sacra, & morum disciplinam tradidit Simon, quæ videri possunt apud Epiphan. Inde ejus discipuli, atque illius sectæ Sacerdotes, inquit Irenæus, libidinose vivunt, & magiam exercent. Amatoria quoque, & Agogima, & Paredri, & Oniropompi, & quæcumque sunt alia Perierga apud ipsos studiosè coluntur. Imaginem quoque ipsius ad figuram Jovis, & Helenæ ad figuram Minervæ apud se habent, atque adorant. Simoni autem Statuam tanquam Deo Romæ sub Claudio erectam cum ea inscriptione: Semoni Deo Sango, quamvis nonnulli putaverint, tamen

men illius Dei cultum, & nomen, & Statuam Simone Mago anti-quiorem esse jam alii viderunt antiquitatum Romanarum diligentissimi investigatores. Videndus Baronius.

5. Inter præcipuos Simonis discipulos fuit Menander; item Samaritanus, vico Chabrai, seu Capretaia ortus, qui Antiochiæ plures habuit errorum suorum sectatores. Ille quidem a Magistro, in eo discrepavit, quod primam virtutem omnibus incognitam esse diceret; se autem ab ea missum pro salute Mundi. II. Per artem suam Magicam scientiam hominibus dari, qua Angelis mundi Creatoribus superiores essent. III. Per suum baptisma vitam immortalem acquisituras gentes, vel ut Irenæus scribit, resurrectionem ad vitam immortalem. Menandri somnia impugnarunt præter citatos, Justinus, (*Apolog.* 2.) commemoratque Eusebius. (*3. hi. c. 26.*) Præter hunc, ex eadem Simonis Schola prodierunt deinde Cleobani, Gortheni, Masbothei, Adrianistæ, Eutychistæ, Canistæque. Sed hi omnes, quum impiæ Sectæ parvas quasdam mutationes excogitassent, non diu durarunt, atque oblivioni omnino sunt traditi.

§. II.

Cerinthus, ejusque errores.

1. Tempore eodem vixit Cerinthus, natione, & religione primum Judæus, sed Ægyptiaca Philosophia excultus, & Apostolorum prædicatione ad fidem conversus; qui tamen genti suæ, ritibusque addictissimus, quum vidisset Antiochiæ Petrum cum incircumcisis familiarius versari, turbas excitavit dicens: Quia nisi circumcidamini secundum morem Moisi non potestis salvari. Idem in Petrum ad Cornelium euntem, atque inde revertentem, & in Paulum Titum secum ferentem plebem commovit, ut scribit Epiphanius. Inde Ephesum profectus est, ubi Joannem adversarium, atque impugnatorem habuit, qui nec in balneo eodem cum Cerintho (Ephiphanius Ebionem nominat), esse voluit, ut ex Polycarpo Joannis auditore narrat Irenæus. An vero balnei ruina oppressus Cerinthus interierit, ut Prateolus, de suo nimirum scripsit, an diutius vitam protraxerit, ad rem non interest. Sunt qui eum ad Pii I. Pontificatum vixisse existiment, neque id omnino inverisimile censuit Baronius. Epistola autem Pii I. ad Justum Viennensem, cui ea opinio innititur, ut spuria non sit, non cogit, ut Cerinthus Pii tempore adhuc vixisse credatur. Magis dubium est an Cerinthus cum Merintho, Cerinthianique cum Merinthianis confundendi sint, quod Epiphanius, & Augustinus sub dubio reliquerunt, nec magni interest,

quum

quum utrorumque, & si diversi fuerint, sententiæ, atque errores conveniant.

2. Docuit autem Cerinthus I. mundum non a Deo, sed ab quadam alia factum separata substantia ex Ireneo, & Theodoreto. II. Legem malam, & a malo principio ortam. III. Sine circumcisione baptismum non prodesse. IV. JESUM merum hominem, ex corrupta natum, super quem Christus, id est Spiritus Sanctus descenderit sub columbæ specie, qui tamen tempore passionis ab JESU recesserit, huncque non adhuc resurrexisse; resurrecturum tamen cum omnibus ad præstitutam diem. V. Vivum hominem pro mortuo baptizare consuevit ex malè intellecto Pauli loco. VI. Martyrium contemnebat; colebat autem Judam proditorem. VII. Præter Mathæum, omnes Evangelistas respuebat, teste Philastrio, nec Mathæum quidem integrum recepisse, testatur Epiphanius. VIII. Christum post resurrectionem annos mille in terris regnaturum, & cum eo justos, omniumque voluptatum carnis illecebris fruituros docuit, idque explicuit, & confirmavit revelationum a se confictarum libro, quem sub Joannis Evangelistæ nomine vulgasse scribit (*l. 3. Hist. Eccl.*) Dionysius Alexandrinus apud Eusebium: idque in causa fuisse videtur, cur Apocalypsis librum antiqui multi non numeraverint in Canonicis. Porro millenarium Christi in terris regnum post Resurrectionem universorum ab Cerinthi fictionibus, atque obscœnis voluptatibus purgatum nonnulli antiqui propugnarunt, ut Papias, (*apud Eus. l. 3. hist. Eccl. cap. 33.*) Justinus, (*Justin. M. in Dialog. cum Tryph. p. 306.*) Irenæus, (*l. 5. Adv. Hæres. c. 32.*) Tertullianusque, (*Ap. S. Hieron. in c. 36. Ezech.*) ac Lactantius, (*l. 7. Divin. Instit. c. 32.*) Adversus Cerinthi errores Joannem suum Evangelium scripsisse tradit Hieronymus. (*In Catalogo Script. c. 9.*) Ex Cerinthianis autem nonnulli a Magistro deviantes, communem Resurrectionem inficiati sunt, licet JESUM dicerent resurrecturum.

§. III.

Nicolaitæ.

1. Hæresis hæc ab Nicolao, uno ex Diaconis Septem ab Apostolis constitutis nomen desumpsit, ejusque habetur mentio in libr. Apocalyps. An autem reipsa Nicolaus ejus author fuerit, an ex aliquo ejus facto, dictove in deteriorem partem accepto duxerit originem, dubium est apud Authores. Primæ opinioni apertè favent Irenæus, (*l. 1. c. 27.*) Epiphanius, (*Hæref. 25.*) Hilarius, (*Can. 25. in Math.*) Hieronymus. (*l. de præscript. c. 46.*) Tertullianus, (*Epist. 1. & 48.*)

48.) Philaster, (*l. de hæres. c. 5.*) Cassianus, (*Col. 18. c. 16.*) atque Isidorus; (*l. 8. orig. c. 5.*) Secundæ Clemens Alexandrinus, (*l. 2. Strom. pag. 301.*) Eusebius, (*l. 3. hist. Eccl. c. 29.*) Theodoretusque (*l. 3. hæret. fab. c. 23.*) Augustinus, (*l. de hæref. ad quod vult Deum cap. 5.*) atque ex eo recentiores plerique rem in medio relinquunt. Factum porro Nicolai ita narrat Clemens: (*l. 3. pag. 318.*) Quum, inquit, Antiochiæ degeret, & formosam nimis haberet uxorem, eique fuisset ab Apostolis exprobrata Zelotypia, in medium abducta conjuge, cuicumque ad eam accedendi potestatem fecit. Non id quidem intendens, inquit (*loco citato*) Theodoretus, sed facto illo falsam accusationem convincens.

2. Hinc ergo Nicolaitarum primus error emanavit, conjugum indifferentem, communemque usum docentium, cui II. addebant juxta Epiphanium, nisi quis diebus singulis scortationi vacaret, expertem salutis esse. III. De Ydolothytis vesci licere arbitrabantur. IV. Mundum non a Deo, sed ab quibusdam potestatibus factum esse dicebant, quarum barbara nomina, & functiones, mirabili, inquit Augustinus, vel fingunt vanitate, vel credunt. Hinc Barbelo, & Jaldabaoth, & Prunicum, & Calauchauc, Æonesque, & Dæmones, Diique, & Spiritus Septem, atque alia ut est apud Tertullianum, ex horum complexu, & commixtione sacrilega pariter, ac fœda.

3. Nicolaitarum genus quoddam Ludovici Pii temporibus in Gallia, & in Bohemia Lamberti Danæi ætate extitisse fertur, sive quod Nicolaitarum impia dogmata sequerentur, sive quod impuros quosvis homines, atque obscænarum voluptatum, Patronos Nicolaitarum nomine appellaverint, quo sensu Mahomethum cum suis Sequacibus Nicolaitas appellat Gloss. in cap. Non omnes 2. qu. 2., & Clerici a conjugio non abstinentes Nicolaitæ dicuntur in 2. Concil. Turonensi.

§. IV.

Nazaræi.

1. Duplex fuit Nazaræorum genus. Aliud ante Christum, qui Mosaicam legem sequebantur, quibusdam austeritatibus, & cæræmoniis additis, quibus divino obsequio mancipabantur, & hi non improbandi. Alia Nazaræorum secta juxta Epiphanium, (*Hæres. 29. & 30.*) circa tempora Hierosolymitani excidii in Cœlesyria, Decapoli, Basanitide, aliisque finitimis urbibus exorta nullo certo authore. Nazaræos quidem Augustinus in I. contr. Crescon. (*c. 31.*) Symmachianos appellari tradit, nec tamen a quo id nomen assumpserint, docet, nec satis explicat utrum ab initio ita appellati omnes illius

sectæ

sectæ homines fuerint, an solum recentiores; quos inquit ad sua usque tempora, jam quidem in exigua, sed tamen vel in ipsa paucitate perdurasse. Nazaræorum autem error præcipuus, ac forte unicus videtur fuisse, quod cum Evangelio legem in omnibus observari debere crederent, quamvis Epiphanius, (*Hæres. 29.*) ac Theodoretus (*l. 2. hæret. fab.*) eos divinitatem Christo negasse, primus quasi dubitando scripserit; secundus disertè asseruerit. De Nazaræorum Evangelio, cujus sæpe meminit in suis libris Hieronymus, dicemus libr. decimo, ubi de sacris novi Testamenti libris disseremus.

§. V.

Ebionitæ.

1. Genti nomen vel ab ea, quam profitebantur mendicitate (mendicus enim hebraice Ebion dicitur) quod Origeni (*lib. 2.*) cont. Cels. atque Eusebio (*cap. 27.*) in tertio hist. libr. placuisse videtur, vel ab Ebione quodam Samaritano, ut scribit Epiphanius, (*hær. 30.*) Cerinthi discipulo ac successore, qui in Pella urbe, ac Cocab e vico, ut est apud Hieronymum paulo post eversas Hierosolymas, atque eodem fere cum Nazaræis tempore hæresim suam docere cœpit, quique, ut citatus ait Epiphanius, balnei ruina a Joanne prædicta oppressus Ephesi interiit; verum id alii omnes de Cerintho narrant, ut supra admonuimus, nisi forte vel Cerinthus dictus est Ebion, id est mendicus, vel Ebion cum Cerintho, discipulus cum Magistro lavabatur. Certè Joannem in eodem balneo cum Cerintho esse noluisse apud omnes pro certo habetur, an autem balnei ruinam prædixerit, an ea Cerinthus oppressus fuerit, nonnisi apud Epiphanium legitur.

2. Ebionitæ porro divinitatem Christi negabant. II. Eorum plerique ex corrupta natum arbitrabantur. III. Mosaicos ritus tanquam necessarios observabant. IV. Virginitatem damnabant. V. Polygamiam usque ad uxores septem licitam putabant, veterum, ut ajebant, Patriarcharum exemplo. VI. Christum, ac Diabolum summa cum potestate a Deo constitutos, ut primus futuro; secundus præsenti sæculo dominetur. VII. Ex veteri Testamento libros aliquos, eosque mutilos admittebant; deridebant reliquos, præsertim Prophetas; ex novo autem non nisi Mathæi Evangelium, idque truncatum, ac pro libitu interpolatum ad suos errores confirmandos. VIII. Baptismo utebantur singulari præter lotiones quotidianas, ad labes, ajebant ex anima abstergendas. IX. Paulum Apostolum execrabantur. X. Christum cibos quoscumque in lege vetitos manducasse dicebant.

 His

3. His erroribus authoritatem conciliare nitebantur testimoniis quorumdam librorum ab ipsismet confictorum, quorum nonnullos recenset Epiphanius, (*hær. 30.*) ut qui inscribebatur Acta Apostolorum, alterque cui titulus: Circuitus, sive Periodus, sive Itinerarium Petri sub Clem. I. nomine vulgatum, in quo, ut ait Epiphanius, paucis veris plurima admixta sunt mendacia, quæ Clemens ipse redarguit. Quod vero ait Irenæus, Ebionitas sequutos fuisse versiones Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi; id non de primis intelligendum est, sed de posterioribus, qui usque ad finem secundi sæculi ex illorum Interpretum versionibus ad sua dogmata stabilienda abutebantur argumentis. In Ebionitarum dogma consurgens Joannem Evangelium suum scripsisse tradit Hieronymus, (*Catalogo Script. c. 9.*) ubi ideo ab divina in Christo natura sumit exordium.

SÆCULUM II.

§. I.

Elceseus, ejusque errores.

1. ELceseitas Epiphanius (*Hæresi 30.*) simul cum Ebionitis recenset, nec tamen omnino, aut tempore, aut sententiis conveniebant. Elceseus siquidem, sive Elxao natione Judæus, post captam Hierosolymam, atque ineunte secundo sæculo incœpisse videtur Bertino. Ille præter Mosaicorum rituum necessitatem cum Ebionæis, Nicolaitarum etiam errores circa conjugium, & fœminarum usum admisit. Addidit ex suo. I. Spiritum Sanctum fœminam esse, atque in nubibus degere. II. Christum summam Dei virtutem, longitudine occupantem milliaria nonaginta sex, latitudine, & crassitie 24. III. orandum versus templum Hierosolymitanum, & ab orantibus aquam, terram, panem, cœlum, tresque aeris regiones, & salem in cultu habendum. Risum teneatis amici. Et tamen: Hoc tribus Antycyris caput insanabile, ejusque fratrem Jexeum, & sorores nonnulli Asiæ populi cultu prosequebantur.

§. II.

Saturninus, & Basilides.

1. Saturninus patria Antiochenus, Menandri discipulus, Basilidis sodalis, ut habent Epiphanius, (*Hæresi 23.*) & Eusebius, (*l. 4. hist. Ecc. c. 6.*) Adriani Imperatoris tempore vixit, apud Theodoretum. (*l. 1.*

(*l. 1. Haret. Fab. c. 1.*) Docuit Saturninus I. ab solis septem Angelis mundum fuisse conditum, idque inscio Deo eorum Creatore, unumque ex his septem per quos hic mundus administratur, Deum Hebræorum fuisse. II. ajebat eosdem septem Angelos hominem fecisse, ut cœlestem quamdam imaginem sibi divinitus monstratam apud se retinerent. III. hominum alios natura bonos, alios natura malos esse. IV. Salvatorem ad Deum Judæorum debellandum, profligandos homines malos, & opitulandum bonis missum esse. V. Animatorum esum suis prohibebat. VI. Matrimonium, & generationem damnabat. VII. Prophetas, non a Deo, sed ab Angelis mundi conditoribus, & maxime ab eo, qui Deus Hebræorum dicebatur, afflatos asserebat. Resurrectionem quoque ab ipso negatam scribit Lancisius, qui eodem ferme, quo Evaristus Pontifex anno, id est, Christi 121. Saturninum in Asia mortem obiisse arbitratur, id autem Theodoreti supra citati Chronologia non benè cohæret.

2. Basilides patria Alexandrinus Ægyptum omnem turpissimis erroribus fœdavit, ut Eusebius, (*l. 4. hist. Eccl. c. 6.*) atque Epiphanius (*Heresi 24.*) testantur. Ejus hæresim Adriani Augusti tempore cœpisse nonnulli existimant Firmiliani, (*ex Ep. ad Cypri. 75.*) Clementis Alexandrini, (*l. 7. Strom.*) Eusebii, *lib. 4. hist. c. 7.*) ac Theodoreti (*l. 1. haret. fab.*) testimoniis innixi; contra alii Trajano antiquiorem hæresim illam putant. Ignatius (*Epist. ad Trallian.*) enim Martyr, qui sub Trajano passus est, Basilidem, ut Sathanæ propaginem vitandum dicit. Huic opinioni robur addit Clemens Alexandrinus, (*l. 7. strom. pag. 599.*). apud quem Basilides Glauciam sibi adscribebat Magistrum, ut ipsi gloriantur, qui fuit Petri interpres. Idem author Basilidis librum 23. Exegeticon citat, quos 24. fuisse scribit Eusebius. (*l. 4. hist. Eccl. cap. 7.*) Hos autem præter, Evangelium secundum Basilidem ab eo confictum extitisse Origenes, (*hom. 1. in Luc.*) & Hieronymus (*in præfat. in Matth. 3.*) authores sunt.

3. Docuit Basilides a primo rerum principio, quod Ἀβραξας appellavit, natum fuisse Nun, seu mentem, a mente λογον verbum, a verbo φρονησιν Prudentiam, a Prudentia δυναμιν, καὶ σοφιαν, id est, virtutem, & Sapientiam, ab quibus primus Angelorum ordo conditus est. Hi Angeli primo cælo ædificato, secundum ordinem procrearunt, hic autem ordo tertium alium usque ad tercentesimam Sexagesimam quintam generationem, quem numerum continet dictio Αβραξας græcè scripta. II. Infirmi ordinis, ac cœli Angelos mundum condidisse, earumque Principem, Deum Judæorum hominem fecisse. III. Christum non vere, sed solum apparenter incarnatum, & passum, pro quo Judæi specie simili delusi Simonem Cyrenæum cruci

affixerunt. IV. Christum venisse ad liberandos homines a servitute temporali Angelorum. V. fidem in Christum, actum merè naturalem esse. VI. nec pro ea Martyrium subeundum. VII. animas propter præcedentia peccata in corpora detrudi. VIII. peccata solum involuntaria, & ignoranter commissa a Deo remitti posse. IX. Serviendum cupiditatibus, ac passionibus, quas impulsus quosdam Spirituum animæ appensorum esse dicebat. His alia addebat de Lege, & Prophetis cum Simone, & Menandro Magistris communia.

4. In Basilidem pugnavit strenuè doctissimis scriptis Agrippa Castor, cujus meminerunt Eusebius, & Hieronymus, qui etiam ætate sua eam in Hispania hæresim revixisse testatur, sicut Epiphanii ætate in Cypro insula apud Polibium. Mortuus est autem Basilides, a quo Gnostici, inquit Hieronymus, (*de Scr. c. 21.*) Alexandriæ, qua tempestate Barchochebas dux Judaicæ factionis Christianos variis suppliciis vexabat, id est inter annum Christi 134, & 137. juxta communiorem Chronologorum sententiam, Adriani autem Aug. inter 14., & 17. Isidorus quoque Basilidis filius, ut Theodoretus inquit, (*in 1. her. fab.*) cum additamento aliquo patris fabulosa commenta confirmavit, libros scribens impurissima doctrina refertos, cujus fragmenta nonnulla sunt in 2., 3., & 6. Stromatum Clementis Alexandrini. Scripsit etiam de Agnata Anima, ubi duas unicuique hominum in esse animas probare conatur, itemque expositionem in Prophetam Parchorium, dignissimum tali interprete vatem.

§. III.

Gnosticorum errores.

1. Hujus hæresis authorem Eusebius, (*lib. 4. c. 5.*) & Clemens in 3. Stromat. faciunt Carpocratem. Hieronymus (*Epist. 19.*) Basilidem loco nuper citato. Irenæus (*cap. 24.*) in primo lib. Carpocratem, alibi inventorem fuisse scribit Menandrum. Epiphanius, (*Hæresi 17.*) Simonem, Menandrum, Saturninum, & Basilidem ejus parentes agnoscit. Phylast. (*Hæres. 33.*) Theophylactus, (*in c. 6. Jac. ad Thim.*) Augustinus (*l. de hæres. c. 6. de Gnost.*) Nicolaum. Quid ergo? Equidem verius puto, monstrosam hanc Sectam ex omnibus præcedentium erroribus compositam, unicuique eorum tribui meritò posse, & quemque eorum prout singulari alicui patrocinabatur sententiæ, ejus & Patrem, & Principem habitum fuisse. Et quidem Simonis cum Helena infame commercium, Nicolaitarum deinde dogmata, ac tandem Basilidis Effrons audacia, omni frœno pudoris excusso in hanc tandem obscœnissimæ deformitatis abyssum homines de-

deduxerunt. Nemo enim, ut ille inquit, repente fuit turpissimus: Illud certum videtur, Gnosticorum nomen, quod cognoscentes, aut rerum cognitione præstantes significat, & quandoque ab Clemente, & aliis Patribus tributum veris, ac perfectis Christianis, cœlesti sapientia præditis, hoc, inquam, nomen ortum fuisse ex illo Basilidis effato: Tu omnes cognosce; te autem nemo. Habuerunt tamen & alia plura nomina, vel ab singularis cujusque opinionis authoribus, vel ab locorum diversitate, aut infandis ritibus exorta. Coadianos enim, & Borboriotas, & Barbeliotas, & Stratioticos appellatos reperies ab Epiphanio, Theodoreto, Damasceno, & aliis scriptoribus.

2. Docebant autem I. duos esse Deos, alium octavi cœli incolam, qui dictus est Barbelo, alium septimi, quem vocabant Sabbaoth. Primus Christi Pater, secundus inferioris mundi conditor habebatur. II. Christum per Mariam ostensum, non revera natum, nec incarnatum. III. animam divinæ substantiæ esse particulam, duasque esse in uno quoque hominum, aliam bonam, malam alteram. IV. Resurrectionem negabant. V. Jejunium, Martyrium, Virginitatem exsecrabantur, obscœnarum voluptatum cœno, supra quam dici, aut cogitari fermè potest, immersi. Sacra eorum, preces, oblationes, ritus; salutationes, convivia, fœda omnia, omnia polluta, & conspurcata: Sacerdotes, quos Levitæ vocant, inquit Theodoretus, (*lib. fab. hær.*) hi maximo apud ipsos pretio, atque honore habentur, ac laudatissimi, qui non miscentur fœminis, sed inter sese præposteram Venerem exercent. VI. Vetus, novumque Testamentum admittebant quidem, iis tamen, quæ ipsis displicebant erasis, tanquam a mundano spiritu insertis. Habebant tamen proprium Evangelium, quod perfectionis vocabant, aliud Evæ, aliud Philippi, Revelationesque Adami, & Sethi, Prophetiam Baracabbæ, & interrogationes Mariæ magnas, & parvas, aliaque ejusdem farinæ multa.

§. IV.

Carpocrates, Epiphanes, Prodicus.

1. Carpocrates Ægyptius, & Magicarum artium professor, Gnosticorum errores, atque obscœnitates ad summum deduxit, ejus sectæ author propterea a nonnullis creditus, Adriani porro imperio desinente vixisse videtur ex Eusebio, (*l. 4. histor. Eccl. c. 7.*) ac Theodoreto, (*l. 1. hæretic. fab. cap. 5.*) nonnihil tamen Saturnino, & Basilide posteriorem fuisse communiter traditur, quamvis Berninus ante illos Carpocratem recensuerit.

2. Primo igitur merum hominem Christum fuisse ajebat Carpocrates,

tes, atque ex corrupta natum, in quo ab aliis Gnosticis dissonabat. II. Infusam Christo animam, quæ prius in Deo fuerat, omni scientia, ac virtute præditam, eamque in cœlos ascendisse relicto in terris corpore. III. Homines Christo in sanctitate pares devenire posse dicebat. IV. Resurrectionem negabat. V. Necessitatem bonorum operum ad salutem. VI. De Lege, & mundo eadem censebat, quæ præcedentes pene omnes hæretici, nimirum, non a Deo, sed ab Angelis esse. VII. Animas ab corpore in corpus transmigrare asseruit, non tamen, ut commissa crimina expiarent, sed ut libidinum genera omnia, si qua forte in præcedentibus corporibus fuerant, prætermissa, complerent, atque ita superatis, ac devictis Angelis ad Deum pervenirent. Doctrinæ huic conformes omnino erant Carpocratis mores, ac suorum, qui ut ejusdem sectæ aliis hominibus innotescerent, annulum appendere consueverunt perforatæ extremæ auriculæ parti.

3. Carpocratis filius fuit Epiphanes, qui ut est apud Clementem in 3. Strom. decimoseptimo ætatis anno, omni Ægyptiorum sapientia, & Platonica Philosophia excultus multos edidit libros, quibus nefariam Patris hæresim confirmavit, id præcipue intendens nullum matrimonium, fœminasque omnes communes esse oportere. Hoc tamen humani generis opprobrium, Semæ, quæ urbs est, Cephaloniæ, pro Deo habitum, & annua celebritate cultum Clemens idem testatur.

4. Epiphanis discipulus, ac præcipuus sectator fuit Prodicus, qui Theodoreto teste, apertè, & palam, more canum, scortari adjecit decretis Carpocratis, atque Adamitarum parens habetur. Adamitæ autem dicti sunt, inquit Augustinus, (*L. de Heres. ad quod vult Deum.*) ab Adam, cujus imitantur in Paradiso nuditatem... Nudi mares, & fœminæ conveniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant sacramenta & propterea Paradisum suam vocant, & arbitrantur Ecclesiam. Et tamen, inquit Damascenus, solitariam vitam agentes, & continentium more viventes, Nuptias damnant. Errabant præterea Adamitæ, quod se natura Dei filios, & nulli legi subjectos crederent: quod Martyrium subeundum esse negarent, quod denique, ut est apud Clementem, (*in 7. Strom.*) Deum non esse orandum superbissimè dicerent.

5. Revixit hæc hæresis sæculo 15. in Bohemia, Pichardo quodam authore, ut Æneas Silvius scribit, postea Pius II. Tum sæculo 16., in quo homines honestissimo loco natos, nudos discursare vidit Belgium, urbsque Amstelodamiensis, quorum quidam eo vesaniæ progressi sunt, ut conscensis arboribus nudi, cœlestem panem expectantes in terram semineces deciderint, ut Lindanus tradit Ruremundensis Episcop. (*dial. 4.*) Fuerunt alii eodem quoque sæculo Adamitæ, qui Christum purum hominem asserebant, nuptiasque respuebant, hi

hi tamen non a primo parente Adamo, cujus nuditatem imitarentur, sed ab Adamo quodam Pastore nomen mutuati sunt. Sub Honorio etiam II., sæculo 12., & Urbano VI., qui decimo quarto sæculo sedit Adamitas quosdam extitisse ex Bernino tradit ejus compilator Lancisius.

6. E Carpocratis secta quædam fœmina, Marcellina nomine Aniceto Pontifice multos seduxit Romæ, ut Irenæus. (*l. 1. advers. hæres. c. 24.*) atque Epiphanius, (*apud Euseb. l. 4. hist. Eccles. c. 7.*) & ex eis Augustinus commemorat. Hæc imagines JESU, Pauli, Homeri, & Pythagoræ coluisse dicitur, thusque eis adolevisse, quod an ipsi proprium fuerit, an omnium Carpocratianorum dicere non audent relati Patres. Quidquid autem de hoc sit, quis non miretur, Centuriatores Magdeburgenses, & Danæum ista Catholicis objicere, ut sanctarum imaginum cultum hæreticum, atque Idololatricum esse demonstrent?

§. V.

Valentinus, Secundus, Ptolemæus.

1. Valentinus, ut Epiphanio (*hær. 31.*) videtur, gente Ægyptius, quem doctissimum vocat Hieronymus, (*in cap. 10. Ose.*) quum Christianam fidem profiteretur, atque Episcopatum ambiret, repulsam passus, errores quosdam disseminare cœpit, deinde sub Hygino Papa Romam petiit, qua pulsus, quod nugarum sectator potius, quam solidæ doctrinæ videretur, in Cyprum secessit, ubi ut ait Phylaster, (*hær. 38.*) larva deposita in extremum impietatis prolapsus est. Theodadem quemdam Pauli Apostoli discipulum, præceptorem ipsius fuisse gloriabantur Valentiniani; apud Clementem (*7. Strom.*) qui etiam ex aliquibus Valentini epistolis fragmenta producit. Scripsit quoque Valentinus Psalmos, quorum meminit Tertullianus. (*Lib. 4. adversus Valentinianos c. 20.*) Evangelium autem Veritatis, & aliud cui titulus, secundum Ægyptios, ac librum de infantia Salvatoris potius Valentinianorum, quam Valentini ipsius fœtus esse putant viri eruditi; nec obstant quæ in libro Tertulliani de Præscriptionibus leguntur, nam postrema novem ejus libri capita, Tertulliano assuta esse ab juniore quodam scriptore constat apud Criticos oculatiores.

2. Docuit autem Valentinus I. in mundo nihil aliud a principio fuisse præter Βυθὸν, καὶ Σιγὴν, id est, Profundum, & Silentium; quod Poetæ dixerunt Chaos: ex his processisse Νοῦν, καὶ Ἀλήθειαν, id

est

est Mentem, & Veritatem; ex his λολον, ϗ Ζωην, Verbum, & Vitam, ex his ανθρωπον, ϗ Εκκλησιαν, hominem, & Ecclesiam. Porro ex homine, & Ecclesia Æones duodecim prodierunt, id est, sæcula: ex Verbo, & Vita decem; ex mente, & veritate, octo ex qua ogdoade Decade, & Duodocade coalescunt Æones triginta. II. Ab Demiurgo sive trigesimo Æone processisse Diabolum, & a Diabolo natos alios, qui mundum condiderunt. III. Christum a Βυτω seu Profundo pro mundi salute missum e cœlo carnem attulisse, & nihil sumpsisse ex Virgine. IV. Malitiam, sive improbitatem non arbitrio tribuebat, sed naturæ mundi, id est, generi Diabolico. V. Hominum tria distinguebat genera, alios Hylicos id est materiales, alios Psychichos, animales, alios Pneumaticos sive Spirituales vocabat. VI. Resurrectionem negabat asserens, non hanc carnem, sed aliam diversæ, ac nobilioris speciei resurrecturam. VII. Martyrium respuebat. VIII. Bona opera hominibus Pneumaticis, id est suis sectatoribus omnino inutilia esse dicebat, eisque solum indigere Psychicos, sive animales. Hæc Valentinus.

3. Ejus primus discipulus, ac Sectator fuit Secundus, genere item Ægyptius, qui nihil a præceptore suo deviasse videtur, nisi quod, ut est apud Augustinum, opera turpitudinis addidit, sive Magistri nefariam doctrinam, turpissimis moribus, effrænique, ac publica libidine confirmavit. II. Veram carnem Christo negavit, corpus illi phantasticum assignans apud Tertullianum, & Damascenum. III. Ogdodem Valentini ex duplici Tetrade dextra, ac sinistra compositam esse voluit, Lucemque, ac tenebras appellavit. IV. Sophiam illam, quam Valentinus mœrore confectam ajebat, Secundus de numero Æonum fuisse negabat, alium ipsi inferiorem ordinem assignans. Ita Irenæus, Tertull. Epiphanius.

4. Valentinianæ Scholæ veluti ramusculus alter fuit Ptolemæus, & ipse Ægyptius, qui ut scribit Epiphanius, (*Heresi 33.*) longè iis, quos præceptores habuit, erudltione præstitit, ac præter alia Epistolam scripsit ad Floram, quæ apud eundem Epiphanium legitur. Ptolemæus porro Bythoni, seu Profundo duas assignavit adjutrices naturas, ac veluti conjuges Σνιοιαν, ϗ τελησιν, cogitationem, & voluntatem. Item II. Legem ajebat partim a Deo, partim a Moisis proprio spiritu, partim a Senioribus populi Hebraici fuisse promulgatam. III. Diabolum natura malum esse ajebat, & materia concretum, ac multiplicem. Uterque igitur Ptolemæus nimirum, & Secundus Valentini doctrinam levibus quibusdam mutationibus demptis professi sunt, Epiphanisque, & Isidori obscœnitatem ad suam Sectam transferentes, eam hæresim Romæ, atque alibi latè propagarunt, ut

ut Justinus scribit, qui Antonini temporibus vixit, & Justino posterior paulo Irenæus, quo Lugdunensem Ecclesiam regente, Ptolemæitarum hæresis in Galliam irrepsit.

§. VI.

Marcus, Colorbasus, Heracleon, & alii.

1. Nemo, inquit Baronius, ex Valentini discipulis Marco nequior, nec qui majorem Ecclesiæ cladem intulerit. Genere hunc Ægyptium fuisse, & de Basilidis stirpe natum ex Irenæo scribit Hieronymus, (*in c. 46. Isai. tum in Epist. 53. alias 20. ad Theodoram*) græcisque litteris, ac Pythagorica philosophia excultum, Magicæque imposturæ peritissimum. Communibus Valentinianorum deliriis hæc etiam adjunxit: Veritatem, ac rerum omnium claram cognitionem ita in 24. Græci Alphabeti litteris esse dipositam, ut sine illis scientiæ plenitudo haberi non possit. II. omnem eam scientiæ plenitudinem per nomen hexagrammaton ΙΗΣΟΥΣ hominibus apparuisse, ac se addiscendam exhibuisse. III. hominum non nisi duo esse genera, nimirum Hylicos, & Pneumaticos, quos non eodem die initium habuisse dicebat, sed aliud genus hominum die sexto, aliud die octavo fuisse creatum. IV JESUM ex Tetrade quadam Valentiniana natum somniabat, Logo, & Zoe, seu Verbo, & Vita, itemque Homine, & Ecclesia, quorum vices gesserint Gabriel, Spiritus Sanctus, Virtus Altissimi, & Maria. V. Baptismum alium induxit, non ab adspectabili Christo institutum, sed ab Salvatore, qui in Eum descenderat, spiritualem, ac perfectiorem, qui juxta Sacerdotum placita, diversus erat. VI. Eucharistiam quandam Laicus ipse conficiebat, vinum album in rubicundum transformans, idemque fœminis conficiendum permittebat, quas deinde e suo majore calice bibentes, prophetiæ spiritu implere se jactabat, ut veluti afflatæ numine ventura prædicerent.

2. Marci Sodalis Colorbasus, præter vulgares virtutum, atque Æonum genealogias, quas Valentinianorum quisque prolibitu augebat, minuebat, commutabat, hoc singulare docuit inquit Augustinus, (*l. de Hæres. c. 13.*) quod in litteris, & numero Elementorum, & Planetarum septem vitam omnium hominum, generationemque positam esse dicebat. Similia de Colorbaso habet Phylaster. (*Heresi 41.*)

3. Colorbasi successor, atque ut Irenæo (*l. 1. c. 10.*) videtur, Marci discipulus Heracleon, non duo principia Bython, & Sigen esse ajebat rerum, sed solum Bython, ex quo Sige, & reliquæ virtutes,

tutes, Æonesque profluxerint II. ex Marci præceptoris doctrina, morientes suos, ait Augustinus, (*l. de Hæres. c. 16.*) novo quodam modo quasi redimebat per oleum, balsamum, aquam, & hebraicorum nominum invocationem. III. Distinguebat corpus, & animam ab interiore homine, & hunc solum uti ex superiori Peoremate, seu plenitudine derivatum ad Patrem ascendere, superatis mundi principibus, ac potestatibus, relicto in terris corpore, & anima, quam propterea mortalem asseruisse putandum est. IV. Externam fidei confessionem nunquam necessariam esse dicebat. V. Baptismo suscepto, peccata nihil obesse docebat, neque baptizatos peccati reatum in se magis recipere, quam ignis nivem, ut apud Clementem (*ap. Ittig. sect. 2. c. 23.*) loquebatur.

4. Valentinianis accenset Theodoretus Florinum, & Blastum Presbyteros Romanos, & utrumque errasse, atque è gradu dejectum fuisse Commodi Imperatoris, & Eleutherii Pontificis tempore invenitur etiam apud Eusebium, (*l. 5. c. 15.*) qui (*Ibidem c. 20.*) etiam scribit Irenæum adversus Florinum librum de Octonario scripsisse, qui nunc non exstat, unde Florinus Valentini sectator fuisse convincitur. Qui tamen errorem de duplici Deo bonorum alio, alio malorum authore aliquando tenuisse creditur, siquidem contra hanc ejusdem hæresim librum de Monarchia ab eodem Irenæo scriptum fuisse idem testatur Eusebius. (*loco cit.*) Hic vero sicut etiam Augustinus, (*l. de hæres. c. 66.*) & author (*cap. 66.*) Prædestinati unum solum tribuunt Florino errorem, quod malorum authorem Deum diceret.

5. Blastus porro quamvis ab Theodoreto in Valentini hæresim lapsus dicatur, non tamen in ea videtur perstitisse, siquidem Irenæus, qui Valentinianum Florinum impugnaverat in libr. de Ogdoade, eadem opera ac labore Blastum ejusdem sententiæ hominem impugnasset: at referente eodem Eusebio (*l. 5. hist. c. 15.*) Irenæus ad Blastum Epistolam misit de Schismate: non ergo eum pro Valentiniano habuit. Ideo autem Schisma fecisse dicitur, quod ut est apud Berninum cum Cerintho Judaizaret, sive quod Pascha secundum legem Moysi die Lunæ Martii decimaquarta celebrari vellet, quod de ipso narratur in additamento ad Tertulliani libr. de Præscriptione cap. 52.

6. Inter alios Valentini discipulos Alexandrum, Theotimum, & Axionicum recenset Tertullianus, & Alexandri quidem meminit etiam Hieronymus, Cossiani quoque Theodoretus, quibus Beronem quemdam addit Ittigius, eum dicens ex Hyppolito Portuensi post Valentini errores pejore irretitum pravitate, quod utramque Christi naturam in unum confunderet, atque invicem transmutaret.

7. Lon-

7. Longè tamen his omnibus celebrior fuit Bardesanes, cujus est cum laude memoria apud Plotinum Platonicum. Fuit autem Bardesanes natione Syrus, virque, inquit Eusebius, (*l. 4. c. 30.*) disertissimus, & in disputando acerrimus. Ille adversus Marcionem, de quo postmodum, aliosque erronearum opinionum authores pro fidei Catholicæ veritate egregiè dimicavit. Rogatus deinde, ait Epiphanius, (*Hær. 56.*) ut se Christianum negaret, acquiescere noluit, ac propemodum inter fidei confessores relatus est, nam pietatis patrocinio fortissimè suscepto, negavit se mortem timere, cujus, etsi Imperatori non resisteret, sibi nihilominus necessitas immineret. Tantus igitur vir, velut navis pulcherrima, ac pretiosissimis onusta mercibus, ad portum illisa, non modo jacturam omnium faciens, sed etiam vectoribus exitium afferens, in Valentini errores turpissime lapsus est. Postea vero quum doctrinam illam impugnavisset, ac pleraque ejus dogmata fictas esse fabulas demonstrasset, ipse quidem sibi visus est ad rectiorem, sanioremque sententiam transivisse; vetusti tamen, atque inoliti erroris sordes non penitus extersit. Hæc Epiphanius. (*citato loco*) Porro quinam fuerint residui Bardesanis errores non satis liquet; Origenes (*In Dialogo de recta in Deum fide Sect.* 3.) autem quemdam ipsius discipulum, sic loquentem inducit: Deum ego unum esse, sicut ille, (Bardesanes) sentio. Tria autem sunt, in quibus non idem sentimus cum Catholicis. Diabolum a Deo creatum esse non dicimus: Christum ex fœmina natum negamus, & corpus resurgere.

§. VII.

Ophitæ, Cainitæ, & Sethiani.

1. Ophitæ, sive Ophiani, inquit Origenes, (*l. 6. contra Celsum. n. 28.*) a bellua hominibus infensissima, & maximè horrenda, (Serpente nimirum, qui Græcè ὄφις) dari sibi nomen gloriantur, & magnoperè jactitant Euphratem quemdam, a quo doctrinam acceperunt. Quis autem Euphrates hic fuerit, omnino non liquet. Gottius Ægyptium fuisse putat verosimilius, porro ejus hæresim sub Antonino grassatam rectè colligit Baronius, nec enim aliter Celso Epicuræo, qui Antonini temporibus scripsit, nota esse potuisset.

Talis autem apud Ophitas rerum genesis erat. Prunicus prima rerum mater genuit Jaldabaoth, hic Jao, ex Jao Sabbaoth, ex quo Adonæus, ex hoc Aloeus, inde Orcus, ex Orco Astaphæus, qui omnes, relicta matre totidem sibi orbes, aut cœlos condiderunt, ac deinde sex natu minores Adamum, primus autem Jaldabaoth Evam pro-

procreavit, in quam Prunicus Serpentem immisit, ut ejus suasu simul cum Adamo pomum vetitum manducans scientia repleretur. II. Dicebant Jaldabaoth Adamo, atque Evæ indignatum eos e Paradiso expulisse, atque in hunc mundum a se conditum puniendos misisse. III. Malignum hunc Ialdabaoth Deum Judæorum esse, ab eoque, & ejus filiis missos prophetas. IV. Serpentem, qui Evam tentavit, fuisse Christum omni sapientia præditum. V. JESUM alium esse a Christo, & illum quidem è Virgine natum; Christum autem è cœlis in ipsum descendisse. VI. Jesum, non Christum resurrexisse, idque non secundum corpus, & animam spiritualem, ac cœlestem. VII. Serpentem studiose nutriebant, colebantque, qui ut est apud Augustinum (*l. de Hæres. ad Quod vult Deum.*) incantante Sacerdote de caverna egressus altare conscendit, & oblationes lambit, seque circa eas volvens ad speluncam regreditur, & ita oblationes in Eucharistiam confringunt. Hæc Augustinus (*loco cit.*) de Ophytis, quæ forte ab eis ad anguis Virgiliani similitudinem conficta sunt.

3. Cainistarum, Cainanorum, seu Cajanorum quis pater fuerit, atque author incertum est; medio autem secundo sæculo extitisse, & Nicolaitarum, ac Gnosticorum veluti compendium quoddam fuisse certum est. Addiderunt vero proprios quosdam errores, uti quod Cainum, unde ipsis nomen, Core, Dathan, Abiron, Sodomitas, Judamque proditorem colerent; quod Adamum, Evamque, non a Deo, sed ab quibusdam virtutibus, Sophia nimirum, atque Hystera, id est, Sapientia, & utero factos fuisse, assererent, quibus etiam mundi conditionem tribuebant. Has deinde cum Eva congressas, Sophiam quidem Cainum, Hysteram Abelem procreasse somniarunt. Hinc Abelem Caino tanquam potentiori succubuisse. Item ab Juda Christum traditum fuisse, ut humanæ saluti consuleret.

4. Ut hæc explicarent, confirmarentque impia dogmata, Evangelium quoddam commenti sunt sub Judæ Iscariotis nomine, ubi duarum illarum virtutum Sophiæ, atque uteri genesis, & facta recensentur. Alio etiam utebantur libro adversus Hysteram scripto, in quo illud assumebatur, ait Epiphanius, (*Hæres. 38.*) neminem salutem consequuturum, nisi per omnia flagitiorum obscænissimorum genera pertransierit, quod ab Gnosticis acceperunt. His addebant tertium, quod Pauli Anabaticum, sive ascensionem nuncupabant, ubi inter alia absurdissima asserebatur, arcana verba a Paulo in tertio cœlo audita, præposteræ fuisse, ac Sodomiticæ libidinis infanda flagitia, ut idem testatur Epiphanius. (*Hær. 38.*)

5. Sethiani, quorum incerta etiam origo est, mundum, atque homines ab Angelorum concubitu natos asserunt, ex quorum discordia sequuta est Abelis mors, pro quo, ut apud Phylastrum (*Hæres. 3.*) loquun-

loquuntur, mater cogitavit ut pareret Seth, in quo collocavit magnæ virtutis spiritum, ut virtutes inimicas destrueret, atque ex eo divinum aliud semen nasceretur tanquam filiorum Dei. Hinc ab Setho Christi, & justorum omnium originem derivabant, nec quenquam, nisi ex ea stirpe natum salutem consequi posse, credebant apud Berninum. Asserebant alii, Sethum ipsum ab cœlesti matre missum in terris apparuisse, & appellatum Christum. Ita Epiphanius (*hæres. 39.*) Alii non Sethum, sed Semum Noemi filium sub Christi nomine apparuisse dicebant apud August. (*l. de hæres. c. 19.*) Libros autem suos, alios Setho, alios Abrahamo, alios Moysi authori tribuebant.

§. VIII.

Cerdonis, Marcionisque errores.

1. Cerdo genere, ut videtur, Syrus, Simonis, ac Saturnini, ut ait Epiphanius, (*hæres. 41.*) erroribus imbutus, Heracleontisque discipulus, ac successor, quum sub Hygino Romam venisset, erroresque suos confessus esset, ita demum perseveravit, inquit Eusebius, (*lib. 4. c. 11.*) ut interdum occultè docens, interdum errorem confessus, interdum impiæ doctrinæ convictus, tandemque eo nomine a fratrum conventu submotus sit. Duo rerum principia, Deosve statuit, alium bonum, clementem, hominibus ignotum, alium sævum, atque immitem, & hominibus notum, a quo mundus, Lex, & Prophetæ. II. Ab ignoto Deo missum ajebat Christum, ut mundi conditoris tyrannidem everteret. III. Christum neque ex fœmina natum, nec vera in carne venisse. IV. Carnis resurrectionem negabat.

2. Cerdonis discipulus Marcion genere Ponticus ab urbe Synope initio vitæ castitatem præ se ferens, Monachorum instituta professus est. Postea quum Virginem quamdam adamasset, eaque seducta potitus fuisset, ab ipso parente Episcopo Ecclesia pulsus, veniam ab ipso nullis precibus obtinuit. Ergo popularium suorum probra, & vituperia non sustinens, Romam se contulit post Hygini obitum, Senioresque adiens, ut ab iis in communionem admitteretur, inconsulto suo patre Episcopo, obtinere non potuit. Igitur vehementius excandescens, iraque percitus schisma conflavit, privatamque hæresim architectatus est. Tandem sub Episcopatu Eleutherii, quia fratres quoque vitiabantur, cum ducentis sestertiis Ecclesiæ ab ipso illatis, in perpetuum relegatus est, ac doctrinæ suæ veneno, non modo Italiam, sed Ægyptum, Palæstinam, Arabiam, & Syriam, Cyprum, ac Thebaidem, imo etiam Persidem, aliasque regiones infecit.

cit. Hæc omnia verbis ipsis contexta sunt Irenæi, (*l. 1. cap. 28. modo 27.*) Phylastri, (*Hæres. 45.*) Theodoreti, (*l. 1. hæret. fabularum.*) Epiphanii, (*Hæres. 42.*) ac Tertulliani, (*l. 1. cap. 19., & l. 4. cap. 1. & alibi.*) qui (*l. de Præscript. c. 30.*) etiam addit, Marcioni pœnitenti, & confesso eam demum conditionem fuisse propositam: admittendum ad communionem, dummodo Ecclesiæ restitueret, quos suis erroribus seduxerat, illum tamen interea morte præventum. Non ergo satis liquet, an ipsum intra, an extra Ecclesiam obiisse dicendum sit.

Marcionem autem cum Cerdone, plusquam unum Deum, aut rerum principium admisisse non est dubium. Nonnulli tamen etiam tria admisisse contendunt, ut Megethius apud Origenem, (*In Dialogo de recta in Deum fide Lect. 1. p. 3.*) ex quo Epiphanius, (*Hæres. 42.*) Athanasius, (*in Decret. Nicænæ Sinod.*) Cyrillus, (*Catech. 16.*) Theodoretus, (*lib. 1. Hæret. Fab. c. 30.*) quorum quidam Diabolum, quidam materiam primam pro tertio principio assignant. Sed hoc ad rem non facit: Scitum enim illud cujusdam Sapientis: Rerum principium, si unum non est, infinita fore. II. De carne, & Nativitate Christi, idem cum Cerdone sensit, addidit tamen apud Tertullianum, (*lib. adv. Marcionem c. 6.*) ex quo Optatus, (*l. 4. adv. Parmen.*) Christos duos, alium, qui Tiberii tempore ab ignoto Deo missus sit in salutem omnium gentium, alium a Deo creatore ad restitutionem Judaici regni quandoque mittendum. III. Adamum damnatum fuisse dicebat. IV. Baptismum secundum, ac tertium admittebat. V. Nuptias, uti natura malas damnabat: VI. animatis vesci prohibuit. VII. animas resurrecturas ajebat, non corpora. VIII. Animarum transmigrationem admittebat apud Epiphanium. (*numero 4.*) IX. mortem sibimet consciscere licitum putabat. X. Christianis bellum omnino illicitum docebat. XI. vetus Testamentum respuebat prorsus, Evangelistarum, unum recipiebat Mathæum, quem tamen in multis corruperat. XII. Epistolas Pauli ad Timotheum, ad Titum, ad Hebræos rejiciebat item, addebat autem reliquis Canonicis Epistolam ad Laodicenses.

3. Celebriores Marcionis discipuli fuerunt Lucianus, Apelles, Hermogenes, & Severus. Et Lucianus quidem, atque Hermogenes eadem omnino docuerunt, ac sequuti sunt Marcionis placita. Apelles autem Luciani Sodalis, & Romæ Marcionis auditor, ait Epiphanius, (*hær. 44.*) adversus Magistrum suum privatam sibi ipse scholam efformavit. Nam lapsus in fœminam, ac desertor continentiæ Marcionensis, ab oculis sanctissimi Magistri (inquit ridens Tertullianus) (*l. de Præscript. c. 30.*) Alexandriam secessit. Ibi in Philumenam quandam incidit, quam divinitus inspiratam futura prædicere,

re,

re, & miracula patrare effutiebat, eaque socia Romam rediit post annos multos, non jam Marcionites, sed novæ sectæ conditor.

4. Docuit autem rerum principium esse unum, & ingenitum, quod tamen nullam eorum, quæ in mundo geruntur, curam gerat: ab hocque productos Angelos, & aliam virtutem non quidem bonam, quæ mundum creaverit. II. Christum veram carnem habuisse, non tamen huic nostræ similem, nec de Virgine sumptam, sed ex æthera substantia formatam, quam resurgens, non resumpsit, sed in sua principia resolvit. III. fidem non esse examinandam ajebat apud Eusebium, (*l. 5. c. 13.*) sed unumquemque in eo, quod semel imbibisset, perstare oportere. IV. Animas ajebat apud Tertullianum, (*l. de Anima c. 13.* sollicitatas terrenis escis, de supercœlestibus, ubi a bono Deo creatæ fuerant sedibus pulsas ab igneo Angelo Deo Hebræorum, qui deinde illis peccatricem circumfinxerit carnem. V. Animas diversorum sexuum esse, absque lis corpora sexuum sortiri, neque corpora sed solas animas resurrecturas, quod quidem cum Marcione sentiebat.

5. Severus, teste Epiphanio, (*Hæres. 45.*) & Damasceno. (*lib. de Hæres.*) Apellem sequutus est, ejusque singulares deinde errores apud Rhodios ortum habuisse scribit author (*l. 1. c. 24.*) Prædest. Circa mundi quidem constitutionem, ac Diabolum cum præcedentibus erravit. Addidit ex suo Diabolum sub serpentis forma cum terra coiisse, atque inde natam vitem: II. Mulierem Sathanæ opus esse, sicut & hominis partem illam quæ est ab umbilico deorsum, unde III. Nuptias damnabat. De Resurrectione idem sensit atque Apelles, & Marcion. Hæc ferè Epiphanii verbis. Adversus Severum & suos egregie pugnavisse dicitur Euphranor Rhodiorum Episcopus apud authorem Prædest. citatum.

§. IX.

Archontici, Tatianus, Encratitæ.

1. Hos omnes Severianis coævos, & forte antiquiores fuisse liquet ex Epiphanio, (*Hær. 40.*) qui ab Archonticis, ait desumptum a Severo errorem, quo fœminam opus Sathanæ esse dicebat. Narratio autem Epiphanii de Eustacto, & Petro Anachoreta ejus Magistro ab eodem Epiphanio convicto, & excommunicato, non probat Petrum Anachoretam Archonticorum Patrem, atque authorem fuisse, ut Gottio (*Tract. de victoria adv. hær. c. 17.*) visum est. Ita enim intelligenda sunt Epiphanii Eustactum in Armeniam intulisse hæresim Archonticorum, quam a Petro Anachoreta acceperat, hoc inter alios erro-

res imbuto. Id autem Eustactum a Petro didicisse, in vico Arabiæ Cochabe, unde etiam Ebionitarum, & Nazaræorum semina pullularunt. Certè Epiphanius ipse, Theodoretus (*l. 1. Haret. Fab.*) Prateolus, (*l. 1. verbo Archontici.*) Damascenus, (*l. de Hæres.*) Augustinus (*l. de Hæres. c. 20.*) inter secundi sæculi hæreticos Archonticos recensuerunt.

2. Nomen illis ab Ἄρχος Græce, Latinè, Princeps, quod I. Principes septem Mundi conditores esse dicerent, totidemque in cœlis habitare: in 8. Photinam seu Lucidam: ex cujus commixtione cum Principibus Angeli prodierunt. II. Docebant Principem Septimi orbis Deum Judæorum esse, & Legis authorem, atque ex eo genitum Diabolum. III. Ex Diaboli cum Eva concubitu Cainum, & Abelem natos. IV. Animas ex cœli rore creari, huncque Principatuum, & Cœlestium virtutum cibum esse. V. Baptismum improbabant. VI. De Setho Adami filio innumeras confingebant fabulas, in quibus cum Sethianis ex parte conveniebant. Continebantur hæc dogmata quibusdam libris, quos Symphoniæ majoris, & minoris nomine nuncupabant, atque aliis, quos Revelationes Prophetarum, libros Seth, & Anabaticon Isaiæ, & Alienigenas dicebant, ut scribit Epiphanius.

3. Tatianistæ, aut Tatiani ab Tatiano authore dicti sunt, apud Assyrios nato, barbaræ Philosophiæ sectatore, ac Græcis litteris imbuto, ut ipse de se loquitur. Romæ quum in Christianorum libros incidisset, Justinique viri præstantis familiari consuetudine usus esset, baptizatus est. Post Justini martyrium, inquiunt Irenæus, (*l. 1. c. 31.*), ac Hieronymus, (*de script. Eccl. c. 29.*) eloquentia inflatus, novam condidit hæresim in Orientem profectus, circa annum, ut Epiphanio (*hæres. 46.*) videtur Antonini Pii duodecimum, sive ut aliis placet ejus successoris M. Aurel. Antonini.

4. Porro Tatianus, ut habet laudatus Hieronymus, infinita scripsit volumina, e quibus unus florentissimus exstat contra Gentes liber, qui inter omnia ejus opera fertur insignis. Item librum quæstionum, quarum solutiones Rhodon quidam ipsius discipulus, peculiari opere editurum se profitetur apud Eusebium in lib. histor. 5. (*cap. 13.*) tum Diatessaron sive quatuor Evangeliorum contextum quemdam, & Harmoniam, corruptam tamen, quippe his omnibus quæ veram Christi humanitatem convincunt, de industria resectis. An Tatiani Diatessaron exstet adhuc, disputant Critici. Exstant etenim in Bibliotheca Vet. PP. (*tom. 2. & 3.*) Harmoniæ duæ, quarum prima Tatiani Alexandrini, 2. Ammonii Alexandrini nomen præsefert; neutram eorum authorum esse cum Valesio, & Natali communiter tenetur. Reprehenditur item ab Eusebio (*l. 4. His. c. 29.*) Tatianus, quod dicta Pauli Apostoli ausus sit elegantioribus verbis exprimere, quasi eum, qui

non

non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis se loqututurum professus fuerat, corrigere studuisset. Quo etiam ex capite damnati sunt antiquitus Theodorus quidam apud Bellarminum, & nostris temporibus Berruierius, qui veteris, & novi Testamenti historiam eleganti, ac nostri sæculi auribus prurienti sermone ex libris sacris concinnavit.

5. Tatianum sequuti sunt, ejusque erroribus imbuti Encratitæ, seu Continentes, inquit Epiphanius, (*Hær. 47.*) eosque novis opinionibus cumularunt, majoresque nugas, ac deliria commenti sunt. Nam primo quidem circa Dei unitatem, mundi creationem, & Legem, Valentinum sequutus est Tatianus. II. de Nuptiis cum Marcione sentiebat. III. Vinum damnabat cum Severo, unde Aquarii, Hidroparastatæ, & Encratitæ dicti, quod aquam offerrent in poculo Sacramenti, ut inquit Augustinus. (*hær. 64.*) IV. Animatorum ab esu abstinebant. V. Adamum, ut Marcion, ab æterna salute excludebant. VI. Animas ajebat suapte natura mortales.

§. X.

Montanus, & Cataphryges.

1. Montanus in Phrygiæ vico Artaba natus, & baptizatus, immodica gloriæ cupiditate abreptus, ut habet Anonymus apud Eusebium (*4.hist. c. 16.*) aditum in se adversario spiritui præbuit, ac subito quodam furore, ac mentis excessu concuti cœpit, atque nova, & inaudita proloqui. Duas deinde fœminas Priscillam, & Maximillam, Prophetissas fecit, ait Theodoretus, (*2. hær. fab. c. 2.*) atque earum scripta libros Propheticos appellavit. Constituit item Hierarchiam quamdam, in qua, ut est apud Hieronymum, (*ep. ad Marcellam*) primi erant Patriarchæ de Pepuza Phrygiæ oppido (quod novam Hierusalem appellabat, ait Epiphanius, (*hær. 48.*) deinde Cenones, atque ultimo loco Episcopi. Hæresim hanc circa annum undevigesimum Antonini Pii emergere cœpisse, ait nuper laudatus Epiphanius. (*hæres. 48.*)

2. Erravit I. Montanus quod Spiritum Sanctum plenius in se, suasque fœminas, quam in Apostolos descendisse jactaret apud Hieronymum, (*ad Marc. cit.*) immo quod semet Paracletum, & Patrem Omnipotentem appellare non erubuerit, apud Cyrillum, (*Catech. 16.*) & Epiphan. II. Quod secundas nuptias damnaverit ut fornicarias, teste (*c. 26., & 32. cont. Faust. c. 17.*) Aug. III. Quod tres in anno Quadragesimas de necessitate salutis observandas propria authoritate præscripserit, quasi tres, inquit Hieronymus, (*ad Marc. cit.*)

passi sint Salvatores. IV. Quod aliqua peccata ab Ecclesia remitti non posse, existimaverit. V. Quod omnem, atque omnibus in persequutione fugam illicitam esse docuerit.

3. Præcipui Montani discipuli fuerunt Theodotus quidam, atque Alcibiades, Syrus, ut videtur, uterque, tum Themison, qui ob Christi nomen in carcerem conjectus, magna pecunia erogata liber evasit, ac deinde tanquam Martyrem sese exhibens, ausus est inquit Apollonius apud Eusebium (*l. 5. c. 18.*) exemplo Apostolorum, Catholicam Epistolam scribere, & se fideliores instituere, novæ doctrinæ patrocinari, ac postremo in Dominum, in Apostolos, in sacrosanctam Ecclesiam impie loqui. Fuit & Æschines qui ad reliquos Montani errores, adjecit Patrem, & Filium eandem esse personam, ut habet author Append. ad Tertullian. lib. de Præscript. (*c. 52.*) Item Proculus, (ap. Euseb. Proclus), (*lib. 6. c. 20.*) quem illum eundem insignem Grammaticum putat Baronius, (*ad ann. 137.*) quo M. Aurelius præceptore usus est, ab eoque deceptum in Montani partes transiisse Tertullianum, de quo postea. Cum hoc Proculo disputavit Cajus vir disertissimus Zephirini tempore. Ille præter reliqua Montani dogmata, concupiscentiam peccatum esse docuit.

4. Montano quoque aliquando favisse Praxeam, notavit ex Paciano Gottius Cardinalis. (*Tract. de Victor. adv. Hær. c. 23.*) Hunc Praxeam, in libr. contr. eundem, scribit Tertullianus de jactatione Martyrii inflatum ob solum simplex, & breve carceris tædium, illum fuisse, qui Episcopum Romanum, Zephirinum, Prophetias Montani jam agnoscentem, & ex ea cognitione pacem jam Ecclesiis Asiæ, & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis asseverando, & prædecessorum ejus authoritates defendendo, coegit litteras pacis revocare jam emissas; & a proposito recipiendorum charismatum concessare. Ex quo Tertulliani loco patet Praxeam Montani Sectatorem non fuisse, quod dubio procul ipsi objecisset Tertullianus; sequutus est autem Æschinis errorem, quo Patrem, & Filium in unam confundebat personam, unde & Sabellii præformator Praxeas habetur, & Patripassianorum pater, de quo infra. Quum autem Æschines in aliis Montani sectator fuerit, inde Praxeas Montano favisse dicitur a Paciano, (*ep. ad Simphr.*) a quo Gottius accepit.

5. Ex iisdem Tertulliani verbis Romanum Pontificem Montani prophetias, atque impia dogmata approbasse, & Cataphrybus favisse colligit Ittigius. (*de hær. sect. 2. c. 13.*) Quisquis autem ille fuerit, inquit, sive Eleutherus, sive Zephirinus, infallibilis certè non fuit. Pro defensione tamen Rom. Pontificis, de quo alibi, videri possunt Baronius, Bellarminus, Natalis Alexander singulari diss. 1. ad sæc. 3., Gallus ille quidem, nec magnus Pontificiæ infallibilitatis assertor.

6. Il-

6. Illud certissimum Tertullianum ipsum duri, atque austeri ingenii hominem, strictioris disciplinæ, ac severioris vitæ specie deceptum pro Montano stetisse scriptis, quos supra recensuimus, libris contra Catholicos, quos Psychicos, id est, animales homines vocabat, multis.

§. XI.

Aliæ Montanistarum Sectæ.

1. Ex Montanistis prodiere primum Pepuziani, a Pepuza Phrygiæ oppido nomen sortiti, in quo Christum muliebri specie cuidam mulierculæ apparuisse dicebant, ipsique singularem scientiam indidisse; & locum illum sanctificasse, in quem propterea cœlestem Jerusalem descendisse somniabant. Hinc natus duplex error. I. Evam esu ligni vetiti singulari scientia fuisse præditam mentiebantur. II. Fœminas ad sacra ministeria, atque ordines etiam Presbyteratus, immo ad Episcopatum admittebant.

2. Pepuzianis Artotyritas jungit Epiphanius, (*Hæres. 49.*) ita dictos quod in sacris mysteriis panem simul cum caseo consecrarent. Hos sicut & præcedentes Quintillianos quoque appellat ab Quintilla quadam. His affines fuerunt Tascodrugitæ ita dicti, quod inter orandum indicem digitum naso imponerent, ut animi tristitiam, & speciem quamdam sanctitatis, & sublimis contemplationis exhiberent. Alii dicti sunt Pasalorinchitæ, qui silentium veluti perpetuum observantes, atque aliis indicentes digitum ori admovebant. Fuerunt & Ascodrogitæ in Galatia, sive Ascitæ, ut eos vocat Augustinus, (*hær. 62.*) a voce Græca ασχος quæ utrem significat, quos perhibent, inquit, inflatum, & opertum utrem circuire bacchantes, tanquam ipsi sint Evangelici utres novi, novo vino repleti. Et hos quidem in dogmate nihil mali habuisse, inquit author Prædestinati citatus.

3. His omnibus accensendi videntur Quartodecimani Hæretici, ita dicti non eo duntaxat quod Pascha die Lunæ 14. cum Judæis celebrarent. Hoc enim fere omnes Asiæ Ecclesiæ observarunt usque ad Victoris Pontificis tempora, immo usque ad Nicœnum Concilium, quod ea potissimum causa congregatum est; sed quod ita necessario servandam esse dicerent ex Moisis præscripto, & Apostolica traditione, & Occidentales aliter observantes reprehenderent, ac damnarent. Quamvis autem error hic ante Montanum emerserit, eumque Blastus Presbyter, de quo supra actum est, propugnaverit, tamen ab Cataphrygibus, & Quintillianis adoptatus fuit, & summo ardore defensus, quod in causa fuisse videtur, ut Victor Pontifex rem non amplius

plius ferendam existimans, eos, atque Asianos omnes eandem sententiam mordicus tenentes abstinendos censuerit, excommunicatione in ipsos vel intentata, vel lata in Romanæ Synodo, (*sup. Prolog. 1.*) cui postmodum Arelatensis, & Nicœna consensit.

§. XII.

Praxeas, Theodotus & obiter de Alogis.

1. Praxeas Montani, & suorum impugnator acerrimus, atque ipsius ad Romanum Pontificem delator, in hæresim postmodum aliam incidit docens, Filium divinum eandem esse cum Patre personam. Unde quum vi doctrinæ ille, & ejus Sectatores Patrem quoque crucifixum, & mortuum dicere cogerentur, Patripassiani dicti sunt. Praxeas porro Romæ eam ob hæresim damnatus, eam ejurasse visus est, sed revera eam in corde retinuisse, & postmodum aperte iterum docuisse, author est Tertullianus, (*l. contra Praxeam c. 1.*) sed Tertullianus jam Montanista, & Praxeæ ob eam rem infensissimus erat. Unde ejus testimonio nescio, an fides adhibenda sit.

2. Theodotus Bizantio oriundus, arte Coriarius, Græcisque artibus apprimè excultus, quum in ea, quæ tunc sæviebat persequutione comprehensus fuisset, fidem ejuravit. Deinde ut lapsus turpissimi opprobrium vitaret, id excogitavit, ut diceret se non Deum abnegasse, sed hominem, qualem solummodo Christum fuisse. Ita Epiphanius, (*hæref. 54.*) Damascenus, (*l. 2. hæret. fab. c. 5.*), Theodoretus, (*l. de Præscript. c. ult.*) & auth. append. (*l. de hæref. O. P.*) ad Tertul. Inde ejus asseclæ Theodotiani, aut Theodotii dicti sunt. Augustinus hujus sectæ authorem Theodotionem appellat, cumque Theodoretus (*loco citato*) a beatissimo Victore Romanorum Episcopo abdicatum, atque excommunicatum fuisse scribit, cujus etiam damnationis testimonium est apud Eusebium, (*l. 5. c. 28.*) qui & Theodotum Coriarium defectionis illius Divinitatem filio abnegantis parentem, atque authorem fuisse testatur. Eusebius ergo, ut hoc obiter dicam, inter defectiones, sive hæreses eam computavit quæ Filio Divinitatem negat.

3. Theodotum hunc aliqui existimant Alogorum authorem fuisse. Alogi autem dicti sunt, quasi sine Verbo, quod Græcè λογος dicitur. Hi propterea Joannis Evangelium, & Apocalypsim respuebant dicentes non Joannis Apostoli, sed Cerinthi fœtus esse, ut disertè tradit Epiphanius. (*Hæres. 51.*) Alii vero, quos inter recentissimus Gottius Cardin., (*Tract. de Vict. adv. hæres. c. 16.*) censent, Alogorum hæresim Theodotiana paulo antiquiorem fuisse, quod probant, quum

ex

ex dogmatum diversitate, tum ex verbis Epiphanii ajentis: (*hæres. 54.*) Theodotus, nescio quis emersit, velut appendix quædam illius hæresis, quam Alogorum nomine comprehendimus. Sunt qui Artemonem quemdam, de quo Theodoretus, (*l. 2. Hæret. Fab. c. 6.*) Alogorum authorem fuisse existiment. Sed Artemoniste, vel Theodoto posterior fuit, vel certè coævus, & sodalis, atque in iisdem erroribus versatus. Quisquis vero ejus sectæ institutor fuerit, certum est brevi absumptam, atque a Theodotiana absorptam fuisse, si prius unquam extitit, sicut Theodotiana in Paulianam desiit, de qua postea. Theodoti hujus Coriarii discipuli fuerunt Asclepiades quidam, & Theodotus alter, de quo jam.

SÆCULUM III.

§. I.

Melchisedechiani, Noetiani, Valesii.

1. THeodotus igitur alter Argentarius, Coriarii discipulus, quem Damascenus Trapezitam vocat, ad præcipuum Magistri sui errorem, quo Christum purum hominem fuisse dicebat, hunc etiam addidit, Melchisedechum Sacerdotem, de quo in Genesi, non hominem fuisse, sed cœlestem quamdam Virtutem, cui cultum singularem exhiberi jussit, tanquam primo, & præcipuo Dei internuncio, ad cujus imaginem factus sit Christus, ac propterea Melchisedecho cœlesti suo exemplari longè minor. Ita Epiph. (*Hæres. 55.*) Damascen., (*Hæresi 55.*) Theodoretusque. (*l. 2. Hæret. Fabul.*) Enim vero divinæ hujus virtutis quidam eorum Patrem assignabant Hieraclam, matrem Astaroth, sive Asteriam, ut authores sunt Epiph. (*loco citato.*) & Philast. (*Hæresi 52.*) Perstitit hæc hæresis, aut hac absurdior revixit in quarto sæculo. Hieronym. enim in quadam Epistola, quosdam sua ætate fuisse testatur, qui docerent, eum qui Abrahæ tanto Patriarchæ benedixerit, divinioris fuisse naturæ, nec de hominibus æstimandum, & item dicere ausi sunt, ipsum Spiritum Sanctum occurrisse Abrahæ, & sub figura hominis in terris visum fuisse.

2. Noetianorum author fuit Noetus patria Smyrnensis, quamvis alicubi eum Ephesinum dixerit Epiphanius, (*Hæresi 57.*) quo teste, ante centum, ac triginta fere annos vixerat, id est, circa ann. Christi 244. De eo Damascenus: (*Hæresi 57.*) Filio-Patrem, aut Patri-Filium Christum asserere ausus est, eundemque Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum profiteri; se vero Moisem esse, & fratrem suum

Aaronem venditare. Inter hæc, ait Epiphanius, beatæ memoriæ Presbyteri hominem advocant; deque his omnibus interrogant. Ille primo inficiari, postea vero quum rabiem suam aliis adspersisset, ac decem fere homines sibi adiunxisset, audacior factus palam hæresim suam disseminavit. Proinde rursum interrogatus, quum iis opinionibus constanter adhæresceret, ab Ecclesia pulsus est.

3. Valesiorum autem, aut Valentinorum author, Valens quidam Arabs, inquit Nicetas, (*l. 4. Thesaur. orth.*) author fuisse fertur, ejusque hæresis Bachatis, quod juxta Damascenum (*hæres. 58.*) Arabiæ Philadelphiensis primarium est oppidum, pullulavit. Appellati sunt etiam Eunuchi, quod quum in ea opinione versarentur, neminem, nisi se Eunuchum faceret, salutem consequi posse, virilia sibi amputabant. Sectam hanc ex Origenis facto habuisse initium, atque adeo non nisi circa annum Christi 249. exortam fuisse censet Ricciolius, (*P. 3. Cron. refor. Catal. 2.*) cui consonat Danæus (*de hær. c. 37.*) Sunt qui cum Bevergio (*In notis ad eosdem.*) velint Canones qui inter Apostolicos habentur 22., & 23. in Valesiorum hæresim fuisse constitutos, qui certè Origene antiquiores sunt. Sed hoc nullo dicitur fundamento, nam idem in veteri lege, ob nativam rei deformitatem reperitur prohibitum. Scriptum Deuter. 23. est enim: Non intrabit Eunuchus, attritis, aut amputatis testiculis, vel obsciso veretro in Ecclesiam Dei.

4. Præter hunc alios Valesiis errores tribuunt antiqui. Legem, & Prophetas respuisse scribit Damascenus. Alia etiam cum Archonticis, ac Sethianis adjecisse turpia de Principatibus, & Potestatibus author est Nicetas, (*l. 4. Thes. orth.*) nec dissentit Epiphanius, (*hæres. 58.*) qui etiam ait ipsos carnis resurrectionem negasse. Addit author Prædestin. (*l. 1. cap. 37.*) Valesios in Synodo Achaiæ fuisse damnatos.

§. II.

Novatus, Novatianus, & Cathari.

1. Novatus natione Afer, Carthaginensis Presbyter, insepulti patris, prægnantis uxoris uteri calce percussi, & maturati abortus, spoliatorum pupillorum, fraudatarum viduarum, pecuniæ Ecclesiæ usurpatæ, Felicissimi, inscio proprio Episcopo Cypriano, Diaconi constituti, atque aliorum criminum reus, quum Sacerdotum judicium pertimesceret, Romam secessit. Invenit ibi Novatianum olim Energumenum, mox Clinicum, id est, instante morte in lecto baptizatum, deinde a Fabiano Papa, contra morem pristinum, repugnante Clero, & quidem, ut nonnullis videtur, per saltum neque Chrismate

mate inunctum, ordinatum Presbyterum, ob singularem eruditionem inflatum, ac de Episcopatu Cornelii, quem sibi speraverat mœrentem. Hunc Novatus cum aliis eidem addictis, nutantem impellit, dubitantem confirmat, ut magnum aliquid audeat, atque speret hortatur. Invenit etiam Maximum, Urbanum, Sidonium, & Celerinum, qui persequutionis illius tempestatem evaserant, erantque inter Christianos Confessionis laude clarissimi, apud quos Cornelio tanquam erga Lapsos indulgenti, & facili conflaret invidiam. Novatianus ergo tanquam ex machina quadam in medium projectus, Episcopus apparuit, & sedente Romæ Cornelio, Episcopi Romani sibi nomen assumpsit, primique in Ecclesia Schismatis author fuit.

2. Uterque autem docere cœpit, non esse in Ecclesia potestatem iterum admittendi ad communionem, & pacem eos, qui in persequutione lapsi fuissent, vel Libellos ab Ethnicis accepissent, immo etiam, ut est apud Epiphanium, (*hæres. 59.*) nullam misericordiæ, aut veniæ spem reliquam esse iis, qui semel post baptismum deliquissent. II. Secundas Nuptias, velut fornicarias damnabant. III. Ad suam sectam transeuntes Christianos novo bapismo abluebant. IV. Negligebant etiam Novatiani exemplo Confirmationis Sacramentum.

3. Novati, ac Novatiani sectatores hoc relicto nomine, Cathari dici voluerunt, sive quod se solos mundos, atque ab omni labe peccati puros esse crederent, sive quod candida, & pura veste uti consueverint, et ab aliis discernerentur, quod scribit Berninus. Scripsit Novatianus multa, quorum meminit Hieronymus. (*Scriptor. Eccles. c. 70.*) Ex his nihil superest nisi de Trinitate liber, qui diu Tertulliani, diu Cypriani creditus fuit, de quo alibi. Proleg. 3. Mansit autem Novatiani Schisma, clanculum tamen, & obscurè usque ad Cœlestini I tempora, qui prope medium quintum sæculum Pontificatum tenuit, & Ruricolam illius factionis ultimum delitescere coegit, & personam exuere, ut alibi dictum est. Proleg. 1.

§. III.

Angelici, Apostolici, Sabelliani, Origeniani.

1. Angelicorum meminit Epiphanius, (*hær. 60.*) qui tamen nec nominis originem, nec errorum genus, nec eorum authorem compertum habuit unquam. Theodoretus, (*c. 2. epist. ad Coloss.*) cujus ætate nonnullæ supererant illius hæresis reliquiæ, eos in Pisidia, Phrygiaque potissimum viguisse inquit, & Angelorum cultum induxisse, ab quibus lc-

legem datam fuisse dicebant, damnatos autem in Laodicœna Synodo, ubi etiam decreto statutum, ne Christiani Angelos precarentur. Et profecto, inquit, usque ad hodiernum diem videre est apud illos oratoria Sancti Michaelis. Circa tempus autem Ricciolius, (*3.p.Chronol. catal. 2.*) & Natalis Alex. (*hist. Eccl. sec. 3.cap.3.*) medio fere tertio sæculo eos extitisse affirmant, alii antiquiores faciunt, & certe Angelorum Religio, & cultus superstitiosus ab Apostolo damnatus jam inde ab Simoniana Hæresi, immo ante fortasse initium habuisse videtur.

2. Posteriores paulo existimat Ricciolius idem Apostolicos, & quidem Catharis posteriores fuisse, atque ad hæc tempora referri oportere ipsa eorum dogmata videntur innuere. Legem enim I. cum Encratitis respuebant, nuptiasque damnabant. II. Diversis utebantur mysteriis. III. Cum Catharis lapsos iterum ad communionem admittendi potestatem Ecclesiæ negabant. IV. Quod ipsis proprium erat, ac peculiare omnium rerum abdicationem ad salutem necessariam esse docebant, unde & Apotactici, sive renunciatores dicti sunt, & Apostolici, quasi Apostolicam vivendi formam imitarentur. V. Inter Canonicas Scripturas recensebant Acta quædam Andreæ, Joannis, & Thomæ. Supererant adhuc nonnulli hujus sectæ homines tempore Epiphanii, (*hæres. 61.*) qui eos in exigua quadam parte Phrygiæ, Ciliciæ, & Pamphyliæ habitasse scribit.

3. Sabellius genere Lybicus, quem Zonaras (*in notis ad Con. Conc. Constantinop. 1.*) Ptolemaidis in Pentapoli Episcopum fuisse memorat, Noeti discipulum fuisse scribit Augustinus, (*l. de hær. c. 41.*) sive quod reipsa Noetum habuisset præceptorem, sive quod in eodem, atque ille, errore versatus fuerit. Ut enim Praxeas primum, & deinde Noetus, ita Sabellius tres hypostases turpiter miscuit, atque unam in Trinitate, tribus licet variam nominibus, personam agnoscebat. Ita citatus Zonaras, Euseb. Theodoretus, Marius Mercator, Athanasius, Damascen., Aug. Epiphanius, qui tamen Sabellianos ait (*Synops. l. 2. t. 1. adv. hæres. n. 16.*) cum Noetianis penè in omnibus convenire, nisi quòd Patrem passum esse negabant, ab eoque prolatitium duntaxat mansisse in Christo Verbum. Hanc Epiphanii, atque ejus Sectatoris Damasceni cum reliquis Patribus, qui Sabellianos Patripassianos vocant dissensionem, ut componat Lequienus, alium Sabellio errorem tribuit. Quum enim, ait, apud ipsum, Pater in JESUM, solum virtute quadam, atque efficientia descenderit, non vero secundum naturam ipsam, aut personam, dici non poterat, patiente JESU, Patrem fuisse passum. Ait igitur Sabellium Paulo Samosetano prolusisse, quod, ut ex doctrina efficitur Christum verum

verum Deum fuisse inficiaretur. Scribit etiam Berninus ex Eusebio Sabellium cum Hermogene materiam ingenitam, atque æternam posuisse.

4. Proximo post eos, quos diximus, loco Origenianos Epiphanius (*hæres. 63.*) commemorat. Utrum tamen ab Origene Adamantio Scriptore notissimo, an ab alio nomen sortiti sint, se latere fatetur. Danæus (*cap. 42. de hæres.*) Monachorum osor, ab quodam Origene Monacho Antonii discipulo profectos existimat, cœpisse vero sit paulo post Gnosticos; quum Origenes Antonii discipulus quarto sæculo vixerit. Hominis frontem? Verius est Origenianos per antiphrasin dictos fuisse. Ut enim Origenes castimoniæ rigidissimus sectator fuit usque ad vitium, & superstitionem, ita isti turpissimi, atque obscœnissimi fuerunt hominum nefariam, præposteramque libidinem exercentes, apud Aug. (*de hæres. c. 42.*) & Damascenum. (*hæres. 63.*) Libidinem suam explentes, inquit Epiphanius, (*hæres. 63.*) facinus illud perpetrant, quod Onan Judæ filius, immo profluvium illud suum pedibus exterunt, ne subreptum ab impuris spiritibus ad ullam fœtus procreationem excipi possit. Adeo generationem, & quod inde sequitur, Nuptias, detestabantur.

5. Fuerunt & alii Origeniani, aut Origenistæ propriè ab Origene illo celeberrimo, atque notissimo ita nominati, quod nimirum Origenis Adamantii scripta, sententiasque omnes tuendas sibi, ac defendendas susceperint. Etenim quidquid sit de ipsius Origenis vita, & moribus, plures inveniuntur in ejus libris errores gravissimi, atque Ecclesiæ judicio damnati, quos quamvis ipse citra hæresim docuerit, sustineri tamen post Patrum, Conciliorum, ac Romanorum Pontificum damnationem non possunt. Ut illa: omnes animas præextitisse corporibus, in eaque propter priora peccata fuisse detrusas. 2. Dei verbum omnibus aliis cœlestibus virtutibus factum esse similem secundum naturam. 3. Christum pro Dæmonibus rursum crucifigendum. 4. Damnatorum pœnas aliquando finiendas. 5. Corpora in forma orbiculari resurrectura. 6. Astra omnia animata esse, & ratione prædita. 7. Deum fecisse quidquid facere potuit. 8. Denique, ut alia omittam, Patrem Filio majorem, & hunc Spiritu Sancto facit in multis, ut non immerito Arii fontem vocaverit Hieronymus. (*Epis. 65. ad Pamm.*)

§. IV.

§. IV.

Paulitani, *Hieracitæ*, *Manichæi*.

1. Pauliani a Paulo Samosetano Antiochiæ Episcopo dicti sunt; qui Valeriano, & Gallieno Impp. vixit. In hunc corruptis moribus, atque intolerabili arrogantia elatum congregati in Antiochena Synodo Patres, ipsum ab improbis suis opinionibus abducere conati sunt annum circiter Christi 264. Ille autem se ea quæ sibi opponebantur docuisse negavit, & Apostolicam doctrinam, & sanctiones in omnibus sequutum esse respondit. Deinde post sexennium de iisdem erroribus convictus, instante populo ab Episcopatu depositus est, Domnusque ei subrogatus. Quum vero è domo Ecclesiæ excedere recusaret, interpellatus Aurelianus Imperator, judicio Episcopi Romani, & Christianorum Italiæ standum esse respondit. Itaque cum summo dedecore per sæcularem potestatem ab Ecclesia exturbatus est. Hæc Eusebius. (*l. 7. histor. c. 27. 28. & 29.*)

2. Erravit autem apud Epiphanium, (*Heres. 65.*) quod docuerit Filium Dei subsistentiam habere per sese nullam, sed in Deo subsistere, sicut hominis in corde proprium Verbum inest. Secundo apud Eusebium, (*l. 7. histor. c. 30.*) & Athanasium, (*l. de salutari Christi adventu.*) quod filium Dei è cœlo delapsum confiteri renuerit dicens, IESUM è terra ortum duxisse, Verbumque in ipso fuisse, sicut Verbum Regis, aut jussio ei inesse dicitur, eaque operari, quæ minister de mandato Regis operatur. Ita Pauli mentem explicat Leontius. (*l. de Sectis act. 3.*) Unde recte dicitur Sabellius Pauli Samosetani hæresi prolusisse.

3. Eodem ferme tempore in Ægypto errores suos disseminavit Hierax Leontinus, sive quia ibidem natus, sive quia in ea urbe diutius vixit, Ægyptiacis, Græcisque disciplinis juxta cruditus, & veteris, inquit Epiphanius, (*heres. 67.*) novique Testamenti scientissimus: Monachum fuisse, nescio quo ductus testimonio Danæus (*Op. de heres. c. 47.*) scripsit. Illud certum est Hieracem austerioris quoddam vitæ genus consectatum, unde multos Ægypti monachos in suos errores traxisse testatur Epiphanius, (*loco citato.*) atque ex eo Baronius, qui etiam Macharii Alexandrini victoriam non sine ingenti miraculo suscitati mortui de quodam Hieracri discipulo reportatam memorat ad ann. Christi 288.

4. Docuit autem I. corpora non resurrectura. II. Nuptias in veteri Testamento licuisse; in novo non licere. III. Pueros ante usum rationis decedentes salutis æternæ esse incapaces. IV. Paradisum,

& to-

& totam Genesis narrationem esse mere allegoricam. V. Melchisedechum fuisse ipsum Spiritum Sanctum. VI. In divinis personis quamdam esse naturæ divisionem ei similem, qua duo sunt ejusdem lychni, aut lucernæ ex alia accensæ lumina. Addit Berninus vitem a bono principio esse, vinum a malo existimasse, atque adeo ipso abstinuisse. Et certè illum ab eduliis omnibus temperasse sibi, atque ita severè vixisse, ut vino prorsus abstinuisse apud Epiphanium legitur; id autem ideo fecisse quod ex natura, & origine malum putaverit, Epiphanius non dixit.

5. His ætate suppares fuere Manichæi, quorum primus author Scythianus quidam gente Saracenus in Arabia educatus, qui quatuor voluminum a se compositorum Evangelii, Mysteriorum, Thesaurorum, & Capitulorum Terebynthum quemdam suum auditorem moriens hæredem reliquit. Terebynthus qui & Budda dictus, Hierosolymis, quo Scythianus objerat, in Persidem secessit. Ibi moriens, viduam, in cujus ædibus morabatur, librorum illorum, & ingentis pecuniæ hæredem fecit. Obvenerunt ea omnia viduæ illius servo cuidam, cui nomen Cubricus, qui deinde Manes dictus est. His ille instructus apud Persas disputare primum instituit, dein majora sibi promittens, ægrotanti Regis filio, salutem se daturum pollicetur. Quum autem contra evenisset, missus in carcerem, inde aufugit, datisque litteris ad Marcellinum quemdam, aut Marcellum, quarum Epiphanius (*hæres. 66.*) meminit, Charcharam Mesopotamiæ pagum vocatus proficiscitur. Ibi cum Archelao Episcopo semel, ac iterum congressus, victus, ac pene non lapidibus obrutus evasit, atque Arabionem urbem unde discesserat, rediit. Tandem a Regiis satellitibus comprehensus, cute detracta, ac præ foribus, inquit Cyrillus, (*Catech. 6. de hæres.*) in modum sacci suspensa, quam ut est apud Epiphanium, (*loco cit.*) utris in modum infartis paleis ad hodiernum usque diem in Perside servant, mortem obivit turpissimam ann. circiter Christi 278. prope festum Paschæ, cujus diei memoriam ejus discipuli quotannis festam habent, & Bema, seu gradus vocant, ut ipsis exprobat Aug. (*lib. cont. ep. fundamenti.*)

6. Primus, ac præcipuus Manetis error, non ille quidem novus, fuit duo esse rerum principia, aliud natura bonum, aliud natura malum. Hinc II., carnem, quippe quæ materia constet, a malo Deo profectam. III. Nuptias, & generationem a malo esse, unde non ad sobolis procreationem, sed ad meram libidinem fœminis utebantur, generationem impedientes. IV. Hinc Christum carnem assumpsisse negabant. V. Animatorum esu saltem eorum Electi, seu Sacerdotes abstinebant. VI. Vino item; non autem uvis. VII. Panem, aut cibum quemcumque mendico præbere nefas ducebant, ne carni fomitem

tem ministrarent. VIII. Hinc etiam Sanctorum reliquias exsecrabatur. IX. Mundum ex utriusque principii, & gentium suarum conflictatione processisse dicebant. X. Duas in unoquoque homine animas ponebant, easque de corpore in corpus post mortem transmigrare. XI. Liberum arbitrium, fidei necessitatem, carnis resurrectionem negabant. XII. Bellum quodcumque illicitum esse docebant. XIII. Diebus Dominicis in honorem Solis jejunabant, quem Dei sedem, immo Christum esse nonnulli eorum credebant, quoque purgatas animas deferri somniabant. XIV. Spiritum Sanctum in Manetem suum descendisse dicebant, sicut Filius in JESUM. XV. In Mysteriis suis panem offerebant humano semine conspersum, inquit Aug., (*l. de hæros. c. 46.*) qui & fœminas suas nefanda ea Synaxi corruptas, & vitiatas fuisse, atque id confessas, commemorat. Plura apud eundem Aug., & Epiphanium videri possunt. Nobis hæresis omnium teterrimæ, & absurdissimæ errores præcipuos indicasse sufficiat.

SÆCULUM IV.

§. I.

Schisma Meletianum.

1. SUB quarti sæculi initium, atque ipso ann. Christi 301. Meletius Licopolitanus in Thebaide Episcopus, sive quod lapsis, etiam post Pœnitentiam communionem negaret, sive quod ipse in persequutione lapsus fuisset, a Petro Alexandrino, & reliquis Catholicis secessit conflato Schismate, in quo etiam post Nicœni Concilii damnationem usque ad mortem perstitit, uti est apud Epiphanium, (*her. 68.*) & Athanas., (*Apol. p. 2.*) qui eos Schismaticos potius, quam hæreticos fuisse dicunt, sicut & Damascenus, (*heres. 68.*) qui tamen eos postmodum cum Arianis connumerat. Tamen quamvis a principio in fide non erraverint, enim vero inveteratum Schisma sine errore circa fidem vix, aut nunquam inveniri posse certum est.

§. II.

Schisma, atque errores Donatistarum.

1. Teterrimum hoc Schisma, quod ut Optatus Milevitanus (*cap. 16.*) in primo libro de eo argumento, scripsit, Lucillæ insana mulieris iracundia peperit, Majorini, atque aliorum ambitus nutrivit,

vit, & avaritia roboravit, Marcello Pontifice erupit, quando in Mansurii Carthaginensis Episcopi Romam evocati, ac defuncti locum suffectus est Cœcilianus, rejectis Botro, & Cælesio dignitatem illam ambientibus. Porro Cœcilianum Episcopatu indignum ajebant, quod in persequutione lapsus fuisset, neque condignam egisset pœnitentiam, quodque non a Primatæ Numidiæ, sed a Felice Aptungitano sacrorum Codicum traditore ordinatus esset. Coacto igitur septuaginta Episcoporum concilio, Majorinum Lucillæ cujusdam opulentæ fœminæ domesticum Carthaginensem Episcopum ordinarunt, Lucilla ipsa pecunia, muneribusque vota aucupante. Majorini ordinator fuit Donatus a Casis-nigris Episcopus, a quo, vel ab alio Donato ejusdem factionis homine, qui postea Majorino successit, genti nomen est inditum. Donatistæ quum in Concilio Romano sub Melchiade, tum in Arelatensi damnati sunt, agente Constantino, nonnulli relegati, alii gravissimis decretis coerciti, quibus tamen non obstantibus permanserunt usque ad Juliani Augusti tempora, sub quo amplissimis rescriptis obtentis, & Ecclesiis, quæ illis jussu anteriorum Principum ademptæ fuerant, restitutis, gloriabundi, & in Catholicos sævientes ea patrarunt facinora, quæ apud Augustinum, & Optatum leguntur, & latè refert Gottius Cardin. (*Tract. de Victor. adv. heres. c. 61.*) Deinde sub Theodosio in Primianistas, & Maximianistas scisi sunt, mox in Rogatianos, & Urbanenses, donec postria ferme sæcula omnino evanuerunt. Effutiebant Donatistæ apud Augustinum, (*l. de unit. Ecclesiæ c. 16.*) Ecclesiam apud ipsos solum exstare: Catholicos ad suas partes transeuntes denuo baptizabant, & eorum quidam Circumcelliones dicti, sibimet manus injicere licitum putabant.

§. III.

Arius, & Ariani.

1. Arius Lybicus, Ammonii filius apud Theodoretum, (*lib. 1. cap. 5.*) & Luciani Antiocheni discipulus, prius Meletii fautor, deinde Alexandrinus Presbyter, & Baucalensis Ecclesiæ Parochus, cui sacrorum librorum expositio commissa fuerat, doctrinam Alexandri, quem sibi præpositum dolebat, carpere cœpit circa annum Christi 317. ap. Baron. ad ann. 315. docens Patrem non semper Patrem fuisse, & initium habuisse Filium, neque ejusdem esse cum Patre substantiæ. Eam ob causam ab Alexandro damnatus, & gradu pulsus in Palestinam abiit favente potissimum Eusebio Nicomediensi. Inde per Osium primum admonitus, deinde in Concilio Nicœno damnatus exulare cogitur per quinquennium, ap. Eus. in vit. Const.

donec

donec adnitente Constantia Imperatoris Sorore revocatus, quum ab Athanasio jam Episcopo Alexandrino in communionem admissus non esset, in eundem Eusebii, atque aliorum animos accendit, ab quibus in Tyria Synodo Athanasius depositus, & in Hierosolymitana Arius in communionem admissus, atque in gradum pristinum restitutus est. Quum tamen Ecclesiam peteret, orantibus Alexandro Constantinopolitano, & Jacobo Nisibitano Episcopo, Deo ultore, gravissimo viscerum dolore correptus, turpissimo mortis genere interiit, ut est apud Socratem. (*lib. 1. cap. 38.*) Sunt qui ea quæ de Ario Sectæ hujus authore narrantur ab anno 330. usque ad 336., de alio cognomine intelligant prioris Lybici discipulo. Quam opinionem Joannes Mariana (*ad sæc. 4.*) sequutus est in hist. Hisp. Hujus posterioris Arii meminit etiam Socrates. Quæ autem post mortem Constantini M. sub Constantio fortuna hujus sectæ fuerit, vide apud Meimburgium, & Ecclesiasticos Historicos.

2. Ea porro tractu temporis in tres divisa est sectas. Fuerunt enim qui purum Arii dogma sectantes Filium, alius omnino substantiæ, Patrique dissimilem in omnibus dicerent. Alii Patris, & Filii non eandem, sed tamen omnino simile naturam esse putabant, qui ut Catholicis fucum facerent, non ὁμουσιὸν, sed ὁμοιουσιον usurpabant, unde Homœusiani, & Semiariani dicti sunt. Alii demum, ut Acacius Cæsariensis Eusebii successor, ανομοιον recipiebant apud Epiphanium, (*hæres. 79.*) & Basilium, (*apud S. Epiph. sup. citat.*) unde & Anemæi dicebantur. Hi Filium similem ajebant esse Patri, non tamen substantia, aut natura, sed eo fere modo, quo statua aut pictura Cæsaris ei dicitur similis.

§. IV.

Marcellus, Photinus, atque Audæus, & Audæani.

1. Marcellus Ancyranos Episcopus Constantini, atque Arii temporibus vixit. Is vero contra Asterium Arianum scribere aggressus, in errorem incidit quo Christum, sicut Paulus Samosetanus nudum hominem fuisse dicebat. Hic in Synodo Constantinopolitana primum damnatus, in Sardicensi postmodum ad communionem admissus est, atque in pristinam dignitatem restitutus, quod ex præpostero suorum librorum intellectu hunc sibi errorem affectum esse diceret. Vide de ejus orthodoxia Natalis Alex. dissertationem 30. ad quartum sœculum.

2. Quidquid autem sit, de fide Marcelli certum est ejus discipulos, quos inter præcipuus Photinus Galata, Sirmiensis postmodum in Pannonia

nonia Episcopus tres hypostases confiteri noluisse, & in Christo unam duntaxat humanam naturam agnovisse, ut Socrates, (*hist. 2. c. 18.*) atque Epiphanius (*hær. 72.*) authores sunt. Hic in Concilio primum Mediolanensi, mox in Sirmiensi Catholicorum, & Arianorum consensu damnatus est, & ab Episcopatu dejectus.

3. Audius, sive Audæus natione Syrus, vitæ integritate, & divinæ fidei zelo clarus, ut ait Epiphanius, (*hær. 70.*) quum quorumdam Christianorum, & maximè Ecclesiasticorum vivendi licentiam ferre non posset, nec corrigendo, aut increpando quicquam proficeret, immo infestus, gravisque omnibus evasisset, seipsum ab Ecclesia segregavit. Deinde ab Episcopis ad Imperatorem delatus, quod populos ab Ecclesiæ obsequio retraheret, in Scythiam relegatus ad Gothiæ interiora penetravit, multosque barbaros ad Christi fidem adduxit. Ex quo Monasteria multa propagata sunt, in quibus Religiosa vivendi ratio, & virginitas, ac severissima disciplina floruit. Audianos, inquit Augustinus, (*l. de hæres. c. 50.*) alii vocant Antropomorphitas, quoniam Deum sibi fingunt cogitatione corporali in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, quod eorum rusticitati tribuit Epiphanius parcens eis ne dicantur Hæretici. Potius enim Epiphanius Schismaticos, quam Hæreticos dicendos esse voluisse videtur. Præter hunc tamen alios errores tuebantur Audæi sectatores. Nam & Pascha cum Judæis celebrandum asserebant, & quamdam peccatorum confessionem usurpabant transeuntes inter sacros, & profanos libros in circuli undique conclusi formam dispositos. Præterea tenebras, ignem, & aquam æterna esse, ac veluti prima rerum principia fingebant, ut est apud Theodoretum. (*l. 4. hær. fab. c. 10.*) An vero hæc ab Audæo acceperint, incertum est. Rudium Monachorum ab ipso in Gothia propagatorum hæc figmenta videntur. Erupit Audæanorum schisma sub Valentiniano, & Theodosio quarto sæculo desinente.

§. V.

Macedonii, Aerii, Aetii, atque Eunomii errores.

1. Macedonius artis plumariæ primum professor, mox Diaconus, ac deinde Eusebianorum factione, & ope Constantii Imperatoris Constantinopolitanus Episcopus, inde ab eodem Constantio ab Episcopatu depositus in locum quemdam urbi Regiæ vicinum se recepit, ubi extremum tandem diem obiit teste Sozomeno. (*lib. 4. cap. 26.*) Qui vero vivente Constantio Arianorum fautore Arianis adhæserat, eo mortuo sententiam mutavit, Filiumque Deum, & per omnia Pa-

tri æqualem asseruit; non tamen Spiritum Sanctum, quem creaturam, & Patris, ac Filii ministram virtutem esse tuebatur. Hunc propterea Epiphanius (*hæres. 74.*) πνευματομαχον, id est, Spiritus Sancti hostem appellavit. Hæresim hanc multis confirmaverunt Macedoniani in Lampsacena sua Pseudo Synodo; damnata vero est in Alexandrina, Illyrica, Romana, atque Oecumenica II. Constantinopolitana I. sub Damaso, ac Theodosio Seniore ann. Christi 381.

2. Aerius his paulo posterior, invidia in Eustathium Sebastenum Episcopum sibi prælatum, in eam audaciam processit ut Episcoporum ordinem sustulerit, eos dicens reliquis Presbyteris dignitate, ac jurisdictione pares. Docebat præterea vivorum orationes, & pia opera nihil defunctis prodesse, jejunia, & alia pœnalia opera ab Ecclesia eliminanda, sicut & Paschatis celebrationem, & omnem temporalium bonorum possessionem. Quæ de Aerio Pontico ex Epiphanio, (*hæres. 75.*) atque aliis diximus, Aetio tribuit Berninus apud Lancisium, nominis fortasse similitudine deceptus.

3. Fuit autem Aetius ab Aerio, ut patria, ita genere, scriptis, atque errore diversus, in Cœlesyria prope Antiochiam natus, ut est apud Socratem, (*l. 2. c. 35.*) prius aurificæ artis professor, postea Alexandriæ leviter eruditus, atque ab Leontio Antiocheno, sive, (ut voluit Epiphanius) (*hæres. 76.*) a Georgio Alexandrino Diaconus ordinatus. Hic quum in divinarum rerum ratione Geometricis figuris explicanda summo in otio a prima luce usque ad vesperam sedens pertinaci opera studioque incumberet... adversus Dei Filium, & Spiritum Sanctum linguam acuit. Sed a nonnullis ad Constantium delatus in subjectam Tauro monti regionem relegatus est. Docebat primo cum Ario Filium Patri omnino esse dissimilem apud Epiphanium. II. Spiritum Sanctum Filii facturam esse. III. Verbum divinum animam non assumpsisse, sed vicem animæ supplevisse Divinitatem. IV. Baptismi formam, ac methodum immutavit. V. Sanctorum reliquias contemnebat. VI. Fidem sine operibus ad salutem sufficere propugnabat. VII. Attributorum omnium divinorum rationem, notionemque eandem esse, unde (ut quidam ejus sectator inquit apud Nyssenum) (*Oration. 12. contra Eunomium.*) si æternum significantes, vitam significamus, & vitam Essentiam dicere veritatis sermo compellit, ipsius divinæ Essentiæ significativum est ingenitum, sive æternum. Quum ergo genitum sit Verbum, ab divina Essentia prorsus alienum est.

4. Præcipui Aetii discipuli fuerunt Eunomius, & Eudoxius, quorum discipuli in duas deinde sectas divisi sunt Theophronianorum, & Eutychianorum. Eunomius genere Cappadox in urbe Dacora natus Prisco patre primum Pœdagogus, deinde Constantinopoli miles, ac

ac tandem Alexandriæ Aetii auditor, atque scriba sophisticum ejus disserendi stylum imitatus ad Episcopatum Cyzicenum destinatus dicitur apud Socratem. (*l. 4. cap. 7.*) Inde jussu Constantii exul secessit in Pamphyliam, ubi Valente Imperatore vivere desiit. Eudoxius Arabissi in minori Armenia natus, Cæsarium Martyrem habuit parentem. Quum autem ob vitæ licentiam, ad Clericatum admissus non fuisset, ad Arianos transfugit, ac post tempus aliquod Antiochenus Episcopus factus est. Ibi Eunomium in Eleusii locum ordinavit. Deinde in Seleuciensi Synodo depositus, errorem abjurasse visus est, & in Constantinopolitanam sedem aditum sibi fecit. Theophroniam, atque Eutychium Eunomii discipulos fuisse scribit Socrates, (*l. 5. c. 24.*) nec amplius de iis quicquam. Porro Aetianos etiam Eunomianos, atque Anomæos dictos fuisse constat ex Theodoreto, (*l. 4. c. 4.*) atque etiam Troglodítas sive in speluncis degentes, quoniam Theodosii Imperatoris edicto, ab locis omnibus pulsi, ad eas confugere nonnulli eorum coacti sint. Eosdem & Gothicos appellatos censet Danæus, (*de hær. c. 54.*) quod Gothorum gentem cum Ulphila Episcopo suos in errores adduxerint, quod scriptum est ab Sozomeno. (*l. 6. c. 37.*) Denique severissimis Theodosii Imp. legibus, primum Ecclesiis, atque urbibus pulsi, ac demum extincti sunt.

§. VI.

Apollinaris, Helvidii, aliorumque errores.

1. Apollinaristæ ab Apollinari dicti sunt Laodicenæ Ecclesiæ Præsbytero, ejusque filio cognomine ejusdem Ecclesiæ Lectore. Uterque propter nimiam cum Epiphanio Sophista familiaritatem ab Ecclesia pulsus est per Theodotum Episcopum, qui mox pœnitentes, ac veniam deprecantes iterum ad communionem admisit. Georgius deinde Theodoti successor, quod eosdem Athanasii amicitiam colere intellexisset, Ecclesia rursum expulit, nec ullis precibus ad ipsos iterum admittendos adduci potuit, sicut nec Vitalem ejusdem Ecclesiæ Presbyterum. Inde conceptum in Georgium odium, in totam Ecclesiam evomuerunt. Scripsit Apollinaris multa quum soluta oratione, tum ligata in Ecclesiæ utilitatem, & fidei defensionem, fuitque eam ob rem Athanasio, Basilio, Nazianzeno, Epiphanioque charissimus, atque Hieronymi præceptor, ut ipse (*epist. ad Pamm.*) testatur. Erravit autem postmodum I. quod Verbum carnem sine anima sumpsisse asseruit, cujus Divinitas vicem suppleverit. II. Carnem ipsam cœlestem fuisse, immo ipsi Verbo consubstantialem, teste Athanasio,

 (*5. de*

(. 5. *de Incarn. adv. Apollin.*) III. In nonnullis scriptis trium personarum proprietates confundebat, unde etiam quibusdam Sabellianus visus est, inquit Theodoretus. (*l. 4. c. 10.*) IV. Sicut ex corpore corpus, ita animam ex anima nasci, ac simili cum brutis ratione subsistere docuit, ut est apud Hieronymum. (*in præfat. l. 18. in Isai. & alibi.*) Damnati sunt Apollinaris errores in Synodis Romana, & Antiochena ann. 373., & 378. Vitalis ejus socius de eadem hæresi accusatus, Damaso & Gregor. Nazianzeno ficta fidei subscriptione fucum fecit, sed mox detecta fraude damnatus est, ut ipse testatur Gregorius. (*ep. 2. ad Cled.*)

2. Helvidiani, inquit Augustinus, (*in lib. de hæres. cap. 84.*) exorti sunt ab Helvidio (qui Gennadio teste Auxentii Ariani discipulus fuit, & S. Hieronymo coævus) atque ita Virginitati B. Dei genitricis contradicunt, ut eam post Christum alios etiam filios de viro suo Joseph peperisse contendant. Inde alio nomine Antidico Marianitæ dicti sunt. Alii cum Epiphanio (*hær. 78.*) putant hos non ab Elvidio, aut Helvidio, sed ab Apollinari initium duxisse, & primo quidem in Arabiam, deinde in Hispaniam, & Galliam irrepsisse authore illo Helvidio, cujus patrocinium erroris fere nullus Episcoporum suscepit præter Bonosum Sardicensem, cujus causa in Conc. Capuano Anisio Illyrici Episcopo demandata est.

3. Collyridiani errore ex diametro opposito ita dicti sunt, quod ut Epiphanius (*hæres. 79.*) inquit, in ejusdem Mariæ nomine, stato anni die, collyridas quasdam (panis nimirum placentam, vel oleo frixam, vel sub cinere coctam) veluti in sacrificium offerebant. Errorem hunc, aut superstitiosum ritum è Thracia, ac superiore Scythia in Arabiam irrepsisse, idem scribit, per quasdam mulierculas pietatis larva deceptas.

4. Ad hoc item sæculum referendi videntur Metangismonitæ, aut Metangæi ita dicti juxta Augustinum, (*de hær. c. 58.*) quod Filium in Patre corporea quadam inclusione, sicut vas, in vase, esse somniabant a voce græca αγγιος, καὶ μετα. Hæresis hæc incerto authore nata est eo tempore, quo circa divinas proprietates innumeri fuere errores, atque effrænata opinandi licentia. Mirum autem quid in utroque simile viderit Danæus, (*c. 58.*) ut ex Metangismo natum dicat monstrosum illud (ipsius verba sunt) Scholasticorum dogma de circuminsessione divinarum personarum. Nimirum, quæ ignorant homines isti, blasphemant.

5. His suppares fuerunt Massaliani, qui etiam Psalliani, & Euchitæ, & Sanatici, & Pneumatici, & Enthusiastæ dicti sunt. Hi Dadoem, Sabbam, Hermem, Simeonem, & Adelphum (unde ipsis quoque nomen) authores habuisse dicuntur prope finem quarti sæculi,

culi, atque Epiphanii ætate, qui (*Hæres.* 80.) eorum hæresim postremam recenset, aitque in Mesopotamia natam. Errores docebant varios. Nam I. baptismum rejiciebant. II. Omnium bonorum operum necessitatem negabant, præter orationem, cui dumtaxat vim omnem, & meritum salutis tribuebant. III. Sathanam ajebant, a nativitate in unoquoque hominum habitare. IV. Se solos spirituales esse, & Prophetis, Angelis, immo Christo pares. His alia absurdissima, & scelestissima aggerebant dogmata, quæ apud Epiphanium videri possunt; si forte ejusdem, non plurium sectarum deliramenta sunt, ut credidisse videtur Berninus.

6. His alios obscurioris nominis Hæreticos accenset author idem, & Gottius (*Tract. de Vict. adv. hæres. c.* 56.) ex Augustino, & Philastro. Et primo quidem Seleucianos, aut Hermianos ab Herma, & Seleuco Galatis ita appellatos. Hi materiam Deo coæternam dicunt II. animas ab Angelis factas. III. Malum aliquando a Deo, aliquando a materia ortum ducere. IV. Christum in Ascensione carnem exuisse, atque eam in Sole collocasse. V. Paradisum incorporeum quid fuisse. VI. Baptismi Sacramentum, & carnis resurrectionem negabant.

7. Proclianos his adnectit Philaster (*hær.* 56.) a Proclo quodam ita nuncupatos, qui præter reliquos Seleucianorum errores, hunc etiam addiderunt, Christum nec de Virgine natum, nec in vera carne venisse. Hos etiam accusat Philaster, quod Sapientia Jesu Filii Syrach, tanquam Salomonis libro uterentur, quo tamen jam Catholica Ecclesia, quanquam Salomonis esse non credat, utitur ut Canonico, ut alibi firmabitur. Proclum hunc in Galatia errores suos disseminasse, idem author testatur.

8. His addendi Patriciani a Patricio quodam Romano dicti, ut est apud Augustinum, (2. *cont. adv. Leg. & Prop. c.* 12.) quorum insaniam in partibus Numidiæ, ac Mauritaniæ incæpisse tradit Author Prædistinati. (*cap.* 61.) Docebant autem ait Augustin., carnem non a Deo, sed a Diabolo conditam, eamque propterea sic detestabantur, ut quidam eorum perhibeantur etiam morte sibi illata carere carne voluisse. Ex quibus Patricianos cœnosum quemdam Marcionitarum, & Manichæorum rivulum jure censet Gottius. (*Tract. de Vict. adv. hær. c.* 57.)

9. Patricianis subnexuit Gottius idem Passalorynchitas, Ascitas, sive Ascodrugitas, Aquarios, Coluthianos, & Florianitas, de quibus & ipse jam egerat, & nos quoque temporum rationem sequuti supra disseruimus. His accensendi videntur Mundi-æternales, & Nudi-pedales, incerti temporis, & incerti authoris monstra, quorum primi mundum in eodem statu æternum permansurum, alii nudis pedibus

deambulandum semper esse dicebant, ita illud Dei ad Moisem intelligentes: solve calceamentum &c.

§. VII.

Priscillianus, Jovinianus, & alii ejusdem sæculi Hæretici.

1. Gnosticorum hæresim in Oriente jam pridem grassantem, in Hispaniam invexit quarto sæculo desinente Marcus quidam Ægypto profugus, Memphis ortus Severo Sulpicio, (*2. hist.*) ac Hieronymo (*in Isai. c. 44.*) testibus. Hunc porro Baronius ex iis Gnosticis fuisse existimat, qui ab Epiphanio detecti, atque expulsi Ægypto fuerunt, cumque in Hispaniam ann. 381. appulisse arbitratur. Sed ante id contigisse vero similius est. Nam Concilium Cæsaraugustanum, in quo primum Instantius, & Salvianus damnati sunt, habitum communiter censetur ann. Christi 380. (*ap. Harduin.*) Ante hunc igitur annum hos in Hispaniam appulisse constat. Ibi primum Agapem, divitem quamdam fœminam, deinde Helpidium Rhetorem, tum Priscillianum, virum nobilem, divitem, facundum, sed acri, & inquieto ingenio, & Magicis artibus, atque Astronomiæ deliriis imbuto discipulos habuit Marcus. His postea accesserunt Instantius, & Salvianus, a quibus Priscillianus adhuc Laicus, Abulensis Episcopus ordinatus est. Primus Hyginus Cordubensis Episcopus Priscilliani, suorumque errores ad Ithacium Emeritensem detulit, quo agente Priscillianus, & sui in Cæsaraugustana Synodo damnati sunt: mox a Gratiano Imperatore, quem Ithacius accusatus convenerat, suis sedibus pulsi, deinde ad easdem restituti, donec Gratiano occiso, & agente Ithacio apud successorem Maximum, Priscillianus cum aliis capite plexus est: Eutrochia Matrona, Instantius, aliique exilio mulctati, Ambrosio, Martino, aliisque Sanctissimis Episcopis Ithacium damnantibus, quod, ut ait citatus Sulpitius (*loco cit.*) sine modo, & ultra quam oportuit Instantium, sociosque ejus lacessens, facem quamdam nascenti incendio subdiderit, & exasperaverit malos, potius quam compresserit.

2. Negabant I. Priscillianistæ distinctionem Personarum. II. Arbitrii libertatem, humana omnia siderum motibus, & fatali necessitati tribuentes. III. Matrimonii Sacramentum. IV. Carnis Resurrectionem, quod concretionem corporis animæ dignitati incongruam esse existimarent, uti Leo (*ep. 15. c. 8.*) testatur. V. Docebant Christum non esse Filium Dei, nisi quia filius est Virginis. VI. Animas esse divinæ substantiæ partes. VII. has ajebant cum Origene in pœnam

præ-

præcedentium peccatorum in corpora fuisse detrusas. VIII. Diabolum nec unquam bonum fuisse, nec opus Dei, sicut neque humanorum corporum formationem. IX. Carnium esum prohibebant. X. Diebus Dominicis, atque in Natali Domini jejunandum esse dicebant. XI. Scripturas Apocryphas recipiebant veris corruptis. XII. Mendacium etiam juramento confirmare licere prædicabant.

3. Eodem ferme tempore circiter ann. Christi 382. Jovinianus e Mediolanensi, vel Romano, ut aliis visum, Monasterio profectus sacrarum Deo virginum, & virorum multorum corda seduxit docens Virginitatem Nuptiis non præstare. His addidit abstinentiam ab cibis quibusdam, sive Ecclesiasticum jejunium nihil ad salutem prodesse; nec posse peccare hominem semel post baptismum renatum. Peccata omnia, omniaque merita, atque adeo præmia omnia etiam a Deo justis collata paria esse dicebat. Jovinianum acerrimis lucubrationibus oppugnarunt Hieronymus, (*l. 1. Adver. Jovinian.*) & Aug. (*l. de hæres. c. 82. & alibi.*)

4. Doctor hic Sanct. in suo Catalogo plures obscurioris nominis Hæreticos adnectit, de quibus breviter dicemus. Fuerunt enim quidam dicti Adelophagi, quod Christiano coram aliis cibum sumere illicitum haberent. II. Rhetoriani ab Rhetore quodam Ægyptio nomen sortiti, qui omnium hæreticorum dogmata probanda, aut tolleranda esse dicebant, quod in omnibus æque Deus coleretur. Hoc in errore deprehenditus fuisse Themistius Rhetor apud Cassiodorum, (*In hist. tripart. l. 8. c. 12.*) Symmachus apud Prudentium, (*l. 2.*) Lampetius apud Damascenum, (*de hæres. n. 98.*) atque hodie etiam multi, qui Adiaphori, sive indifferentes dici volunt. III. Theopaschitæ, qui & Theopassiani Deum passum, mortuumque dicentes, quorum error a supra memorato Patripassianorum nihil differt. Ejus tamen patrocinium suscipiens sequentibus temporibus Petrus Gnaphæus, dictus Fullo Antiochenæ Ecclesiæ invasor, celebriorem reddidit. IV. Triformii quorum hic error fuit apud Aug. (*l. de hæres. c. 74.*) quod Dei substantiam ex tribus divinis personis tamquam ex partibus conflari, & coalescere existimabant. Nec confundendi Triformii cum Tritheitis, ab quibus & origine, & tempore, & errore multum discrepant, ut suo loco adnotavimus. V. Hydrotheitæ, qui apud Augustinum (*Hæres. 64.*) aquam Deo coæternam, nec ab ipso factam asserebant. VI. Melitonii, qui corpus hominis, non animam ad imaginem Dei factum arbitrabantur. Melitoniorum autem unde natus sit error, non apparet. Danæus pro libito videtur hoc ipsis nomen appinxisse. VII. Est alia hæresis, inquit Augustinus, (*de hæresi 77.*) quæ mundos infinitos, & innumerabiles credit. Hos Danæus Ophæos; author Prædestinati (*c. 77.*) Ametritas

tas appellat. Huic somnio potius, quam hæresi Fontenellius quisquam author fuerit, aut ullus Recentiorum Nevvtonianorum similis, genus hominum vanum potius, quam malum. VIII. Tertullii qui animas impiorum post mortem in Dæmones verti commenti sunt, vel in corpora animalium suis meritis congrua transmigrare. Errorem huic similem Tertulliano tribuit Augustinus, (*de hæres. c. 86.*) unde aliqui Tertullianistas hos vocant; potius tamen Origenis quam Tertulliani sectatores fuisse, patet ex iis quæ de utroque alibi (*proleg. 3.*) diximus. IX. Liberatores ita dicti, quod opinarentur; teste Aug., (*de hæres. 79.*) Christo ad inferos descendente, & prædicante, omnes eatenus incredulos ei fidem præstitisse, atque inde fuisse a Domino liberatos, ex loco Petri fortasse pravè intellecto. X. Nativitarios, qui apud Aug. (*c. 80.*) eumdem sempiterne natum non intelligentes Filium, putant illius nativitatem a tempore sumpsisse initium. Hi tamen ab Arianis discernendi non sunt.

§. XI. Luciferiani a Lucifero Calaritano in Sardinia Episcopo nomen duxerunt, de quo alibi. An ejus sectatores Schismatici solum, an etiam Hæretici dicendi sint non satis liquet. Schismaticos duntaxat, non Hæreticos censeri voluit Augustinus, (*cap. 81.*) nec aliud quicquam evincitur, ex Hieronymi adversus ipsos Dialogo, unde Gottius Cardin. (*de vict. adv. hæres. c. 67.*) Apparet, inquit, Luciferianos etiam Episcopos pœnitentes in Ecclesiam quidem, sed non ad Episcopalem dignitatem admittendos esse existimasse, qui nimius rigor disciplinæ, non fidei error videtur, nisi aliud adjiciatur. Fuit autem inter Luciferianos Hilarius quidam Romanus Presbyter, qui Arianos rebaptizandos esse credidit, & scriptis editis docuit. Hic profecto, & si qui fuerunt hujusmodi, non Schismatici modo, verum & Hæretici fuerunt procul dubio. XII. Paterniani a Paterno quodam ignobili authore appellati, ut est apud Aug. inferiores humani corporis partes non a Deo, sed a Diabolo factas opinabantur. XIII. Tertullianistæ dicti sunt a Tertulliano quod aliqua Tertulliani dogmata propugnarent, ut animas corporeas esse, atque effigiatas, quod ille in lib. de Anima (*c. 22.*) docuit. Item quod easdem ex anima Adami propagatas, & cum carne in utero seminatas censuerit, in quo errore idem Augustinus (*Hæres. 86.*) quandoque veluti dubitabundus. Præterea quod animas impiorum in Dæmones converti dixerit. Id tamen apud Tertullianum non legitur, & Augustinum pro Origene Tertullianum scripsisse verosimilius est. Sunt qui Tertullios cum Tertullianistis confundant. Nam Aug. Tertulliis non alium, quam hunc postremum errorem tribut.

SÆ-

SÆCULUM V.

§. I.

Abeliani, Pelagiani, Semipelagiani, Prædestinatiani.

1. ABeliani, sive Abeloitæ genus hominum fuit, teste Aug. (*c. 87.*) in agro Hipponensi, qui non miscebantur uxoribus; & eis tamen ex suæ sectæ decretis sine uxoribus vivere non licebat. Ita autem dicebantur, quoniam Abelum Adami Filium se imitari putabant, quem uxorem habuisse credebant, ea tamen usum non fuisse, quod nulla ejus filiorum mentio in Scripturis fiat.

2. Pelagius in Britania natus, atque in Syriam profectus, & Monasticam vitam professus, deinde Presbyter, ut scribit Augustinus, (*c. 88.*) vel ut aliis placet etiam Episcopus ordinatus errores suos disseminare cœpit. Innoc. I., & Theodosii Junioris ætate ann. circiter Christi 415., ob quos in Palæstina Synodo damnatus est. Usus deinde simulatione ab Synodo Diospolitana fuit absolutus anno 416. Quum tamen ab quibusdam Africanis Episcopis ad Innocentium Pontificem delatus fuisset, ab eo damnatus est. Pelagius ad Innocentium datis litteris se purgare conatus est cum Ecclesia Catholica sentire se simulans. Dein paulo post mortuo Innocentio Romam adiit. Zozimus Innocentii successor hæsitare visus est hominis fraudulentæ professione deceptus. Mox datis ad Africanos Episcopos litteris veritate comperta, Pelagium, Cœlestiumque ejus discipulum solenni edicto damnavit, quod idem in Conciliis Carthaginensi, Milevitano, Ephesino, & Arausicano factum est. Pugnarunt egregiè adversus Pelagium Hieronymus, Augustinus, Lupusque, & Germanus in Angliam missi, quo se post Rom. Pontificis sententiam Pelagius receperat. Negavit I. internæ gratiæ nobiscum cooperantis necessitatem ad salutaria opera, totam illorum facultatem uni libero arbitrio tribuens. II. Siquam admittebat gratiam, ea solum erat, quæ in lege, doctrina, & externa prædicatione, vel etiam quæ interius in visorum immissione, aut mentis illuminatione consistit, nec ad simpliciter, sed ad facilius posse, eamque ex meritis dari docebant, nec pro ea Deum orandum dicentes cum profano Poeta: Deus

Det vitam, det opes; æquum uni animum ipse parabo.

III. Mortem primi hominis non peccati originalis pœnam, sed meram naturæ conditionem, ac defectum fuisse. IV. Negabat origina-

lis

decim Capitulis Augustini doctrinam de Gratia, & Prædestinatione impugnavit, cui respondit S. Prosper, in eo, qui contra Vincentianas Objectiones inscribitur libro. De Vincentio autem harum objectionum authore magna est lis inter Criticos. Natalis cum Norisio eas tribuunt Vincentio Lirinensi viro disertissimo, qui aureum illud Commonitorium adversus Hæreseon novitates scripsit. Repugnant Baronius, & Gottius. Berninus Objectionum illarum authorem putat Vincentium a S. Victore, in quem Augustinus librum scripsit de Origine Animæ. Is profecto quum senescente jam Augustino, juvenis esset, potuit adhuc post Augustini obitum scribere eas, quibus Prosper respondet, Objectiones. Porro improbæ doctrinæ, ac libri authorem nescire ego malim, potius quam scire. Gennadius certe Massiliensis Semipelagianis favet, & Augustino, ubique infensior deprehenditur, quod item de Severo Sulpicio nonnulli putant, de quibus alibi. Nec mirum tot, tantosque viros aut ejus fuisse sententiæ, aut ejusdem insimulatos, quum Semipelagianismus usque ad Felicis IV. tempora, & Arausicanam secundam Synodum (*an. 529.*) bene notus, atque discussus, & proscriptus non fuerit, immo quum ad hæc usque tempora de vera Semipelagianismi indole multi dubitent.

6. Cœpit eodem ferme tempore quo Semipelagiana, Prædestinatianorum hæresis, si tamen hæresis potius quam privatus quorumdam error dicenda est. De hac re Sigebertus in Chronic. (*ad ann. 415.*) Asserebant, inquit, nonnulli, quod nec pie viventibus prosit bonorum operum labor, si ad mortem prædestinati sunt, nec impiis obsit quod improbè vivant, si a Deo prædestinati fuerant ad vitam. Hic error ex doctrina Augustini pravè intellecta originem habuisse quibusdam videtur. Authorem Sigebertus non prodidit. Jansenius nec hæresim, neque errorem fuisse putat, sed meram, puramque Augustini doctrinam, quam Faustus, & alii Semipelagiani, ut erroneam condemnabant. Sunt qui Lucidum Presbyterum a Fausto illo delatum, authorem assignent, de quo in 2. Arausicana Synodo. Jacobus Sirmondus in diss. adversus Jansenium existimat, primos eum errorem docuisse Adrumetinos in Africa Monachos, quos Augustinus ipse, deinde etiam Evodius ruprehendit. Natalis Alex. dissert. 5. ad sæc. 5. in prima, & secunda propositione benè probat Prædestinatianam hæresim neque apud Adrumetinos Africæ Monachos, neque vivente Augustino in Gallia ortum habuisse. In 3. fatetur dogmata illius sectæ convenire cum objectionibus, & calumniis, quibus Massilienses S. Augustini & discipulorum ejus doctrinam diffamarunt. In 4. probat contra Jansenium non fuisse imaginariam hæresim Prædestinatianam, & in ea vere fuisse Lucidum, quamvis paucos, aut nullos habuerit sectatores. Errorem hunc medio fere 9. sæculo rursus

revi-

revixisse visus est in Godescalco Monacho, & decimo quinto in Wicleffo, & Hussio, de quibus infra.

§. I.

Vigilantius, Theodorus Mopsuestenus, atque Nestorius.

1. Vigilantius, quem nonnulli Hispanum, Hieronymus autem (*Adv. Vigilant.*) & Gennadius (*De viris Illust. c. 35.*) Gallum fuisse scribunt, Ecclesiæ certè Barcinonensis Presbyter, in Palæstinam profectus familiari Hieronymi consuetudine est usus. Deinde in patriam redux Hieronymum ipsum Origenismi accusavit, ac deinde in apertos contra fidem errores prolapsus est. Docuit enim I. Martyrum reliquias veneratione dignas non esse, nec eorum cultum quicquam prodesse credentibus, nec ad eorum sepulchra vera unquam miracula facta fuisse. II. Sanctos in patria pro viatoribus non orare. III. Virginitatem, & Ecclesiasticorum continentiam, & Monasticam vitam damnabat. Contra hunc, quem sœpe Dormitantium appellat, multa scripsit Hieronymus.

2. Theodorus patria Antiochenus, quum prius Causidicum egisset, Joannis Chrysostomi, cujus condiscipulus fuisse dicitur, hortatu ad sacra studia se contulit, & Monasticam vitam professus est. E Cœnobio ob sacræ eruditionis præstantiam Mopsuestiæ Episcopus factus Apollinaris, atque Arii hæresim scriptis, & prædicatione confutavit. Postea tamen suo nimium indulgens ingenio in eum errorem incidit, ut diceret Filium Dei Deum Verbum, Filium David dici non posse nisi abusivè propter Dei Verbi templum, nimirum humanitatem, quæ est ex David, ut habetur in II. Constantinop. Synodo. (*collat. 4.*) Eam ob rem ab Episcopatu depositus, ejusque scripta in V. Oecumenica Synodo damnata sunt. Quod ad ipsum attinet, in dubio est an errore deposito in Ecclesiæ Catholicæ communione decesserit. Favere ipsi videtur Berninus, contra aliis pugnantibus quos sequitur Gottius Card. Theodoretus eum usque ad finem vitæ magnum Ecclesiæ Doctorem fuisse scribit, sed hunc sub Sozomeni nomine mendacii arguit Gregorius, ut alibi adnotavimus.

3. Nestorius natione Syrus prius ad lauram S. Euprepii prope Antiochiam Monasticam vitam professus, atque inde ob eximiæ sanctimoniæ famam ab Theodosio Imperatore ad Constantinopolitanam Sedem evocatus, primum quidem ardentius, quam par erat, in Hæreticos invectus, ut uni, inquit Lirinensis, (*In Comm. 1. n. 11.*) errori suo aditum patefaceret, cunctarum hæreseon blasphemias insectabatur. Præceptorem habuisse Theodorum Mopsuestenum nonnulli

nulli scripserunt, alii Leporium Monachum, cujus lapsus, & resipiscentia, atque abjuratio legitur apud Cassianum. (*de Incar. l. 1.*) Discipulos autem, atque adjutores habuit Nestorius Dorotheum quemdam Episcopum, & Anastasium Presbyterum. Ille plebi primum, & Monachis ob impiam doctrinam, & austeros mores exosus, ad Imperatorem, & Rom. Pontificem delatus, & in Romana, atque Alexandrina Synodo damnatus, quum neutri paruisset, tandem in Ephesina Oecumenica Synodo proscriptus est, ab Episcopatu depositus, & in Oasenam solitudinem relegatus suffecto in ejus locum Maximiano. (*Hæc quidem non in ipsa Synodo, sed in Collat. Chalcedon. facta sunt, acquiescente Theodosio, & Nestorius quidem per quadriennium ad S. Euprepii monasterium, unde exierat amandatus est. Vide quæ supr. in Cœlestino I.*)

4. Erravit autem Nestorius I. quod Incarnationem nihil aliud esse voluerit, quam inhabitationem Verbi in homine, sicut in domo, aut templo suo, hoc enim nomine Humanitatem appellabat, nulla intercedente hypostatica, aut personali unitione. Hinc II. quum duas in Christo personas distingueret, Mariam Virginem non Θεοτόκον, seu Deiparam, sed Χριστοτόκον, seu Christiparam, aut meri hominis matrem appellandam esse statuebat. Faverunt Nestorio præter alios obscurioris nominis Joann. Antiochenus, qui tamen postmodum ad concordiam cum Cœlestino, & Cyrillo rediit, Theodoretus Cyri Episcopus, & Ibas Syrus. Horum scripta nonnulla, simul cum libris Theodori Mopsuesteni occasio fuerunt controversiæ de tribus Capitulis, quæ postmodum in V. Synodo damnata sunt, de qua vide quæ supra in Vigilio. Hosius apud Berninum alium tribuit Nestorio errorem, quod nimirum dixerit Christum non æquè, atque integrè totum sub speciebus panis, & vini contineri, uec qui solum panem Eucharisticum sumpserit, totum Christum sumere, quod tamen apud nullum alium antiquiorum invenies.

§. III.

Eutyches, & ejus assecle.

1. Eutyches Presbyter, & Monasterii cujusdam Archimandrita, seu Prefectus, quum Nestorium, & suos acerrimè insectaretur in errorem huic oppositum prolapsus est, quod Dei incarnationem sicut personam, ita & naturam esse docuerit. Hunc ad Flavianum Constantinop. Patriarcham detulit Eusebius Dorilæus. Flavianus in Constantinop. Synodo Eutychem damnavit, graduque emovit. Inde Leone I. Pontifice certiore facto, Theodosius Aug. Concilium Ephe-
si

si congregari curavit, cui Dioscorum Alexandrinum præfecit. In hac Synodo, cui non immerito Latrocinii Ephesini nomen est inditum, Eutyches absolutus est, & in gradum pristinum restitutus; Eusebius, & Flavianus damnati, atque is pugnis, calcibus, fustibusque contusus, unde paulo post obiit: Pontificis Romani Legati in carcerem detrusi, unde profugus Hilarius Romam tandem rediit, & mox reliqui. Theodosio mortuo, atque Imperium tenente Marciano, Oecumenicum Chalcedonense Concilium habitum est, ubi iterum Eutyches damnatus, atque in solitudinem relegatus, absolutus Flavianus, Dioscorus depositus, & Gangram amandatus, depositi quoque omnes ejus in Pseudo-Synodo Ephesina fautores.

2. Dioscoro in Alexandrino Episcopatu Catholicorum Episcoporum sufragiis electus est Proterius; obnitentibus autem aliquibus, & plebem in ipsum excitantibus, schisma conflatum est diuturnum. Timotheus siquidem cognomento Ælurus, quum Monachorum plurimos, gentesque alias pro se stare fecisset, Alexandrinus Episcopus constitus est, Proterio crudeliter occiso, & cadavere per urbem raptato. His ad Leonem Pontificem perlatis ejus hortatu Marcianus Augustus Timotheum Alexandria expulit; atque in exilium misit substituto in sede Alexandrina Timotheo Salophaciolo. Deinde imperium invadente Basilisco, Ælurus restitutus est, Salophaciolo pulso, qui tamen Basilisco ab Zenone devicto, rursus Alexandrinam Sedem occupavit, Æluro ejecto. Hic porro quum res suas desperatas cerneret, mortem sibi veneno conscivit. (*Liber. in Brev. c. 16.*) Timotheus hic Ælurus Timotheanorum author fuit, qui Eutychiano errore novum addentes, Christi naturam ajebant apud Danæum, (*cap. 30,*) in utero Virginis, in tertiam quamdam naturam, velut massam conflatas esse, quæ nec divina proprie, nec humana dici potest. Hunc errorem denuo suscitavit postremis hisce sæculis Michael Servetus, de quo infra.

3. Ab Eutychiana quoque hæresi ortum traxit Acephalorum error. Acephali autem dicti sunt in urbe Alexandria nonnulli, qui seorsim a suo capite, Alexandrino Patriarcha (Petro Moggo) Ecclesiasticæ subjectionis excusso jugo, Chalcedonense Concilium, atque eos omnes, qui duas in Christo naturas profitebantur, damnabant. Horum primus author fuisse dicitur Severus Sozopoli in Pisidia natus ex Causidico Monachus, ob Eutychianam hæresim Monasterio pulsus, & imperante Anastasio in Antiochenam Sedem intrusus. Inde Severiani item dicti sunt, & Monophysitæ, quasi unius in Christo naturæ defensores, item dicti sunt Hæsitantes, quoniam cuicumque liberum esse dicebant, quam vellet fidem profiteri. Severus porro, ejusque errores sequenti sæculo ineunte in Concilio Constantinopolitano ann. 518.

518. damnati sunt, jussumque ab Justino Religiosissimo Imp. ut impio homini lingua amputaretur, quod ille supplicium fuga vitavit.

4. Ex eodem cœno prodiisse putat Gottius Cardin. (*De Vict.adv. hæres. c. 76.*) Corrupticolas, Phantasiastas, Agnoetas, & Tritheitas. Corrupticolæ dicti sunt, quod Christo Domino corpus tribuerent morti, & corruptioni de necessitate subjectum, sicut cæterorum hominum corpora, quibus in pœnam peccati originalis mors dominatur. Hujus erroris author fuisse dicitur Theodosius quidam Monachus. (*Bernin. hujus erroris authorem facit Gajanum Alexandrinum Episcopum.*) Huic ex diametro oppositus Julianus Halicarnasseus Christo corpus tribuebat natura incorruptibile, atque a cunctis physicis passionibus immune: nec cibum, aut potum verè sumpsisse, sed solum apparenter, aut phantasticè, unde Phantasiastarum nomen est derivatum. Agnoetæ, seu Latinè Ignorantes, dicti sunt ab eo, quem tuebantur, errore; Christum nimirum aliqua ignorasse, quod ipsum natura quadam humana superiorem, infra divinam tamen, quadam veluti mixtura constare cum Timotheanis censuerunt. Hujus erroris parentem fuisse ferunt Themistium Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconum. Tritheitæ Joannem Grammaticum Philoponum dictum habuerunt authorem, secta Eutychianum, patria Alexandrinum, qui Aristotelicæ Philosophiæ addictissimus, quum in Christo si essent duæ naturæ, duas quoque hypostases futuras argumentaretur, vi consequentiæ compulsus est dicere, quum tres sint in divinis hypostases, tres quoque esse naturas, atque ideo Deos tres. His omnibus coævus fuit Petrus Gnaphæus cognomento Fullo, Antiochenæ Sedis invasor, qui Teopaschitarum, aut Patripassianorum hæresim suscitavit, ut supra diximus, ex quo errore jussum, ut in Trisagio Constantinopoli, ac deinde in tota Ecclesia celeberrimo: Sanctus Deus, Sanctus Fortis, adderetur: qui crucifixus es pro nobis. Hic servum suum non adhuc baptizatum Hierapolitanum Episcopum consecrasse dicitur, addens consecrationem pro baptismo sufficere. Servus autem hic Xenaja nomine, mali corvi, malum ovum, Iconoclastarum sectæ prima semina jecisse dicitur a Baronio Cardin. (*ad ann. 485.*)

SÆ-

SÆCULUM VI.

§. UNIC.

Acœmetæ, Jacobitæ, aliique obscuriores Hæretici.

1. Acœmetæ Monachi magna quondam sanctitatis opinione clarissimi, quum in libro Procli Constantin. Patriarchæ eam propositionem legissent: unus de Trinitate crucifixus est, eam illico ut Hæreticam insectati sunt. Obstabant contra Scythiæ Monachi eam Catholicam esse propugnantes. Acœmetæ ad Hormisdam Papam rem detulerunt. Scythæ quoque Monachi Justiniani Imperatoris muniti litteris Romam adierunt. Dum res discutitur, Scythæ Roma aufugiunt. Quamobrem veluti in fide suspectis, & quadam Eutychiana fuligine tinctis, ea illis assertio interdicta est ab Hormisda Pontifice, & utrique parti silentium impositum. Recrudescente autem inter eosdem Monachos controversia Justinianus Aug. datis ad Joannem II. R. P. litteris, tres illi quæstiones explicandas proposuit, quarum illa prima est: Utrum unus de Trinitate Christus, & Deus noster dici possit? Cui Joannes: Unum de Trinitate Christum esse, hoc est, unam ex tribus Sanctissimæ Trinitatis personis. Deinde in Conc. Rom. Acœmetas Monachos ut Nestorianos damnat in ea, quam ad Senatores scripsit Epist. anno 534., non 554., ut est apud Gottium. Non est ergo, cur Joannem II. Hormisdæ contrarium in definiendo nobis opponant; Hormisdas enim non ut Hæreticos, sed ut superbos, pertinaces, seditiosos, & turbulentos rejecit, qui in publicis conventibus ad concussionem quietis circa Regum etiam Statuas conclamarent. Vide quæ diximus in Joanne II., & Natal. Alexandri diss. 2. ad 6. sæculum.

2. Eodem ferme tempore errores suos disseminare cœpit Jacobus genere Syrus, qui & Zanzalus propter corporis exiguitatem dictus est, quique Eutychetis, Dioscori, Gnaphæi, ac Severi dogmata, magnopere apud Syros propagare studuit. Quo Monophysitarum errorem prædicante, magnum exortum est dissidium. Nam qui rectæ sententiæ adhærebant, Melchitæ appellati sunt, quasi Regii, id est, Chalcedonensis Synodi, & Marciani Imperatoris Sectatores: qui contra stabant, Jacobitæ dicebantur. Hæc Nicephorus. (*l. 18. c. 47.*) Permanet hæc hæresis usque ad præsentem diem inter Syros, Armenos, Cophtos, Ægyptios, Æthiopesque, qui pristinis erroribus alios plures, & impiis opinionibus monstrosos quoque ritus adjunxerunt, de quibus fusè Barbatus in histor. Jacobitarum.

3. Fue-

3. Fuerunt & alii Eutychianæ hæreseos velut surculi, de quibus Nicephorus, (*l. 18. Hist. c. 49.*) ut Caucobalditæ, Angelitæ, Damianitæ, Tetratheitæ, Petreitæ &c. Hi tamen non novum aliquem infide errorem videntur addidisse, sed vel Eutychetis, vel Philoponi, aut Sabellii damnata dogmata suscitasse, aut ritus aliquos monstrosos, & superstitiosos immiscuisse. Tales sunt hi, quos Damascenus commemorat, I. Barsanuphitæ, Acephalorum genus, a Barsanupho quodam pseudo-Episcopo nomen sortiti, qui gustatam leviter extremo digito similæ farinam loco Communionis accipiebant. II. Heicetæ, sive Supplicantes, qui una cum sanctimonialibus in Monasteriis cœtus agentes, hymnos Deo cum chorea, & tripudiis canebant. III. Gnosimachi, sive scientiæ osores, qui sub specie solum divinis rebus, & contemplationi vacandi, scientiam omnem, artemque detestabantur. IV. Heliotropitæ, qui ejus nominis florem, velut divinum quoddam venerabantur. V. Tnetopsychitæ, ab errore dicti, quod animam cum corpore mori arbitrarentur. VI. Agonielitæ, quod genuflexo orantes damnarent. VII. Theocatagnostæ, quasi Dei reprehensores, & blasphemi. VIII. Christolytæ, quasi Christum solventes, quod relicta in terris humanitate, solam Divinitatem in cœlos ascendisse crederent. IX. Ethnophrones, quasi Ethnicè sapientes, qui Paganorum mores, atque instituta cum baptismo sociabant. X. Ethicoproscoptæ, qui Ethicam, sive morum philosophiam pravis opinionibus corrumpebant, quorum multa in hoc nostro sæculo habemus exempla. XI. Donatiani, (an Donatistæ?) qui os quoddam manu tenentes osculabantur, prius quam Eucharistiam sumerent, quod Lucillam illam facere solitam dicitur, a qua prima Donatistarum origo. XII. Parhermoncutæ, qui Scripturarum verum sensum sibi solis tributum esse jactabant. XIII. Lampetiani ab Lampetio quodam docente, unicuique licitum esse qua voluerit ratione Deum colere, nec illicitum esse naturalibus affectibus indulgere. Hæc Damascenus. (*l. de hæres.*)

SÆCULUM VII.

§. UNIC.

Monothelitæ.

1. ITA dicti quod *μόνον* in Christo *θέλημα*; sive unicam inesse dicerent voluntatem. Authorem habuisse videntur Athanasium Jacobitarum primum Patriarcham, mox ab Heraclio Imperat. ad Antiochenam sedem promotum. Alii authorem faciunt Sergium Con-

stantinopolitanum Patriarcham, cujus postmodum eo in negotio præcipuæ fuerunt partes. Hic enim datis ad Honorium R. Pontificem litteris, eum in sui erroris communionem trahere conatus est. Porro quum Sergius artificiosis vocibus, & Leonis magni, & aliorum verbis Patrum suæ assertionis venenum occultasset, essetque ad ea usque tempora incorruptæ vir fidei creditus, nil mirum si Honorius nil tale suspicatus, hominem laudavit, & quæstionem illam tanquam ad Grammaticos rejiciendam adspexit, ejusque petitioni in speciem Catholicæ, temporique opportunæ acquievit, de una, aut duabus voluntatibus silentium indicens. De Honorio vero alibi fusius dictum. Monothelismum in Synodo ad id congregata damnavit Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, qui & Honorium Pontificem per Stephanum admonuit, quo facto erubescens Heraclius Imp., quod se Hæreticis adnumeratum cerneret, Ecthesim suam, sive fidei expositionem edidit anno Christi 639., Honorio jam defuncto, atque in ejus locum substituto Severino, cui Isacius Exarcha Imperatoris jussu Ecthesim subscribendam obtulit. Ille Ecthesim, ejusque authores damnavit, anathemate indicto, atque eam ob rem urbe Roma ab Isacio vastata, præ mœrore, atque ægritudine non diu supervixit. Sergius item Constantinop. Patriarcha è vivis excessit, cujus sedem occupavit Pyrrhus ejusdem erroris fuligine tinctus, qui ob tumultum populi profugus in Africam trajecit. Ibi ab S. Maximo argumentis convictus, cum eodem Romam petiit, Papa sedente Theodoro, hæresimque abjuravit. Paulo ante Heraclius Ecthesim revocaverat, Sergii opus eam fuisse professus. Huic in imperio successit Constantinus; Constantino Heracleon; Heracleonti Constans, qui Pauli Patriarchæ hortatu novum edictum promulgavit, cui nomen Typus. Hunc Typum, & Paulum ejus authorem Theodorus in Romana Synodo damnavit, Pyrrhumque etiam juramenti sibi præstiti infractorem; qui Roma discedens, ait Theophanes, (*in Annal.*) quum Ravennam pervenisset, tanquam canis ad vomitum reversus est. Theodori sententiam confirmavit in Lateranensi Concilio successor ejus Martinus, uti supra. Inde Constantis odium in Martinum, gloriosumque ejus, & Maximi martyrium. Tandem Constante in Sicilia occiso, & imperium tenente Constantino Pogonato, sub Agathone Pontifice Sexta Synodus congregata Monothelismum radicitus extirpavit ann. Christi 681.

2. Eodem fere tempore error haud dissimilis Hispaniam infecit Juliani cujusdam, qui tres in Christo voluntates asserebat. Per Armeniam grassabantur Pauliciani, quoddam Manichæorum genus. Gottius, Danæusque his adnectunt Mahometum, ejusque sectatores. Quum autem Mahometani fere nullum Christianæ Religionis dogma tuean-

tur,

tur, non tam Hæretici, quam diversæ planè Religionis homines habendi sunt, sicut Pagani, & Judæi.

SÆCULUM VIII.

§. I.

Iconoclastæ, seu Iconomachi.

PRimus author ejus hæresis, quæ Christi, & Sanctorum imagines nullo cultu, immo execratione, atque odio prosequebatur servus ille fuisse dicitur, quem nondum baptizatum Petrus Gnaphæus Hierapolitanum Episcopum consecravit, Xenajæ nomine in Polyxenum mutato. Sed tamen ultra privati erroris limites tunc processisse non videtur. Ne tum quidem quando Jezidus Arabum Calipha, Judæi cujusdam, cui nomen Sarantapechis, hortatu, & promissis deceptus, sacras imagines in templis Christianorum repertas deleri, frangi, aut comburi jussit, Tetrius autem, & diuturnius bellum adversus easdem commovit Leo cognomento Isauricus ferro, & flammis armatus. His ad Gregorium Pontificem a Germano Constantin. Patriarcha delatis, ille Imperatorem quot potuit modis flectere, atque ab ea sententia removere studuit, quumque nihil proficeret, anathema in ipsum pronunciavit, clavibusque, & Petri catena ad Carolum Martellum Francorum Ducem missis, ejus auxilium adversus communem Ecclesiæ hostem Italiæ minitantem imploravit. Gregorii II. anathema confirmavit ejus successor Gregor. III.; Leo tamen usque ad mortem sua in hæresi, atque adversus Imaginum defensores sævitia permansit, cujus etiam hæredem reliquit Constantinum Copronymum. Hic coacta Synodo 338. Episcoporum, quam Septimam Oecumenicam ipsi appellabant, omnem Imaginum cultum abrogavit, pluresque Catholicæ veritatis defensores, Monachos præcipuè, Martyres fecit, quin Zachariæ, & reliquorum usque ad Paulum I. Pontificum admonitionibus ab incœpto desisteret. Hunc excepit Leo IV., qui tamen quum paternis vestigiis insisteret, morte sublatus est. Regnum ad Constantinum filium devolutum, atque Irenem matrem. His adnitentibus Nicææ Septima Oecumenica Synodus congregata est sub Adriano I. Pontifice, & Tharasio Patriarcha, ubi cultus imaginum restabilitus, & superiores omnes Hæretici proscripti, ac damnati ann. Christi 787.

§. II.

Clemens Scotus, Felix, atque Elipandus.

1. Clemens natione Scotus in Concilio Romano ann. 746. ab Zacharia Pontifice damnatus est, quod, ut ibi dicitur, Sanctorum Patrum authoritatem, & Synodorum acta contemneret, quod Judaismum induceret prædicans, posse Christianum fratris defuncti uxorem viduam ducere, insuper & Christum ad inferos descendentem pios æquè, atque impios liberasse. Annumerant hic nonnulli Adelbertum Gallum primum in Suessionensi Synodo a Bonifacio Moguntino Episcopo, moxque ab Zacharia in eodem Romano Concilio damnatum. Verum hic potius Hypocrita dicendus est quam Hæreticus, qui templa in suimet honorem exstruxerit, qui reculas suas, tanquam beati alicujus reliquias distribuerit, qui propriam vitam miraculis, ac revelationibus plenam scripserit.

2. Vixerunt quoque hoc sæculo Felix Urgelitanus in Hispania Episcopus, & Elipandus Toletanus, qui Christum, ut homo est, Filium Dei adoptivum, non naturalem esse scriptis libris multis asseruerunt. Coacta sunt adversus hunc errorem multa Concilia, Forojuliense, Ratisponense, in quo Felix errore suo coram Adriano abjurato ad suam sedem adire permissus est, Francofordiense, Romanum, Aquisgranense, in quo Felix in hæresim relapsus, & Alcuini argumentis convictus, iterum abjuravit. Rursus autem in errorem pristinum recidisse, atque in eo mortuum Agobardus (*In l. adv. Felicem cap. 9.*) existimat ex schedula quadam post mortem inter ejus adversaria reperta. Elipandum sincerius resipuisse nonnulli existimant. Divulgare errores suos cœpit Felix ann. circiter 791. Non desunt tamen Theologi, (*Scot. in 3. dist. 10. qu. unic. Durand. in 3. dis. 14. qu. 1.*) qui Felicem, atque Elipandum, non propter illam de adoptione sententiam, sed propter alios errores damnatos esse contendant, camque assertionem: Christus ut homo Filius Dei adoptivus est, non naturalis, sustineri posse statuant, ea tamen vulgo abstinendum. Et quidem alios quosdam Felicis, & Elipandi errores Agobardus in Annalibus commemorat, uti quod dixerint Christum nonnulla ignorasse, Dei Filium passum, & crucifixum dici non posse. Sunt & qui Iconoclastam Felicem faciant. Sed quidquid sit de his aliis erroribus certum est, eos propter adoptionis errorem damnatos esse. Id constat ex Can. 1. Conc. Francofordiensis, ibi: In primo Capitulorum actum est, de impia ac nefanda hæresi Elipandi, & Felicis, qui male sentientes in Dei filio asserebant adoptionem.

Hæc

Hæc igitur assertio hæretica est: Christus ut homo, filius Dei adoptivus est, non naturalis, quidquid illi dixerint Theologi ex ignoratione mysterii, ut suo loco probavimus, & dilucide explicat D. Thom. (*3. p. q. 23. art. 4.*)

3. Prædictis Hæreticis addit Gottius (*De vict. adv. hæres. c. 83.*) ex Prateolo Bagnolenses, obscurum quoddam Manichæorum genus, qui præter præcipuum Manichæorum errorem de gemino principio, addebant Christianis omnino interdictum esse jusjurandum, & in nullo casu licere.

SÆCULUM IX., ac X.

§. UNIC.

Sergius, Claudius, Gotteschalcus, Photius.

1. NOno ineunte sæculo annum circiter 810. Sergius quidam a fœmina Manichæa deceptus Tychichum se Pauli Apostoli discipulum, lucidumque sidus, & Paracletum vocans in nefanda erupit flagitia. Hinc duæ sectæ ortæ, Astachorum, sive Instabilium, qui Sergium, & Baanistarum, qui Baanem quendam sequebantur, quos omnes Michael Curopalates Orientis Imperator hortante Nicephoro Patriarcha capitali pœna mulctatos extinxit. Gottius, qui ex Petro Siculo, eorum flagitia describit, & Sergiotas appellat, particularem aliquem eorundem errorem non commemorat.

2. Eodem sæculo Claudius Hispanus, Felicis Urgelitani discipulus, Episcopus Taurinensis figuras omnes Dominicæ Crucis ab Ecclesiis submovit, Reliquiarum item venerationem, immo & Sanctorum invocationem abolere tentavit; concilio tamen Episcoporum damnatus obmutuit.

3. Prædestinatianam hæresim eodem sæculo Moguntiæ, atque alibi suscitasse dicitur Godeschalcus, aut Gotteschalchus in Diœcesi Suessionensi natus, & Orbacensis Monachus, qui è Monasterio irregulariter exiens, ait Hincmarus, (*l. de Prædest. Dei & lib. arbit. c. 2.*) peragratis regionibus plurimis Synodo Moguntina, & Rabano Archiepiscopo libellum sui erroris porrigens damnatus cum litteris Synodalibus ad Rhemensem Metropolitanum, (ipsum scilicet Hincmarum) remissus est. Hac in causa Ecclesia Gallicana duas in partes divisa est, aliis Episcopis Gotteschalcum accusantibus, aliis, quos inter S. Prudentius Trecensis, errorem quidem detestantibus, sed Gotteschalcum excusantibus. Accusantium præcipuus, & Judex ipse Hincmarus Rhemensis, pro eo sæculo non indoctus

quidem, sed turbulentus vir, ac litigiosus. Exstant de hac re Sirmondi, & Natalis Alexandri dissertationes. Huic postremo multa pro Gotteschalco opponit Constantinus Roncaglia in Scholiis. Roncagliæ respondit Franciscus Zacharias, harum facti quæstionum diligens indagator. Adhuc igitur sub judice lis est.

4. Ab Latina Ecclesia Græcam avulsit hoc sæculo teterrimum Schisma Photianum, a Photio ortum Constantinop. Sedis invasore, pulso Ignatio viro sanctissimo. Photius quidem in Synodo Oecumenica octava sub Adriano II. imperante Basilio damnatus, & in exilium missus est anno Christi 869. Post decennium Ignatio mortuo ab eodem Basilio revocatus, & authoritate Joann. VIII. R. P. in Patriarchali Sede collocatus est. Quum tamen rescissis octavæ Synodi decretis aliam ipse pseudosynodum, quam Oecumenicam dicebat, convocasset, Romani Pontificis authoritatem evertere tentasset, & Græcorum in Latinos odium impensissimè foveret, iterum est ab Joanne Pontifice damnatus, ac deinde imperante Leone ab Sede Constantinop. depositus, atque in Monasterium detrusus. Gravissimis flagitiis, hæresim adjunxit Græcorum quidem doctissimus, sed honoris cupidissimus, & hominum sceleratissimus, Photius. Duas enim unicuique hominum inesse animas docuit. Item Spiritum Sanctum a filio non procedere, quem errorem adhuc retinent Græci Schismatici. Item ob additionem: Filioque Symbolo factam ab Latinis, ajebat Rom. Pontificem Ecclesiæ Primatum amisisse.

4. Nonnullos sæculo decimo Theopaschitarum, & Antropomorphitarum errores suscitasse scribit Gottius, qui etiam Walfridum quendam animarum mortalitatem docuisse commemorat. Idem sicut Berninus, decimi sæculi hæreticis accenset Joannem Erigenam; sed immeritò. Non enim quisquis infide errat, hæreticus est dicendus, neque qui hæreticus, continuò Hæresiarcha.

SÆCULUM XI.

§. I.

Virgaldus, Gandulphus, Berengarius.

1. Virgaldus Grammaticus in urbe Ravenna magis insanus quam hæreticus Silvestro Pontifice, magis Virgilio, atque Horatio, quam Evangelio credens, in errores lapsus est gravissimos, unde a Petro Episcopo cum suis discipulis damnatus est. Leutardus quidam eodem sæculo in Gallia Iconomachorum hæresim cum hypocrisi, aliisque erroribus conjunxit. Inde quum plures quos deceperat, opera

ra Libuini Episcopi convictos, atque ad veram fidem conversos cerneret, præ desperatione in puteum se præcipitem dedit.

2. Infecit quoque Galliam, maxime autem Aurelianensem diœcesim hæresis alia, cujus duces Stephanus ejus Ecclesiæ Scholasticus, & Lisojus Canonicus Sanctæ Crucis, ab quibus quum seductus fuisset Heribertus quidam, is Areofasto patrono suo viro nobili, novam doctrinam communicare studuit, cujus hæc summa erat: Christum nec de Virgine natum fuisse, nec verè passum, aut mortuum: nullum esse Baptismi, aut Eucharistiæ Sacramentum: Sanctos invocandos non esse. Areofastus serpentis erroris Regem Robertum admonuit, qui Aurelianum profectus Lisojum, atque Stephanum errorem confessos, & in eo pertinaces capitali sententia mulctavit.

3. In Atrebatensi quoque Synodo anni 1025. damnata est, atque extincta prorsus nonnullorum hæresis, qui seducti a Gandulpho quodam Italo nullam Ecclesiasticam authoritatem, nullum Sacramentum admittebant, Nuptias damnabant, Crucis, & Sanctorum venerationem, Ecclesiasticum officium, templaque exsecrabantur, atque omne gratiæ supernaturalis auxilium negabant. Et quidem de Gandulpho quid actum fuerit, non liquet: ejus autem sectatores plerique ope Gerardi Cameracensis Episcopi in prædicta Synodo abjurato errore, rectam fidem amplexi sunt.

4. Berengarius patria Turonensis, Fulberti Carnotensis discipulus, & Archidiaconus Andegavensis realem Christi in Eucharistia præsentiam negavit annum circiter 1035. Ipsi in ejusmodi errore præter dictos Lisojum, & Gandulphum facem prætulerat Joannes Scotus dictus Erigena. In Berengarium scripsere viri multi, multaque habita fuerunt Concilia, de quibus alibi. Ille sæpius abjurato errore, sæpius in eundem relapsus, dubium reliquit an intra, an extra Ecclesiam diem objerit.

§. II.

Cerularius, Roscelinus, aliique ejusd. sæc. errores.

1. Sub Leone Nono Græci, qui sedente Joanne XIX. cum Latinis in concordiam redierant, rursum avulsi sunt procurante Michaele Cerulario, qui ex Monasterio, quo propter conjurationem in Michaelem Paphlagonium detrusus fuerat, ad Constantinopolitanum Patriarchatum promotus fuit. Quum autem Pontifex Alexio prædecessori suo Patriarchæ Oecumenici, sive universi Orbis titulum denegasset, quem sibi etiam arrogabat Cerularius, epistolam in Rom. Pontificem vulgavit convitiis pluribus, calumniisque refertam, in qua se novæ

Romæ universalem Patriarcham appellabat, & in Hæreticorum classem rejiciebat Latinos omnes, qui in azymo consecrarent, Sabbathum custodirent, atque a suffocatis non abstinerent. Leo IX. misso Constantinopolim Umberto Legato Cerularium ab Ecclesiæ communione semovit, annuente Imperatore, a quo etiam in exilium missus est, & in Synodo Romana damnatus. Nicetas porro Monachus, qui Cerularii jussu librum ediderat de Azymo, & Sabbatho, & Nuptiis Sacerdotum, Umberto disputante errorem abjuravit, librumque suum flammis tradidit.

2. Roscelinus Clericus Compiniacensis, professione Dialecticus, Petrique Abaelardi Magister, Tritheitarum partim, partim Patripassianorum errorem suscitavit, dicens apud Anselmum tres personas esse tres res, sicut sunt tres Angeli, & item vel Patrem, vel Spiritum Sanctum incarnatum vere dici posse, si usus admitteret. Eam ob rem in Synodo Suessionensi sub Rainaldo Rhemensi damnatus est, nisi errorem abjurasset, quod ille quidem præstitit, metuens ne tumultu populi opprimeretur. Inde tamen egressus ad vomitum rediit. Adversus hunc Anselmus de fide Trinitatis, & Verbi Incarnatione librum scripsit.

3. Italiam id temporis miserè lacerabant Simoniaci, & Nicolaitæ quam plurimi, qui Conciliorum multorum decretis, & Pontificum sanctionibus vix cohiberi, aut frœnari potuerint, aliorum Ecclesiasticorum, & quod gravius est, Ecclesiæ Prælatorum exemplo pessimo confirmati. Hos inter Tudeschinus, & Joann. Venetus apud Petrum Damianum, qui Ecclesiastica Beneficia, Abbatias, immo & Episcopatus emi, ac vendi posse quoad jus percipiendi temporales redditus turpiter docebant. Contra vero ex odio in Simoniacos, & conjugatos, aut concubinarios Clericos natus etiam est error aliorum, qui Ordines ab Simoniacis, aut conjugatis collatos, Missas, Sacramenta nullius valoris esse dicerent, & sic ordinatos iterum ordinari debere, quamvis circa id diversa tunc fuerint, nec postmodum omnino convenerint Theologorum placita. Incestuosi dicti sunt nonnulli eorum temporum Hæretici, qui in matrimoniis contrahendis non canonicas regulas, & gradus ab iis prohibitos, sed Juris Civilis statuta servanda esse docuerunt, quorum impietatem duabus in Synodis Romæ habitis Alexander II. coercuit, quin tamen, ut est apud Petrum Damianum, ex tot millibus unus ab infausti fœderis abominatione divulsus fuerit.

SÆ-

SÆCULUM XII.

§. I.

Bongomili, Petrobusiani, Arnaldistæ, atque Abaelardus.

1. HOC sæculo ineunte, inquit Zonaras, (*in annal.*) Bongomilorum secta nefaria exstitit, cujus author Basilius quidam professione Medicus, habitu Monachus, qui quum perniciosa dogmata per annos multos docuisset, urbem Regiam adiens Alexio Comneno Imperatori se ei credere simulanti doctrinam suam omnem aperuit. Imperatoris autem jussu, & urbis communi suffragio, in equestri theatro combustus est ann. 1118. Ejus errores plusquam viginti circa Trinitatem, Sacramenta, Sanctorum cultum, libros sacros, orationem, jejunia, dæmones recenset Euthymius, (*in Panoplia Annæ Comnenæ l. 15.*) & ex eo Natal. Alexander (*sæc. 12. c. 4.*) & Gottius. (*cap. 88.*)

2. Petrobusiani authorem habuerunt Petrum de Bruis primum Monachum, deinde Apostatam, qui in Diœcesi Arelatensi docere cœpit I. baptismum parvulis collatum nihil prodesse. II. Templa in Dei honorem exstrui non debere: III. Sacramentum Altaris nullum esse. IV. Crucem confringendam, non adorandam. V. Orationem, & bona quæcumque opera pro defunctis facta nihil eos juvare. Quum autem Arelate in foro Sancti Ægidii ingentem Crucium, & Sanctarum Reliquiarum acervum in ignem conjecisset, zelus fidelium, inquit Petrus Cluniacensis, (*Epist. 2. adv. Petrobusianos.*) injuriam Cruci illatam, eum concremando ultus est. Inter ejus discipulos primum obtinuit locum Henricus quidam, qui apud Bernardum Monastico habitu relicto ad sæculum reversus est, succinctis lumbis mendicans, & Evangelium in sumptu ponens. Frequenter tamen post diurnum populi plausum nocte insequuta cum meretricibus inventus est Prædicator insignis, & interdum cum conjugatis. Hæc Bernardus. (*Epist. 241. ad Ildephons. Comitem.*) Henricus hic ab Hildeberto Cenomanensi Episcopo, qui hominem ignorabat, benignè susceptus, eo Romæ absente, Diœcesim pessima sua doctrina corrupit, atque inde ejectus, mox Tolosanam, quò tamen ab Eugenio III. missus cum Alberico Cardinali Bernardus, utilissimis laboribus, errantes plures ad sanam fidem revocavit. Tandem impius ille captus, & vinctus, inquit Gaufridus (*l. 3. de vita S. Bernardi c. 6.*) Episcopo traditus est, tetroque in carcere vitam finiisse satis apparet verisimile, quamvis neque Gaufridus author coævus, nec alius quisquam de

ipsius

ipsius morte mentionem fecerit. Contigerunt hæc annum circiter 1147.

3. Arnaldus Brixiæ in Italia natus, & ejusdem Ecclesiæ Clericus, Petrum Abaelardum habuit in Gallia Præceptorem, apud Othonem Frisingensem. (*l. 12. de rebus gestis Friderici Imp. cap. 20.*) In patriam reversus Monachalem vestem induit, quò plures deciperet. Dein docere cœpit nec Clericos proprium, neque Episcopos regalia, nec Monachos possessiones habentes aliqua posse ratione salvari. Omnia ista Principis esse, ejusque beneficentia in usum tantum Laicorum cedere oportere. Præterea de Eucharistia, & baptismo parvulorum malè sentire videbatur. Itaque ab Episcopo Brixiensi accusatus, in Concilio Romano sub Innocentio habito damnatus est, & silere jussus. Ea propter Italia relicta ad Transalpinas regiones se contulit, ibique in Alemaniæ oppido Turego doctorem agens perniciosum dogma seminavit. Postmodum sedente Eugenio urbem adiit, quam quum adversus Pontificem in seditionem propensam invenisset, eam magis excitavit, & latam contra se pastorum sententiam tanquam omni authoritate vacuam contempsit. Demum in Thusciæ finibus captus, ab Urbis Præfecto ligno adactus est, & cineres ne ab stolida plebe in veneratione haberetur, in Tyberim projecti.

4. Abaelardus Petrus, inquit laudatus Otho Frisingensis, (*Ib. c. 47.*) in Britania minore natus Roscelinum habuit Magistrum, de quo supra. Inde Lutetiam Parisiorum adiit, ubi occasione satis decantata non bene tractatus, ad S. Dionysii Monasterium cucullum induit. Ibi quum de aliis, tum præcipuè de Trinitate errare cœpit, quasi tres personas permiscens, & confundens, ex quo in Suessionensi Synodo tanquam Sabellianus judicatus, & quos ediderat libros propria manu comburere compulsus est ann. 1120. Quum autem ab ejus Synodi judicio appellasset, & 20. fermè annos eadem docendo, & scribendo persisteret, rursum in Sononens. Concilio Ludovico Rege, & ipso Abaelardo presentibus, atque ipsi purgandi sese copia facta, capita ex ejus libris excerpta sunt nonnulla, quæ dum discutiuntur, Concilio se subduxit Rom. Pont. appellans. Quum vero Innoc. Pontifex universos ejus errores cum authore damnasset, eique tanquam hæretico silentium imposuisset, Petrus ad Cluniacense Monasterium se contulit, & pro se Apologeticon scripsit, partim verba, ex toto autem sensum negans. Interea, inquit Petrus Cluniacensis, (*ep. ad Innoc. II.*) a nobis admonitus, magis autem a Deo inspiratus dimissis scholarum, & quæstionum tumultibus, atque insignia humilitatis, & pœnitentiæ exhibens exempla, Cabilonem valetudinis causa missus pie obiit an. 1142. Singulares Petri errores, & quibus concepti verbis exponit Natal. Alex., & alii.

§. II.

§. II.

Gilbertus Porretanus, Eon, Folmanus, & Waldenses.

1. Primus ille Pictaviensis fuit Episcopus. Hic vitæ sanctimonia & doctrina alioqui clarus, accusatus ab Archidiaconis suis Arnaldo, & Calone, in Parisiensi Synodo fidei suæ coram Eugenio Pontifice rationem reddere coactus est. Ajebat enim divinam Essentiam non esse Deum, nec proprietates Personarum esse personas: Divinam naturam incarnatam non esse: neminem mereri, nisi Christum: neminem baptizari, nisi salvandum. Dilata sententia usque ad Rhemense Concilium, quum Gilbertus professus esset se Ecclesiæ sanctæ arbitrio opinionem suam correcturum, errores illi quidem damnati sunt; Episcopus vero, inquit Otho Frisingensis, (*lib. 1. cap. 58.*) Summi Pontificis sententiam reverenter excipiens cum Ordinis integritate, & honoris plenitudine ad propriam sedem remeavit.

2. In Rhemensi quoq. Concilio comparuit coram Eugenio Eon, sive Eudo de Stella, natione Brito, qui apud Othonem eumdem, (*Ib. Cap. 54.*) quum filium Dei se nominaret, multam post se rudis populi partem traxit præstigiis, & magicis operationibus deceptam. Is a Concilio, quisnam esset interrogatus. Ego sum inquit, qui judicaturus est vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. In custodiam igitur ductus paulo post impœnitens vivere desiit. Ejus discipuli plures ardere magis, quam corrigi maluerunt, inquit Willielm., (*de reb. Ang. lib. 1. c. 19.*) apud quem istorum dementiæ, potius quam errores legi possunt.

3. Folmarus Triffensteinus, seu Petræstillantis prope Herbipolim Præpositus circa Altaris Sacramentum erravit, quod doceret in Calice carne sublata sanguinem poni; sub panis autem specie carnem sine ossibus, aut membrorum divisione vi verborum constitui. Retractavit vero eum errorem in Ep. ad Episcopos Austriæ, & Bavariæ, ubi illud dictum præclare, ac sapienter: Non enim in quæstionibus, & articulis fidei pudor est, vel ab hoste doceri, ubi nemo debet naturam sequi, & sensum quasi ex ratione defendere, siquidem naturæ usum, & rationis limites, & Physicas, sive Logicas facultates fidei majestas excedit. Atque ideo, ubi fides quæritur, argumenta non valent.

4. Waldenses, qui & pauperes de Lugduno, Humiliati, & sexcentis aliis nominibus appellati sunt, in Gallia orti, Petrum Waldum Mercatorem Lugdunensem erroris, & nominis authorem habuerunt circa ann. Chr. 1160. Is quum bona sua omnia pauperibus distribuisset,

set, ingentem eorum multitudinem sibi devinxit, quibus Scripturas explicans, & vivendi regulas non sanas præscribens, quum ab Ecclesiæ Prælatis corriperetur, furere in eos cœpit, & in Ecclesiam, Pontificem, Prælatos, Sacramenta, Altaria, Scripturas, sanctaque omnia debacchari, ut ejus hæresis reliquarum omnium sentina non immerito dici queat. Et primo quidem dicebant veram Ecclesiam sub Silvestro defecisse: quæ tunc exstaret, esse Ecclesiam malignantium, & meretricem magnam, de qua in Apocalypsi. II. Papam omnium errantium Caput, Prælatos Scribas, Monachos Pharisæos vocabant. III. Ecclesiæ decimas, Clericis possessiones adimebant. IV. Indulgentias, sacros ritus, SS. invocationem, Purgatorium, Transubstantiationem, Baptisma Parvulorum detestabantur. V. Ecclesiasticorum continentiam damnabant. VI. Matrimonium, Confirmationem, unctionem Extremam, atque ordinem non adnumerabant Sacramentis, & quemcumque fidelem Sacerdotem esse dicebant. VII. Traditioni, & Patribus authoritatem omnem negabant. VIII. Jejunium Ecclesiasticum superstitiosum esse docebant, & omnia peccata esse mortalia.

5. Hæc quidem in communi Waldenses, non tamen omnes omnia. Fuerunt namque multæ eorum sectæ, quarum diversos errores, ac nomina recenset ex Rainerio Gottius Card. (*De Vict. adv. hær. Cap. 93.*) & alii. Hos inter ii fuisse videntur, qui dicebantur Apostolici, quod nudis pedibus incedentes, & emendicato victu, Apostolorum vitam imitari gloriabantur, nuptias damnantes, sed cum mulierculis cohabitantes, a carnibus animalium abstinentes. Catholicos irridebant, inquit Bernardus (*Serm.* 66.) quod infantes baptizarent, quod orarent pro mortuis, quod Sanctorum suffragia postularent. Quum autem, ut plurimum, rusticani homines essent, atque idiotæ, & prorsus contemptibiles, nec rationibus persuasi, quas non intelligerent, nec authoritatibus correpti, quas non reciperent, non modo patienter, sed etiam læti, ut videbatur, ducebantur ad supplicium, ut mortis contemptum, quem in Martyribus Pietas, in his cordis duritia operaretur. Hæc, & alia multa Bernardus. Damnati sunt errores Waldensium in Conc. Turonensi ann. 1163. & in Lateran. anno 1179.

SÆ-

SÆCULUM XIII.

§. I.

De Albigensibus, Almarico, Joachimo, & Evangelio æterno.

1. ALbigenses Waldensium soboles, qui & Boni homines dici voluerunt, ineunte sæculo decimotertio, Tolosæ, & finitimis in locis degebant sub Raimundi precipue Tolosani Comitis patrocinio. Præter communes Waldensium errores, duos etiam statuebant Creatores, bonum, & malum, & primum quidem uxoratum, cujus uxores fuerint Colla, & Collyba. II. Christum nunquam corporali præsentia in terris eumque qui crucifixus est, fuisse Pseudo Christum, cujus Maria Magdalena concubina fuerit. III. Patriarchas fuisse omnes veteris Testamenti damnatos. Uno verbo toti fidei Romanæ Ecclesiæ, sectatores suos renuntiare cogebant. Quum autem urbes multas, non solum corrupissent erroribus, sed armis etiam occupassent, ann. 1210. bellum sacrum adversus eosdem indictum est ab Innoc. III. & ipsi in Concilio Lateran. IV. solemni decreto damnati sunt.

2. In eadem Synodo proscripti fuerunt Almaricus, & Joachimi Abbatis, & Davidis Dinantii, aut de Dinando libri. Almaricus, ut est apud Armoricum (*Hist. de vit., & gest. Filip. Aug. an. 1209.*) de territorio Carnotensi Benavilla natus, ausus est dicere quemlibet Christianum esse membrum Christi naturale, & ita credere oportere. Hunc errorem quum retractare compulsus fuisset, præ tedio, atque animi ægritudine vivere desiit. Ejus porro discipuli monstrosas alias sustinuerunt opiniones; Deum non minus in Aristotele, aut Ovidio, quam in Prophetis, & Patribus fuisse loquutum. II. Eucharistiam, Resurrectionem, Paradisum, Inferos, Sanctorum invocationem, Imaginum cultum meras esse nugas. III. Deum esse Essentiam omnium creaturarum, & finem ultimum dici, quoniam in ipsum omnia refundenda, & transmutanda sunt, & tanquam unum individuum, & incommutabile in eo permansura.

3. Joachimus Abbas Monasterii Florensis in Calabria, quum Petri Lombardi, qui Magister Sententiarum dictus est, explicationem quamdam circa Trinitatem impugnare aggressus esset, utpote in subtilioribus fidei dogmatibus rudis, ut ab D. Thoma (*Opusc. 24.*) appellatur, docuit in Divinis non esse rem unam quæ sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sive res illa dicatur substantia, sive Essentia, aut Natura. Ita D. Thom. Sunt & alij Joachimo attributi errores,

qui

qui tamen non nisi ex male intellectis rudibus ejus scriptis postea prodierunt.

4. David Dinantius, aut Diantius, aut de Dinando Almarici sectator Deum rerum omnium materiam, & substantiam esse dixit, cujus propterea liber flammis est traditus. Eum tamen errorem postmodum suscitavit Spinosa.

5. In Concilio Arelatensi ann. 1260. damnatus est liber Anonymus, cui titulus Evangelium æternum, sive Spiritus Sancti, cujus hæc erat doctrinæ summa, ut ex ipsa Synodo habetur. Tres esse status hominum Deo acceptos: primum conjugatorum in veteri Testamento, secundum Clericorum sub lege Christi, tertium Monachorum in lege Spiritus Sancti quæ succedere debet legi Christi, sicut lex Christi successit Legi Moisis: hujus tertiæ legis authorem esse Spiritum Sanctum, sicut Legis Gratiæ author est filius, & Legis Mosaicæ Pater. In prima Moisis vixisse homines secundum carnem: in 2 media quadam via inter carnem, & Spiritum: in 3 perfectè secundum spiritum. Hujus libri authorem nonnulli credunt ipsum Joachimum Abbatem, alii Joannem de Parma ex Ordine Minorum, qui tamen in Thuscia interrogatus, innocens repertus est, nisi quod Joachimi opinionibus, & scriptis plus justo addictus videretur. Ex eodem autem ordine fratres nonnulli errori pertinaciter adhærentes in carceribus obierunt. Joannes Parmensis, vita, doctrina, & miraculis clarus, Camerini, & alibi, ut beatus colitur. Gottius Card. (*de Victor. advers. hæres. c. 95.*) existimat Evangelii authorem fuisse aliquem Almarici discipulum, aut Almaricum ipsum. Mirè enim utriusque errores conveniunt.

§. II.

Stadinghi, Circumcelliones, Flagellantes.

1. Stadinghi ab Staden Germaniæ urbe nomen traxerunt, unde orti ann. circiter 1234. Occasio fuisse dicitur ira cujusdam viri nobilis, cujus uxori Presbyter pro Paschali communione parvum numisma ab ipsa prius oblatum quasi per contemptum ori ingesserat. Inde Presbyteri cœdes, & in Ecclesiasticos omnes vilissimorum homuncionum ab nobili illo excitatorum tumultus, atque indignatio, ex qua demum populi substractio a divinis omnibus, atque hæresis æffrenatissima. Ut enim ex Joanne Leidiensi scribit Spondanus, (*In Annal.*) præter alia scelera, propriarum sororum, & matrum etiam coitu polluebantur: reversi etiam ad Idola vana contemnebant jussa Pontificum, immo Gerardum Legatum cum Conrado ex ord. Prædicato-

rum

rum ad ipsorum reductionem missos contumeliis affectos occiderunt. Ea propter indicta fuit a Gregorio IX. Sacra in ipsos expeditio, in qua ad sex millia pugnantes cæsi sunt, alii partim immersi flumine, partim dispersi.

2. Circumcelliones turbulentorum, & factiosorum hominum genus, Waldensium soboles in Svvevia surrexerunt circa annum D. 1249. Hi ut Federici, & Conradi Impp. gratiam captarent, conviciis atque omnis generis calumniis Romanum Pontificem, cui authoritatem omnem adimebant, & Ecclesiasticos omnes prosequebantur. Brevi tamen & Federico, & Conrado mortuis, Catholicisque Prædicatoribus undique personantibus, dissipati sunt.

3. Flagellantium secta quem habuerit authorem, nicertum est; Perusiæ orta fuisse dicitur, dein Romæ innotuisse circiter annum 1260 quum occasione scelerum, & impietatum tempore belli ab Imp. Federico in Rom. Pontificem gesti commissorum internus quidam horror, & divinæ indignationis metus hominum animos invasisset. Indiscreta autem pœnitentia cito in hypocrisim, atque hæc, ut fieri solet, in hæresim desiit. Ajebant enim neminem, nisi suæ sectæ nomen daret, a peccato ullo absolvi posse: inter sese autem audita confessione, etiam Laici absolvebant. Eam sectam professi, bini, & bini ab umbilico sursum nudis corporibus procedebant seipsos flagellantes, & divinam implorantes clementiam. Revixit hæc hæresis circa annum Ch. 1349. in Hungaria, & Germania authore Conrado Schemedio fabro in Thuringiæ oppido Sangeshusen cum majori tamen errorum accessione. Ajebant enim flagellationem pro Pœnitentiæ, immo & Baptismi sacramento esse, ceteraque omnia sicut & Sacerdotium, templa, ritusque Ecclesiæ omnes ipsis advenientibus desiisse, atque a Deo fuisse reprobatos, sicut per legem Gratiæ, legis Mosaicæ ritus erant aboliti. Horum audaciam, atque impietatem edita constitutione damnavit Clem. VI.

§. III.

Fratricelli.

1. Qui & fratres de paupere vita, & ordinis Apostolici seipsos appellabant, in partibus Italiæ orti sunt, vitamque Apostolicam, & primitivam *S.* Francisci regulam se sequi gloriantes, ajebant I Ecclesiam aliam esse carnalem, cui summus Pontifex præerat, aliam Spiritualem, ex qua ipsi essent. II. Sacerdotes omnes, & Ecclesiæ ministros nulla fungi authoritate. III. Omne omnino juramentum esse illicitum. IV. Sacerdotem in peccato existentem non consecrare.

V. Evan-

V. Evangelium Christi ad ea usque tempora contemptum, atque abjectum se solos implevisse. His plura alia addebant in Sacramentum Matrimonii, & quædam de Cursu temporum, fine sæculi, atque adventu Antichristi somnia, quæ omnia, inquit Joann. XXII. in const. contra ipsos edita, quia partim hæretica, partim vana, & fabulosa esse cognoscimus, damnanda potius cum suis authoribus, quam refellenda, aut exponenda sunt.

2. Quisnam Fraticellorum author fuerit, in dubio est. Petrum Joannem Olivium ex Ord. Minorum, nonnulli existimant, quem Fratricelli, Beguardique ipsorum surculus, ut Patriarcham colebant. Et quidem ex Olivii in Apocalypsim Commentariis errores multos de hominum doctissimorum judicio damnavit Joannes XXII, ossaque ejus exhumata comburi jussit, quamvis ejus causam Wading. in Annalibus sui ordinis, aliique tueantur. Alii, ut Isidorus in vita Bonifacii VIII. hujus sectæ authores faciunt Petrum de Macerata, & Petrum Forosemproniensem, quibus petentibus Eremiticè vivere ut B. Francisci regulam ad litteram servarent, Cælestinus V. inquit citatus author, pura sua, sed periculosa simplicitate concessit. His plures adhæserunt diversorum ordinum, & Franciscani præcipuè Apostatæ. Fratricellis errores alios, & obscœnitates flagitiosissimas tribuunt Guido Perpinianus, (*Summa de hæres.*) & Trithemius, (*Cronic. Hirsaugien. Tom. 2. pag. 74.*) qui tamen Beguardos ex eis natos cum Fratricellis confundere videntur.

3. Extitit iisdem hisce temporibus Guillielmus a Sancto Amore Doct. Parisiensis, qui in eo quem scripsit de periculis novissimorum temporum libro, aliisque in suis operibus, Mendicantium Ordines præcipuè autem prædicatorum, & Minorum voluntariam paupertatem, institutum, & Privilegia insectabatur. Librum cum authore Alex. IV, Urba nus IV, aliique usque ad Joann. XXII. Pontifices damnarunt. Guillielmo accesserunt Desiderius Longobardus, & Joann. de Poliaco, quos omnes D. Thom., & Bonav. egregiis lucubrationibus confutarunt. Et postremus quidem quum Avenione errorem retractaverit, Hæreticis adnumerandus non est. Desiderium defendere conatur Natal. Alex. D. Thom. autem (*Opusc. 19.*) Hæresiarcham ipsum, nedum Hæreticum appellavit, omnium alioqui Theologorum modestissimus.

SÆ-

SECULUM XIV.

§. I.

Beguardi, Beguinæ, ac Dulcinistæ

1. BEguardi, & Beguinæ Fratricellorum proles, matre nequam filia nequior authorem habuisse videtur Hermannum Pongilupum, cujus ante annos triginta mortui cadaver Bonifac. VIII. exhumari, & comburi jussit. Hujus, & suorum turpia conventicula, & promiscuam libidinem narrat Trithemius (*Cronic. Hirfaugiensi Tomo* 2.) Hermanno successit Gerardus Segarellus Parmensis, quem Duplessius (*T. 1. de novis error. pag. 171.*) Parisiensem Doctorem facit, alii rudem, atque illiteratum fuisse dicunt. Tria illa regna distinguebat Patris in Lege veteri; Filii ad sua usque tempora, in quibus Sp. S. regnum incœpit, in quo omnia voluit esse communia, etiam uxores, & omnia quæque turpissima, dummodo ex charitate fierent, peccatum non esse docuit.

2. Hujus, anno 1300. combusti auditor fuit Dulcinus, qui cum Margarita scorto, aliisque multis suæ sectæ gentibus in Alpina expeditione a Clem. V. adversus eos indicta captus, eundem habuit exitum anno 1308. Inter eosdem recentiores Gnosticos magni fuerunt nominis Jacobus Justus, & Bogonates, quos Berninus Beguardorum authores nominat, de quibus tamen præter nomen, nihil aliud promit. Beguardorum hos errores recenset, damnatque Clem. V. in edita contra eos constit. quæ habetur in cap. Nos trum de Hæret. I. Hominem in hac vita posse fieri impeccabilem, sive qui peccare nullo modo possit. II. hujusmodi perfectos nulli potestati subesse. III. Beatitudinem perfectam in hac vita obtineri posse. IV. immo omnem naturam intellectivam esse in se naturaliter beatam; nec supernaturali aliquo lumine ad Deum videndum indigere. V. Carnalem quamvis copulam, quum sit secundum naturam, peccatum non esse. VI. Virtutum exercitationem imperfectorum esse, itemque Eucharistiæ cultum, & Passionis Domini, aut quorumcumque aliorum infra Divinitatem meditationem.

§. II.

Arnaldus, Lothardi, Asculanus, Ekardus, Marsilius, Jandunus, & Palamitæ.

1. Arnaldus de Villanova natione Hispanus, professione Medicus, & non ignobilis Philosophus circa ann. Dom. 1320. Parisiis errores suos vulgare cæpit, inquit Longius, (*Cronoc. Citizensi*) edito libro de speculatione adventus Christi, in quo, præter alia, docebat humanitatem verbi esse per omnia Divinitati æqualem. II. In omnibus Ecclesiæ membris Apostasiam regnare. III. Sacrificium Altaris nihil prodesse. IV. Deum non comminari damnationem peccantibus, nisi cum aliorum scandalo. V. Ad annum 1336. Christum ad judicium venturum. Quum autem Parisiis pro Hæretico haberetur, fugit in Siciliam, ex qua ad Clem. V. a Rege Friderico orator missus, in mari decessit, quum tamen errores suos retractasset, ut ex M. S. Avenione reperto ann. 1549. probat Rainaldus.

2. Walterus natione Hatandinus, Fratricellorum Princeps, inquit Hocfemius, per Hamoniam, & Brabantiam multos decepit, unde Girovagi quidam hypocritæ, qui Lothardi, sive Deum laudantes dicebantur ann. circiter 1315. orti sunt. Walterus porro quum Latinè nesciret, Theutonico idiomate plures libellos scripsit, in quibus I. Dæmonem injuria cœlo pulsum effutiebat. II. Sacramenta omnia negabat. III. Deum nec punire, nec scire quidem quæ in subterraneis fiunt. IV. Deiparam, si virgo permansit, Angelum peperisse. V. Ecclesiam, jejunium, Festa, Sanctorum invocationem tollebat. Hæc fusè prosequitur Trithemius. Porro quum plusquam 8000. per Austriam, & Bohemiam Sectatores haberet homo deterrimus, Coloniæ combustus est, sicut postmodum discipulorum suorum plurimi.

3. Franciscus Stabili Ceccus Asculanus dictus Caroli Calabriæ Ducis Astrologus, & Joannis XXII. Rom. Pontificis Medicus fuit. Bononiæ accusatus est quod siderum influxui humana omnia, immo Christi Domini ortum, vitamque tribueret, quodque apud ipsum, Dæmones quidam, quos primæ Sphœræ dicebant, & excantari, & mira edere dicerentur; innocens tamen, cognita accusatoris nequitia repertus est. Deinde vero Florentiæ Inquisitoris Minoritæ sententia flammis est traditus. Porro errores de quibus Bononiæ accusatus fuerat, eum non docuisse constat ex ejusdem libro de Sphœr. c. 2., & 4., tum ex ejusdem libri clausula, qua se, suaque scripta omnia Rom. Ecclesiæ correctioni submittit. Hæreticus igitur non est habendus.

4. Erravit item in pluribus gravissimè Ekardus quidam Germanus

ex Ordine Prædic., cujus sententias recenset in quadam sua Epistola Joann. XXII., adjuncta tamen earum retractatione. Ubi Catholicè scripsit, inquit Trithem., (*l. de Script. Ecc.*) satis profunda, atque utilia dogmata edidit.

5. Damnavit quoque prælaudatus Pontifex Marsilii Patavini, & Joannis Janduni Perusini librum, qui Defensor Pacis inscribitur, in quo Ludovici Bavari adulatores turpissimi asserebant Christum de necessitate Augusto, ac Tiberio fuisse subditum, & tributum pendisse. II. In cœlum abeuntem, nullum in terris, Ecclesiæ caput reliquisse. III. Presbyteros, & Episcopos, & Papam jurisdictione pares esse. IV. Imperatorem posse Papam instituere, deponere &c. V. Ecclesiam non habere vim coactivam, nisi de Principum sæcularium consensu, & privilegio.

6. Palamitæ authorem habuerunt Gregorium Palamam natione Græcum, professione Monachum, ac deinde Episcopum Thessalonicensem circa ann. Christi 1330. Ipso autem doctore Monachi orantes depresso, ac versus umbilicum detorto capite, supernum quoddam lumen se videre jactabant, ei similem quem in Thabore Apostoli conspexerant. Huic insaniæ errores admiscebant substantiam ipsam Dei, seu quid Deus sit, a nullo Angelico, aut humano intellectu videri posse. II. Lumen illud in Thabore visum, quoque justi in cœlis beantur, esse quidem increatum quid, ac divinum, ab Dei tamen substantia distinctum. III. Errabant, quod increatum, ac divinum lumen, quo justi beantur, carneis oculis conspici posse docebant. Palamæ acerrimus impugnator fuit Barlaamus, & ipse Monachus, nec erroris omnino expers, dum virtutem divinam quicquam esse asseruit a Deo distinctum, de quibus videndus Petavius (*cap. 12.*) Theolog. Dogmatum lib. 1.

7. His addunt plures Dominicum Savium Asculanum ex impura Flagellantium secta, Joannem de Mercuria Cisterciensem, Nicolaum de Ultricuria, Ludovicum Guidonem Augustinianum, quorum primus pertinax truncato capite occubuit; reliqui errores suos a Parisiensi Facultate damnatos retractarunt. Notandum vero Parisiensem Facultatem plures inter Theologicos errores, nonnullas etiam Philosophicas opiniones damnasse, quæ hodierna die summo plausu, ac Sapientum consensione docentur.

8. Damnatus etiam fuit eodem sæculo, nimirum an. 1356. Spiræ Bertholdus Rorbarchus Germanus, qui ad reliquos Beguardorum errores addidit Christum in Cruce de sua salute fermè desperasse, & matri maledixisse. Beguardorum sectam apud Allobroges suscitarunt deinde quidam, quibus Turlupinorum nomen est impositum, aut Sodalitas pauperum, qui & nudi incedere, & libidinem palam more

re canum exercere non erubescebant, uti Prateolus (*Catal. hæres.*) scribit. Omitto Martinum Consalvum Hispanum, Nicolaum Calabrum, Berengarium de Montefalcone Cisterciensem, Bartholomæum Janovezium, & alios multos particularium quorundam errorum privatos artifices, potius quam hæresiarchas, neque hoc nomen ullomodo tribui posse crediderim Raimundo Lullio. Quamvis enim multæ fuerint in ejus libris damnatæ sententiæ ab Greg. XI.; ipse tamen, quidquid de ejus vita, & sanctitate sit, aut martyrio, Catholicæ certè fidei addictissimus fuisse videtur, suaque scripta omnia Rom. Ecclesiæ judicio supposuisse. Lullistæ ab eo dicti sunt, ipsius sectatores qui eum Spiritu divino afflatum, & Aug., atque aliis antiquis Doctoribus præferendum effutiebant, de quibus videnda quæ ex Wadingo, & Natali Alexandro dicemus in prolegomeno tertio.

9. Fuit alter Raimundus ex Ord. Prædicatorum Tarraga dictus, ex Judaismo ad fidem conversus, quam multis, & gravissimis erroribus corrupit, ob quos ejus libri jussu Gregor. XI. flammis traditi sunt, quos de Invocatione Dæmonum, de Alchymia, ac de Naturæ secretis scripserat. Ipse autem an resipuerit, an in suis erroribus objerit, incertum mihi est.

§. III.

Wichleffus, & Sui.

1. Joann. VVichleffus Anglus Theologus, & cujusdam oppidi in Diœcesi Lincolniensi Parochus in Pontificem, & Monachos, ab quibus offensum se credebat, furere cœpit ann. circiter 1375., ipsi favente Lancastriæ Duce, & Angliæ optimatibus quam plurimis. Quum igitur Greg. VI. ex ejus libris capita sive articulos 19. excerptos, & damnatos ad Angliæ Episcopos transmisisset, ut authorem de iis interrogarent, ille in Lambesitana primum Synodo subdola interpretatione fucum fecit, deinde in Lugdunensi sub Guillielmo concepta verborum formula ejuravit; sed statim ad eadem docenda, ac prædicanda reversus, tandem in Festo S. Thomæ Cantuariensis quem ore blasphemo proscindere parabat, aplopexi correptus, biduo post è vivis excessit ann. 1385. Scripsit Trialogum, quo Veritatem, Mendacium, & Sapientiam loquentes inducit, Commentaria item in Psalmos, Cantica, & Evangelia; nec non orationes publicas de festis per annum. Scripturas sacras Anglica, & communi lingua vulgavit. Præterea opusculum Richardo Regi obtulit pro suppressione Monachorum, quos 50. erroribus obnoxios demonstrare nitebatur.

2. Ex his decerpti errores 45. in Constantiensi Concilio damnati sunt,

sunt, qui ad hæc universim capita reduci queunt. Negabat I. præsentiam realem Christi in Eucharistia. II. Arbitrii libertatem, omnia fato tribuens. III. Pontificis, & Prælatorum omnium authoritatem. IV. Confessionem auricularem. V. Votorum, & Institutorum Monasticorum omnium utilitatem. VI. Deum, dixit, nonnumquam teneri ad obediendum Dœmoni, neque mundum amplificare, aut minuere, nec animas ultra certum numerum creare, aut quicquam ad nihilum redigere posse.

3. Præcipui ejus discipuli fuerunt Joannes Oldcastellus, qui corporis Christi præsentiam admittebat quidem, sed cum substantia panis conjunctam: Guilhielmus Albus, qui festa omnia sustulit: Guillielmus VVinderbius, qui Ecclesiasticorum possessiones, & annuos quoque proventus impugnavit: VValterus Brutus, qui bellum omne illicitum esse docuit, & Apostolorum, ac Patrum scripta rejecit. His similia Joann. Eduarden, Guillielmus Tailesius, Robertus Ookius, Sartorius, Combrigius, & Antonius Personius, ab quibus in diversas sectas abierunt VVichleffistæ, quos inter Puritani sola fide contenti, bonorum operum necessitatem ad salutem negarunt. Ex VVichleffo Lutherus, atque alii nati sunt posteriorum temporum Hæretici.

SÆCULUM XV.

§. I.

Joannes Hus, & Hieronymus Pragensis.

1. JOannes Hus ab oppido Bohemiæ, ubi natus, erat, nomen sortitus, & in Pragensi Academia artium Magister, ac deinde Rector ex VVichleffianorum librorum, quos primo impugnaverat lectione, in errorem lapsus, hæresim suam VVenceslao regnante vulgare cœpit ann. circiter 1408. Socium habuit Hieronymum Pragensem perspicacis ingenii virum, Doctorem Theologum, Jacobellum Misniensem, magni nominis oratorem, & Petrum Dresdensem, qui aliorum erroribus, communionis sub utraque specie necessitatem adnexuit, ingentesque postmodum in Bohemia turbas excitavit. Crescente in dies Hæreticorum numero VVenceslai Regis desidia, plures divisæ sunt sectæ, quorum alii Thaboritæ, alii Horebitæ dicti sunt, qui tamen conjunctis copiis, non solum perversis doctrinis, verum etiam ferro, ac flammis Catholicos, & maximè Ecclesiasticos insectabantur. Thaboritarum Dux fuit Joannes Ziska, quo mortuo, Procopium Ducem quidam sibi constituerunt; alii sine duce, aut capite vagantes pari crudelitate sæviebant sub Orphanorum nomine.

Horebitarum caput fuit, teste Silvio, (*cap. 35.*) Bebricus quidam Presbyter Stanicensis, natione Moravus, qui & uxorem publicè fertur duxisse. Communes gentis errores hos recenset Silvius idem. I. Pontificis, & Episcoporum jurisdictionem negabant. II. Purgatorium. III. Cultum imaginum. IV. Confessionis, Confirmationis, & Extremæ Unctionis Sacramenta. V. Templa, divinum officium, vestes, & omnem sacram suppellectilem, cœmeteriaque exsecrabantur. VI. Suffragia pro mortuis irridebant. VII. Jejunium Ecclesiasticum, festivitates, & vota, atque instituta Monastica. VIII. Verbi prædicationem cuique liberam esse dicebant. IX. Nullam esse peccati reis jurisdictionem, aut potestatem. X. Calicis communionem esse ad salutem necessariam. Hæc quidem partim ex citato Silvio, partim ex Actis Conc. Constantiensis, in quo ann. 1415. Hussitarum, & Hieronymi Pragensis errores damnati, atque uterque flammis addictus. Neque tamen aut omnes simul errores prædictos ipsi docuerunt, aut ab eorum sectatoribus universim propugnati sunt omnes.

§. II.

Aliæ ejusdem sæculi hæreses.

1. Intelligentium secta eo tempore emersit, ita dicta; quod ejus generis homines se reliquis sapientiores jactarent, & a Deo edoctos. Authores fuere Joannes Cantorius, & VVilliemus Ildernissemius Carmelitanus, Belga uterque. Horum insigniorès fuerunt Ægidius quidam, & VVilhelm. Docuit I. Ægidius se Salvatorem mundi esse, per quem Christus agnoscendus esset, sicut per Christum Pater. II. Dæmones, & damnatos omnes a pœnis quandoque liberandos. III. Carnales actus esse delectationes Paradisi, atque ad Dei voluntatem referendos. IV. Oratione, jejunium, castitatem, Purgatorium, & Ecclesiæ præcepta rejecit. V. Vetus Testamentum Patri, novum Filio, aliudque, sub quo ipse esset, Spiritui Sancto tribuebat, sub quo Evangelium Christi abolendum esset. His addidit VVillielmus neminem pro se mereri, sed solum pro omnibus Christum. II. Omnes in Christo solum resurrexisse. III. Neminem peccata remittere, nisi solum Christum. IV. Exteriorem hominem non posse interiorem maculare. Hæc tamen impia dogmata coram Petro de Alliocco Cameracensi Episcopo abjuravit uterque anno D. 1411.

2. Recensetur hic a nonnullis inter hujus sæculi Hæreticos Joannes Exiguus, qui occasione mortis ab Joanne Burgundiæ Duce, Ludovico Duci Aurelianensi illatæ docuisse dicitur, quemlibet Tyrannum licitè, ac meritoriè a quolibet subdito occidi posse etiam per oc-

cul-

cultas insidias, & subtiles fraudes, blanditias, vel adulationes non obstante juramento, aut confæderatione. Hanc autem assertionem quamvis Constantiensis Synodus meritò damnaverit; nomen vero authoris reticuit, quod Joannem Exiguum nil tale docuisse, hancque illi calumniam, atque Burgundiæ Duci ab Joanne Gersone utrique infensissimo affictam fuisse Dux ipse coram Patribus conquestus est.

3. Dammatæ quoque sunt in eodem Concilio propositiones 25: excerptæ ex opusculo quodam Matthæi Grabonis Saxonis Ord. Præd. quas ipse tamen & Ecclesiæ judicio subjecerat, & damnatas promptissime retractavit. Non ergo hæreticis accensendus est. Nec item Augustinianus quidam Nicolaus nomine, qui damnatas nonnullas suas opiniones ab Clem. V., ejuravit. Detestati quoque sunt pristinos errores suos Augustinus de Roma Augustinianus, & Petrus Episcopus Oxomensis Hispanus de quibus videndus Natalis Alex.

4. Eodem sæculo exeunte, in Bohemia Gnosticorum quoddam genus emersit, qui Fossarii dicti sunt, quod in fossis, atque speluncis promiscua libidine abutebantur, de quibus Trithemius (*Chron. Spanhemiensi.*) 19000. fuisse scribit, nec tamen in eos animadversum fuisse commemorat. Mendicantes item nonnulli dogmata quædam Episcopis, & Parochis injuriosa tuebantur pro Mendicantium ordinum privilegiis, quæ in Conc. Basileensi damnata sunt. Damnatus item est, & igni traditus Hermannus Ruisvichius, qui Angelos, & materiam non a Deo creatam esse dicebat, mortalem animam, falsa Evangelia, Christum seductorem, inferos fabulam, & quæ non ex his principiis turpissimus Religionis osor?

SÆCULUM XVI.

§. I.

Lutherus.

1. ISlebii in Saxonia natus, atque in Magdeburgensi Collegio humanioribus litteris eruditus, Erfordiæ primum Philosophiæ, mox Juris studio deditus, quum socium in agro, quo oblectandi animi causa processerant fulminis ictu extinctum conspexisset, vix ipse incolumis, terrore, ut ipse ait, & agone mortis subitæ circumvallatus vovit coactum, & necessarium votum quo se Eremitarum S. Aug. ordini adstrinxit annos natus duos, & viginti. VVitembergæ deinde Theologiæ lauream assumpsit, incitatusque a Staupitio, Gener. sui Ordinis in Germania Vicario concionari cœpit adversus nonnullarum Indulgentiarum promulgationem ab Leone X. in subsidium Vaticani

ædificii concessarum, quam Albertus Moguntinus Episcopus, non ex Augustiniano Ord. cuiquam, ut fieri consueverat, sed Joanni Tetzelio ex Ord. Præd. demandaverat. Doctrinam deinde suam 95. thesibus defendendam assumpsit, atque ad Leonem Pont. transmisit, a quo Romam, uti se purgaret, vocatus, ægra corporis valetudine se excusavit additis litteris facultatis VVitembergicæ, ac testimonio de suæ fidei integritate. Quum tamen interim, & Missam abrogasset, & venenum latius serperet, Thom. de Vio Card. Cajetanus Legatus missus ab Leone est, a quo ille spontaneam revocationem exigente, aut excommunicationem comminante, ad Papam primum, mox ad Generale Concilium appellavit, atque Augusta elapsus VVitembergam rediit. Tandem Leo edita gravissima Const. incip. Exurgat Deus Lutheri sententias 41. proscripsit, ac damnavit, die 15. Jun. ann. 1520., & contumacem excommunicavit, atque Hæreticum ab omnibus haberi voluit alia data postr. Kal. Jan. ann. 1521. Scripsit Lutherus libellum, cui titulus: Adversus execrabilem Bullam Antichristi, item de Confessione secreta, de votis Monasticis, de abroganda Missa, de Captivitate Babilonica, pluresque alios Tractatus, opuscula, & Epistolas petulantia, scurrilitate, mendaciis, obscœnitatibus, & contumeliis refertissimas.

2. Lutheri errores præcipui, ac veluti cæterorum innumerorum capita hi fuerunt. I. Liberum arbitrium per peccatum prorsus extinctum. II. Hominem sola fide justificari. III. Vota omnia prorsus tollenda, atque vitanda. IV. Omnia etiam justorum opera, quantumvis bona, atque honesta videantur, esse peccata mortalia, V. Purgatorium, atque Indulgentias vana esse, & nova commenta, sicut VI. Primatum Rom. Pontificis, VII. Tria tantum esse Sacramenta, Baptismum, Cœnam, Pœnitentiam. Cæterum. VIII. Per baptismum non prorsus peccatum ablui. IX. in Altari verum panem, & verum vinum absque hæresi credi posse. X. Nullum Sacramentum ex se gratiam conferre. XI. Missam, Transubstantiationem, Confessionem auricularem, satisfactionem meras esse nugas. His imbutus doctrinis, quibus tamen innumeras passim contradictiones adnexuit, infelicissimus Apostata, quum novem Sanctimonialium Virginum Raptorem Leonardum Koppen pro suggestu laudasset, earum quamdam Margaritam Bore sibi matrimonio copulavit, dignum scilicet ollæ operculum. Ex ea tribus filiis susceptis Joanne, Martino, & Paulo 13. Kalend. Martii an. 1546. ex hac vita migravit Islebii.

§. II.

§. II.

Zuinglius, & Œcolampadius.

1. Quæ Lutherus in Saxonia, eadem tempestate agebat apud Helvetios Ulricus Zuinglius, in ejusdem regionis Boggiorum pago natus, & Claronensis primum, mox Eremitanæ, ac Tigurinæ Ecclesiæ Pastor. Hic quum Asseclas suos, non Zuinglianos, sed Lutheranos vocari ægrè admodum ferret, hæresis nimirum palmam sibi præripi dolens, testatus sæpe est se nihil ab Luthero accepisse, cui propterea usque ad mortem fuit infensissimus. Singulares ejus errores hi fuerunt. I. In Eucharistia non verum Christi corpus esse, sed quamdam ejus figuram. II. Sanctorum invocationem esse Christo injuriosam. III. Sacras imagines delendas. IV. Baptisma neque gratiam conferre, nec peccatum originis delere, quod nullum est. V. Nullum Christianum teneri, nisi ad ea quæ Christus præcepit per sese. VI. Ciborum delectum esse illicitum. Circa Purgatorium, Indulgentias, Confessionem, Justificationem, Vota, Matrimonium, & Sacramenta reliqua eadem sensit, quæ Lutherus, atque ut ille, uxorem etiam duxit. Tandem quum per annos 12. errores suos disseminasset, atque etiam armis tueri decrevisset, contra Catholicos Helvetios dimicans in acie occisus est die Octob. 11. ann. 1531.

2. Adjutorem habuit Joannem Œcolampadium, qui primum Comitis Palatini filiorum pædagogus fuit, deinde Sanctæ Birgittæ Monachus. Post annos aliquot excucullatus uxorem duxit, ex qua tres filios suscepit. Scribit idem se, quum Monasterio exire dubitaret, ab Spiritu Sancto ut exiret, maximè moveri, atque impelli solitum. Zuinglio in omnibus adhæsit, atque ut ille Tiguri, ita hic Basileæ veluti Episcopalem sedem fixit, ubi comperta sodalis morte, magno mœrore affectus, ac vix mensem integrum superstes è vivis excessit, a Theodoro Beza, magnus Jesu Christi Apostolus, ab Luthero Sathanæ discipulus appellatus.

§. III.

Carolstadius, Melancthon, Osiander, Brentius, Schvvenfeldius.

1. Carolstadius Witembergicus Archidiaconus ex auditis de Luthero, ipso absente, atque inscio, in opus erupit, uxorem primus ducens, ea solennitate, ut de ejus nuptiis Missam propriam sacris ordini-

dinibus injuriosissimam ejus disciputi ediderint. Imagines è templis sustulit, Christi realem præsentiam in Eucharistia cum Zuinglio negavit. Hinc Luthero infensus, Witemberga Orlamundam secessit, a qua postmodum, atque omnibus Saxoniæ finibus Lutheri opera ejectus, ac deinde supplex revocatus, contrà atque ille de quo Tullius, ex Archidiacono, atque Oratore factus arator, vitam summo labore, ac miseria sustentabat. Tandem è Saxonia in Helvetiam se transtulit, ubi a Tigurinis, Diaconus secundum novum ritum ordinatus, post Zuinglii, & Oecolampadii mortem, ad ministerium, & prædicationem admissus, peste demum sublatus est.

2. Philippus Melancthon Brettæ Palatinatus inferioris oppido natus, anno ætatis 22. Luthero adhæsit, cujus doctrinam contra Parisienses Theologos defendit, ac nonnihil emolliit. Hinc ejus sectatores postmodum molles Lutherani dicti sunt, ac rigidioribus infensi. Dicti etiam Confessionistæ, quod Melancthon Augustanæ Confessionis author fuerit, quam Carolo V. Imperatori obtulit ann. 1530. Item Adiaphoristæ, sive Indifferentes, quod Melancthon, ut utrisque fucum faceret, Romanos ritus, constitutiones, ac decreta, absque salutis discrimine quemlibet amplecti, aut rejicere posse docebat. Ejus libros Lutherus pro Canonicis haberi voluit. Melancthonis porro nullus fuit singularis, ac suus error. Partim quidem Lutheri, partim Zuinglii, partim Buceri dogmati favens, in multis cum Catholicis sentiens Religionis Protheus, inter omnia fluctuans, nihil certi tenens, atque ut nubes sine aqua, omni vento doctrinæ huc, illuc delatus, usque ad mortem perstitit; quæ ipsi contigit ann. 1560.

3. Andreas Osiander in Brandemburgensi territorio natus, atque Lutheri primum in omnibus sectator, ab ipso postea discessit docens, hominem non aliquo inhærente Dei dono, sed per eandem justitiam, qua Deus justus est, sanctum esse; mortem Christi nihil nobis profuisse. Quæ quidem quum Philippus, & alii Lutherani non approbarent, nec Philippi Augustanam Confessionem ipse reciperet, ab se invicem divisi sunt, atque Osiander quidem paroxismo correptus, & mutus occubuit.

4. Joann. Brentius Suevus, atque ex Præsbytero, & Canonico Witembergensi uxoratus, quum Luthero adhæsisset, nec Philippi confessionem amplecteretur, aliam ispe confecit, ac Tridentini Conc. Congregationi proposuit. Singulares Brentii errores fuerunt. I. Evangelium novam legem non imponere, aut instituere, II. Baptismum ad certam verborum formulam alligari non debere, nec omne peccatum remittere. III. Corpus Christi haud secus, ac Divinitatem ubique esse. Hujus sectatores hinc Ubiquistæ appellati.

5. Gaspar Schvvenfeldius nobili genere in Silesia natus, Catholicorum,

rum, & Lutheranorum æquè hostis, & qui, ut ajebat Melanchon; centenas ad scribendum manus habere videbatur, 50. atque amplius libros edidisse dicitur. In iis docebat I. Scripturis standum non esse. II. Christum Deum non fuisse, nisi postquam cœlos ascendit, tunc vero etiam carnem ejus in Divinitatem fuisse conversam. Ob quam stultissimam sententiam, ejus discipuli Confessores gloriæ Christi semet appellabant. III. Personam Patris, & Filii unam esse docebat cum Sabellio. IV. Dona, & virtutes ipsam Dei substantiam esse ajebat, & inde omnes Christianos esse Dei filios naturales. V. in Eucharistia non Christi corpus, sed mysticum quiddam, ac divinum nobis dari, quo anima reficiatur, sicut pane corpus. In Schvvenfeldium Synodus Lutheranorum est congregata Nauburgi, ejusque dogmata damnata anno 1554.

§. IV.

Agricola, Bucerus, Illiricus, Kemnitius, Stancarus, & Storkius.

1. Joann. Agricola Rector Islebiensis, Lutheri primum sectator, postea ab eo defecit, quod legem operum omnino tolleret, dicens, ut est apud Hosium: (*l. 1. de hæres. nostri temp.* Quidquid libitum, id licitum esse, modo in Christum credas. Hunc propterea, sicut & Jacobum Schenkium, aliosque Lutherus Antinomos, sive legis omnis inimicos appellabat. Sunt qui Agricolam ad Catholicos rediisse putent, quod Natalis Alex. valdè dubitat; illud certum videtur, errorem suum Luthero agente, revocasse, aut revocare paratum fuisse; Luthero tamen mortuo, ad vomitum reversum fuisse.

2. Martinus Bucerus Argentoracti natus, patre Judæo, atque Ordinis Prædicatorum desertor, Lutherum prius sequutus est, cujus ad exemplum, Elisabetham quamdam olim sanctimonialem fœminam sibi copulavit, ex qua filios tredecim suscepit. Hic Lutherum inter, ac Zuinglium viam tenuit mediam dicens in Eucharistia corpus Christi non esse substantialiter extra usum Sacramenti, nec in ipso usu ore corporis manducari, sed sola fidei contemplatione percipi, & quidem a justis; nam peccatores purum panem percipere docebat. II. Docuit baptismum necessarium non esse necessitate salutis, sed solum ministerii. III. Nullam esse in terris Ecclesiam ab omni errore, tam in fide, quam in moribus immunem. IV. Quidquid impius agit peccatum esse, & contra justos bona opera necessario operari. V. Usuram quamlibet licitam esse. E Germania Bucerus ad Cantabri-

bri-

brigiensem in Anglia Cathedram vocatus una cum Paulo Fagio ejusdem furfuris homine, ibidem vivere desiit anno 1551.

3. Mathias Flacius Illyricus dictus quia Albonæ oppido in finibus Illyrici natus, quum nec Caroli V. interim, nec Philippum, atque Adiaphoristas reciperet, Witemberga relicta, Magdeburgum se contulit, unus ex primis qui Magdeburgenses Centurias compilarunt. Inde Jernam a Saxoniæ Duce vocatus errorem ab Lutheranis reliquis impugnatum docuit, nimirum peccatum originale hominis naturam ipsam, & substantiam esse. Hinc ejus assecla Substantialistæ appellati. Obiit Illyricus Francofurti ann. 1575.

4. Martinus Kemnitius Tridentini Concilii impugnator acerrimus in Brandemburgensi territorio natus; quem Melancthon Theologorum Protestantium Principem futurum prædixerat, sacras litteras in Brunsvicensi Academia tradidit. De Eucharistia cum Bucero de Sanctorum invocatione, cultu Imaginum, jejuniis, observatione Dominicæ; libero arbitrio, & baptismo cum Catholicis sensit; cætera Lutheranus. Obiit ann. 1586.

5. Franciscus Stancarus Mantuanus in Regiomontana Academia Theologiæ professor quum docuisset contra Osiandrum, Christum non secundum divinam, sed solum secundum humanam naturam justificationem nostram esse, è Prussia pulsus, Poloniam petiit, ubi primus Lutheranismum induxit.

6. Nicolaus Storkius Silesius, Pelargus etiam dictus, Waldensis; ut videtur primum, mox Lutheranus, ac demum Enthusiasta vaferrimus, fictis revelationibus paupertatem Evangelicam, bonorum communitatem, libertatemque ab omni jugo tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis potestatis prædicare cœpit. Eamobrem VViteimberga pulsus, in Thuringiam secessit.

§. V.

Muntzerus, Anabaptistæ, Calvinus.

1. Storkium excepit Thom. Muntzerus Alsterensis in Thuringia vir doctrinæ haud mediocris, atque ex Catholico Sacerdote Lutheranus, qui quum Catholicis æquè, ac Lutheranis bellum gerendum esse censeret, confictis primum revelationibus, dein prædicatione simplicium sibi animos devinxit, atque Anabaptistarum parens factus est. Ejus prædicationis fuerunt fructus seditiones, ac turbæ, quas inter ipse captus, & capitis damnatus occubuit. Sunt qui cum Natali Alex., (*Hist. Ecc. sæc. 16. c. 11.*) ante mortem resipuisse, & Sacra-

cramentali confessione expiatum decessisse existimant. Erroris patrocinium suscepit Joann. Mathias, Harlemiensis Pistor, qui in Monasteriensi obsidione occisus est. Dein Joann. Bocoldus Sartor Leidiensis, qui virum uni uxori devinctum non esse docuit, & capitali supplicio punitus est cum multis suorum ann. 1536. Tum Joann. Hutt, a quo Huttitæ, qui se corporales Israelitas esse dicebant, Chananæorum, id est, Catholicorum debellatores. Item Aug. Bohem. a quo Augustiniani, qui ante diem judicii cœlum nulli patere docebant: Melchioritæ, & Hoffmaniani a Melchiore Hoffmano, unam in Christo naturam prædicabant, carnem a Virgine non sumpsisse, gratiam amissam recuperari non posse.

2. Fuerunt & alii Anabaptistarum surculi, uti Adamitæ, qui nudi incedebant. Denkiani, qui Dæmonum existentiam negabant, Vgonvallistæ, qui Dæmones salvandos credebant, Frankistæ, qui omnem Scripturam respuebant: Apostolici, qui paupertatem Evangelicam, necessario sequendam docebant. Separati, qui omne humanum commercium vitabant: Cathari, quasi ab omni labe immunes: Silentiarii, qui circa fidem silendum esse statuebant; Euchitæ, sive Orantes, qui omnia immediate a Deo per orationem obtinenda sperabant: Servetiani a Serveto de quo mox: Fratres Charitatis, Ejulantes, Abecedarii; qui omnes legere, aut scribere scientes damnabant, Bacularii, qui arma omnia præter baculum illicita Christianis dicebant: Sabbatharii, quasi Sabbathi cultores: Georgiani a Davide Georgio, qui se solos resurrecturos dicebant, Angelos, judicium, vitam æternam irridebant; uxorum communionem admittebant. David Georgius obiit Basileæ, & qui se post triduum surrecturum promiserat, postriennium exhumatus, & cum impiis suis libris combustus est ann. 1559.

3. Communes omnium Anabaptistarum errores fuerunt. I. Baptismum infantium esse inutile, ideoque hos iterum abluebant, unde eis nomen inditum. II. In Eucharistia Christi corpus reapse præsens non esse. III. Nullum esse Sacerdotium. IV. Jurare, litigare, arma tractare, Magistratum gerere Christianis non licere. De Purgatorio, Imaginibus, SS. invocatione, Papa &c. cum Lutheranis sentiunt.

4. Joann. Calvinus Novioduni in Gallia natus, ac Parisiis Græca lingua, Civili jure, Theologiaque eruditus Francisco I. regnante Institutionum libros scripsit, Regique dicavit. Inde Ferrariam, ac deinde Genevam se contulit Sacramentariorum erroribus pridem infectam, ubi in ejus verba solenni ritu juratum est ann. 1535. Triennio post, quod Azymum recusaret, urbe pulsus est, ac post biennium admissus, id obtinuit, ut communi decreto statutum sit ne un-

quam ab ejus doctrina ministris, aut civibus recedere liceret. Anno demum 1564. vivere desiit.

5. Erravit primo Calvinus, quod mero Dei arbitrio citra ullum meritum homines ad mortem prædestinari diceret. II. Adami lapsu liberum arbitrium prorsus extinctum. III. Concupiscentiam peccatum esse. IV. Hominem sola fide justificari. V. Veram justitiam amitti non posse. VI. Omne peccatum esse mortale. VII. Omnia justorum opera sordes esse. De confessione, Satisfactione, Indulgentiis, Purgatorio, SS. invocatione, Imaginibus, Pontifice, Missa, Cœlibatu, Sacramentis eadem ferme cum Luthero docuit. Traditionem omnem rejiciebat, Vulgatam damnabat.

6. Calvinistarum præcipui fuerunt Theodorus Beza, & Marotus apud Vezelios alter, alter apud Cadurcos natus, Poeta uterque, ab quibus Davidici Psalmi in vulgarem linguam translati, corruptissimis uterque moribus, Beza tamen nequior, & Calvino Magistro, ac Protectori similior, cujus opera, quum Aureliano Genevam profugisset, Claudia Sutoris cujusdam uxore rapta, in ministerium eo merito admissus est. Calvini sectatores in Gallia Hugonotti dicti sunt, obscurum nomen, de quo diversi diversa scripserunt, sed cœdibus, rapinis, sacrilegiis, & seditionibus notissimum.

7. In Anglia post Henrici Regis lapsum, an. 1534., VVichleffi, Lutheri, & Calvini erroribus grassantibus, emerserunt I. Puritani omnis publicæ orationis, & Liturgiæ hostes acerrimi, quorum factione Carolus I. Rex capite truncatus ann. 1649., & Jacobus II. regno pulsus. II. Independentes, protectore Oliverio Cromuellio, qui quemque in suo cultu, ac fide vivere permittunt: Presbyteros, id est Senes etiam Laicos Ecclesiastica administrare volunt, quas tamen privatas Ecclesias Classibus, & Classes Synodo Provinciali; hanc autem Nationali subjiciunt. III. Quakeri, sive Tremulantes authore Joanne Fox, qui se ab omni peccato immunes, ac sœpe in Exstasim raptos vendunt: publicam omnem orationem execrantur, corporum resurrectionem, gloriam, pœnasque æternas negant: Trinitatem, & Christi adventum irrident. Anglo-Calviniani nonnullam Chrismatis, Ordinis, Liturgiæ, & rituum Ecclesiasticorum speciem retinent. Anglis omnibus Hæreticis communis est error, nullum, præter Angliæ Regem, Ecclesiæ Caput agnoscere, eique omnem spiritualem authoritatem tribuere præter docendi munus, Sacramenta administrandi, & censuras ferendi.

8. Fuere item Piscatoriani a Joanne Piscatore Argentinensi, qui Judicialia Moisis necessario servanda docuit: Christum morte sua, nihil sibi, & vita sua nihil nobis meruisse. Arminiani dicti sunt ab Ar-

Arminio, Amstelodamensi, qui etiam Remonstrantes dicuntur, quod adversus quinque Calvini articulos de Electione, Prædestinatione, morte Christi pro omnibus, Gratia cogente, & justitia inamissibili reclamaverint. Qui contra hos pro Calvini doctrina steterunt, Gomaristæ dicti sunt a Francisco Gomaro. Horum opera, & sententia Arminiani in Dordrectana Synodo damnati sunt ann. 1619. Inter Arminianos clarissimum habetur Hugonis Grotii nomen.

§. VI.

Servetus, & Sociniani.

1. Michael Servetus Tarraconensis, Parisiis Medicus, deinde in Germania Theologus Arii, Sabellii, Nestorii, omniumque, qui vel de Trinitate, vel de Christo erronea censuerunt, dogmata suscitavit. His addidit, omnibus insitum esse ab initio Spiritum Deitatis: angelos, Deum vero nunquam in veteri lege adoratum: Angelos, & electos esse in Deo in propriis naturis: animas esse de substantia Dei: res omnes creatas in unam animæ, ac spiritus substantiam coire. Calvini jussu Servetus flammis addictus est. Hunc excepit Valentinus Gentilis, qui sæpe comprehensus, sæpe aut elapsus, aut dimissus, tandem Bernæ in Helvetia extremo supplicio affectus est anno 1566.

2. Huic similis Georgius Blandratus Pedemontanus sectam eandem in Transilvaniam invexit, sicut & Joann. Paulus Alciatus, qui postmodum ad Mahometanos defecit. Ex eadem gente Bernardus Okinus, antea Cappuccinorum Generalis, patria Senensis, deinde uxoratus per Galliam, Helvetiam, Angliam, Germaniam, & Poloniam profugus, hic tandem, dubium an abjurato, an retento errore, diem clausit an. 1564. scripta relinquens de Polygamia, & adversus sectam terrenorum Deorum erroribus refertissima.

3. Majus sibi inter Antitrinitarios nomen compararunt Lelius, & Faustus Socini, Senenses, & Servetiani, quorum primus post peregrinationes multas Tiguri obiit anno 1562; alter Basileæ docuit, deinde in pagum Cracoviæ vicinum secessit, ibique diem obiit. Ad reliquos Serveti de Trinitate, & Incarnat. errores addidit Faustus alios multos. I. enim Deo scientiam futurorum, & prædestinationem negavit. II. Christum propria virtute non surrexisse, nec Deum esse secundum personam, nec sacrificium in Cruce, sed in cœlo consummasse dixit. III. Neque justitiam, neque originale peccatum ullum esse. IV. de baptismo infantium cum Anabatistis, de Gratia, & Ju-

& Justificatione cum Pelagio, de Ecclesia, & Papa cum Luthero; de Magistratuum, & Regum authoritate cum Wicleffo sensit.

4. His adjungit Berninus Michaelem Bajum Doct. Lovaniensem, & Hispani Regis in Conc. Tridentino Theologum, cujus theses 49. damnavit Pius V., plerasque ad Gratiam, & Justificationem spectantes. Quum tamen Bajus Pontificis sententiæ paruisset, & damnatas propositiones retractasset anno 1580., inter Hæreticos ipsum immerito quis numeret? Idem dicendum de Guillielmo Postello ab Sancto Ignatio in suum Ordinem admissus, ac deinde ob ingenii petulantiam dimissus. Quamvis enim in libris de Trinitate Mundi, de Christo intoxicato, de Matrice Mundi, de Clavè absconditorum a sæculo innumeros, gravissimosque errores docuerit, tamen in Monasterium Sancti Martini detrusus, abjuratis erroribus pie vixisse, atque obiisse dicitur ann. 1581. Exstat Catholicum ejus opus de Orbis Concordia, quo Ethnici, Mahometani, Judæi, atque omnes Hæretici refutantur.

SÆCULUM XVII.

§. I.

Marcus Antonius de Dominis, & Spinosa.

1. Ille natione Dalmata fuit, & Societatis JESU nomen dedit, a qua postea recessit. Deinde a Clem. VIII. in Segnensem, mox a Paulo V. in Spalatensem Episcopatum promotus, cum impositam pensionem solvere recusaret, ad ejusque solutionem cogeretur, scripto de Christiana Republica libro, Pontificis, & Cardinalium authoritatem impugnavit, ex quo theses 37. excerptæ, ac proscriptæ sunt. Inde in Angliam aufugit, unde post sexennium Romam redux, veniam deprecatus est. Quum tamen Indifferentium hæresi adhærere deprehensus esset, in arcem Sancti Angeli detrusus, ibi 8. Septemb. ann. 1623. haud ambiguis pœnitentiæ signis decessit. Ejus causa discussa, scripta, imago, ossaque in campo Floræ carnificis manu combusta sunt.

2. Benedictus Spinosa Judæis parentibus Amstelodami natus postea nomine saltem Christianus, proffessione Atheus, in libro cui titulus: Tractatus Theologico-politicus omnium rerum naturam unam esse docuit, quæ Deus sit, corporaque & effectus omnes non nisi ejusdem unius substantiæ diversas modificationes. Ab hoc novum prodiit monstrorum genus, de quo mox. Hoc humani,

mani, generis opprobrium e vivis sustulit dies 23. Februarii anni 1677.

§ II.

Jansenius, & Sui.

1. Cornelius Jansenius Leerdami in Batavia natus, Iprensis Episcopus, Joanni Vergerio Abbati Sancyrano amicitia conjunctissimus librum scripsit, cui titulus; Augustinus, quasi ibi meram, puram, putamque Augustini doctrinam circa Gratiam, atque ad eam spectantia dogmata traditurus. Morti proximus Jansenius, ineditum adhuc librum Romanæ Sedis juditio, & correctioni subjecit die 6. Maii ann. 1638. Editum opus Urbanus VIII. prohibuit, ejusque successor Innoc. X. ex eo excerptas quinque propositiones damnavit, quæ hujusmodi sunt. I. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. II. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. III. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. IV. Semipelagiani admittebant gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. V. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

2. Opposuerunt Jansenii defensores. I. Eas theses in libro Jansenii non exstare. II. Damnatas non esse in sensu authoris. Alex. VII. eas & Jansenii esse, & in sensu ab authore intento damnatas declaravit. Tum poscentibus Galliæ Episcopis formularium proposuit ann. 1664. cui omnes subscribere tenerentur. Restitere Arnald. D. Sorbonicus, Moniales Portus Regii, & Episcopi 4., qui tamen postea subscripserunt, licet in quæstione facti obsequiosum silentium satis esse crederent, proposito famoso Casu conscientiæ, cujus author Arnaldus ipse ferebatur. Casum Clem. XI. damnavit, & obsequiosum silentium satis non esse decrevit edita Const. Vineam Domini. Idem celebri Const. Unigenitus ex libr. Paschasii Quesnellii Reflexionum Moral. in novum Testam. unam supra centum theses proscripsit. Jansenius porro, qui S. R. E. judicio scripta sua subjecit, Hæresiarcha, aut hæreticus meritò dici non potest. Ejus autem fautores, qui tot Rom. PP. decisionibus restiterunt, resistuntque etiamnum, Hæreticis annumerant plerique.

§. III.

Michael Molinæus, & Quietistæ.

Quietistarum author fuit Michael de Molinos Presbyter in Aragogonia natus, qui profectus Romam sub ingentis Sanctitatis larva plurimos decepit, quum verbo, & prædicatione, tum scriptis, & libro evulgato, cui Italicè titulus: Guida Spirituale. Innicus Caracciolus Archiep. Neapolitan. latentes ibi errores detexit, quos Innoc. XI. edita const. incip. Cœlestis Pastor anno 1687. ex Molinæi libro decerptos in propositionibus 68. proscripsit, ac damnavit. Thesium autem hæc summa erat: ut per falsam in oratione quietem, & sui annihilationem (hac enim voce utebantur) quasi absorpti, & extra se positi omnibus carnis illecebris, & obscœnitatibus polluerentur, dum non Dei, neque sui, nec mortis, aut æternæ alicujus cogitatione, sed mera potentiarum, ac sensuum omnium suspensione Deo inhærendum, nec ullam adversarum tentationum curam habendam esse existimabant. Molinæus ipse comprehensus post carceris menses 22. die 3. Sept. ann. 1687. patienter audita sententia, ejuratisque erroribus in carcerem reductus est, ubi 28. Dec. ann. 1696. extremum diem clausit. Eandem subiere sententiam Simon, & Antonius Leones fratres, nonnullique alii ejus discipuli. Hos inter nobilis fuit fœmina de Guyon, cujus varia M.S. illusionibus referta, quum ad manum habuisset Jacobus Bossuet Meldensis Episcopus impugnavit edito opere, cui Gallicè titulus de Statibus Orationis. Fœminæ patrocinium suscepit Archiep. Duxque Cameracensis Franciscus Salignac Fenelon. Hujus tamen opus inscriptum Gallicè: Explication des maximes de Saints sur la vie interieure, Romam delatum, serioque discussum, damnatum est. Quam sententiam author ipse ingenti demissionis Christianæ, & obedientiæ exemplo, & suscepit libentissimè, & gregem suum ad sinceram submissionem, & animi docilitatem versus Sedem Apostolicam adhortatus est, in qua, inquit, præstanda, Deo misericorditer adjuvante, ad extremum usque spiritum vobis exemplo erimus.

SÆCULUM XVIII.

§. UNIC.

1. POstremo hoc sæculo non cum novo aliquo Hæreticorum genere Catholica certare debuit Ecclesia. Parum enim jam erat cum Calvinianis, Lutheranis, Schismaticis, Græcis, & Anglis, cum Mahometanis, cum Jansenianis contendere. Levia hæc sunt. Cum quibusdam Spinosæ Sectatoribus, atque imitatoribus nova pugna consurgit, naturalibus Philosophis omnis revelatæ Religionis osoribus, Materialistis, Deistis, immo ne Deistis quidem, verum Divinitatis omnis irrisoribus. Scripturas adducas, rident. Patrum testimonia depromas, cachinnant. Nullam apud eos antiqua Concilia, nullam Traditio habet authoritatem. Plato solum sapuit, aut Tullius, aut Sinenses, aut Ægyptii, & Sanchoniatus aliquis, vel Sesostris. Veritatem, & sanam morum doctrinam apud Brachmanes, apud Lapones, apud Hottentotos, apud Patagones quæras, non apud Moisem, vel Christianos Doctores. Hujus furfuris sunt Volterius, Russojus, Mirabaudius Argensius, Helvetius, Collinius, Freretus, Obbesius, & his pene affines Petrus Bailius, Montesquievius, Pufendorfius curiosa sectantes, auribus prurientes, Paganæ antiquitatis admiratores, & Naturæ Sacerdotes, nubes sine aquâ, quæ omni vento doctrinæ circumferuntur, venales scriptores nescientes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

2. Sunt etiam hac tempestate, qui Gallico verbo Franc-masones dicuntur, quorum secreta conventicula, tanquam Religioni, & Reipublicæ suspecta meritò & Benedictus XIV., & Sæculares item nonnulli Principes prohibuerunt. Mihi quidem hi ex eorum videntur genere hominum esse, de quibus dixit Aristoteles vanos potius censendos esse, quam malos.

INDEX ALPHABETICUS

Hæresiarcharum, atque hæresum, de quibus in Prolegomeno II. brevis notitia datur. Sæc. pro tota voce Sæculo, nota §. pro paragrapho, initialis n. pro numero ponitur.

Hutt

Pri-

V

Z

IN

IN LIBROS
THEOLOGICARUM INSTITUTIONUM
PROLEGOMENON TERTIUM
Sive Tractatus de Scriptoribus Ecclesiasticis.
PARS PRIMA.
§. I.
Hermes.

1. Primus ordine temporum occurrit author ejus libri, qui Pastor inscribitur. Hoc opus dividitur in partes tres, quarum prima Visiones, secunda Mandata, tertia Similitudines, aut Comparationes continet. Apud antiquos ea fuit hic liber authoritate, ut Irenæus (*l. 4. adv. heres. c. 3.*) ei, Scripturæ nomen tribuerit, quo nomine non nisi libros divinitus inspiratos significare solent Patres. Athanasius (*l. de incarnat.*) eundem fidei Christianæ nomine indigitavit. In nonnullis antiquis MSS. ad calcem librorum Canonicorum inveniri scribit Natalis Alexand. Histor. Sæc. 1. art. 9. Publicè in Ecclesiis, sicut Sanctas Scripturas legi solitum Eusebius author est histor. 3. cap. 3., atque ex eo Hieronym. in Catalog. Vir. Illustr.; tamen inter Canonicas Scripturas omnium Ecclesiarum consensu receptas nunquam habitum, idem testatur Eusebius. (*ibid.*) Tertullianus addit in libro de Pudicit. cap. 10. illum ab omni Concilio Ecclesiarum (etiam vestrarum, id est Catholicarum, nam Montanista jam factus scribebat,) inter Apocrypha, & falsa computari. In Concilio quoque Romano sub Gelasio Papa sic habetur expressum: Liber, qui appellatur Pastoris, apocryphus. Stabilito igitur librum hunc Canonicum non esse, de eo valde diversa, immo sibi adversantia nostri Authores scripserunt. Origenes in 4. περ αρχ. librum vocat vulgaris apud aliquos pretii. Eusebius quamvis maximè utilem esse dicat iis maximè qui primoribus fidei rudimentis dant operam, tamen a nonnullis dicit in quæstionem vocari loco citato. Athanasius in lib. de Incarnatione ejus lectionem utilissimam esse testatur,

Ter-

Ruffinus Ecclesiasticum librum appellat. Tertullianus Scripturam adulteram, & adulterorum patronam . . . Pastorem Christiani sacramenti prostitutorem, Ebrietatis Idolum, & Mœchiæ asylum. Hæc tamen Tertulliani jam Montanistæ dicteria in citato libro de Pudicitia in laudem potius pii, & catholicè sentientis Scriptoris; quam in vituperationem cedunt apud æquos rerum æstimatores. Prosper in lib. contr. Collator. cap. 30. nullius authoritatis esse scribit. Hieronymus alibi: librum apocryphum, & stultitiæ condemnandum: alibi: librum revera utilem, ex quo multi veterum scriptorum testimonia usurpaverint. Ita in cap. 1. Abacuc, & in Catal. vir. Illustr.

2. De authore convenit Hermetem, aut Hermam quendam fuisse, hoc enim ei nomen tribuunt Origenes, Tertullianus, Eusebiusque, & Hieronymus in citatis locis, quamvis Grotius eum Hermodorum dicat, quod unde hauserit, incertum est. Dubium vero est an ei Hermeti, aut Hermæ sit liber tribuendus, qui Pauli discipulus, & cui salutem ille dicit in fine epistolæ ad Roman., an cognominis alterius, qui centum circiter post annos vixit, Pii Papæ primi tempore, cujus alii fratrem, alii familiarem amicum fuisse scribunt, ut in Pio diximus. Antiquum fragmentum, quod Muratorius in tom. 3. Antiq. Italiæ dissert. 43. Caii, secundi Sæculi Scriptoris esse putat, huic opinioni patrocinatur. Eusebius primam opinionem sequitur, quæ etiam Natal. Alexandr. probabilior videtur, & ei quod apud Hieronymum habetur conformior: Scribit enim Hieronym. in cit. Catalog. librum Pastoris Latinis fuisse ignotum, quod est creditu difficile, si ejus author Latinus fuisset, & Pii Pontificis familiaris, aut frater. Occasio autem erroris esse potuit, quod Hermes ille Pio coævus, de cujus ille nomine domum Pudentis Senatoris a se in Ecclesiam dedicatam a titulo Pastoris dicitur nuncupasse, is, inquam, Hermes librum etiam scripsisse fertur, in quo sibi ab Angelo sub Pastoris specie apparente revelatum fuisse asserit, ut Pascha non nisi die Dominica celebretur.

3. Dubitatur item an liber Pastoris, qui nunc exstat, & habetur in tom. 5. Bibliothec. Veterum Patrum Parisiis editæ, idem sit quem antiqui authores, & Patres cognoverunt? Scriptores omnes Protestantes spurium illum, ac Recentium sæculorum fœtum esse putant, quoniam & liberi arbitrii, & Purgatorii, atque aliarum, quas illi negant, veritatum, ibi testimonia inveniunt apertissima. Catholicorum multi, si non suppositium prorsus, saltem mutilum, aut fœdè interpolatum esse fatentur. Idem Bibliothecæ Parisiensis Compilator multa loca notat, in quibus Novatianismo patrocinatur. Natalis Alex. & ejus Scholiatores conantur eum purgare, nescio an feliciter. Exstant in hunc librum eruditæ Cotelerii notæ, & novissimus fragmentum

rum quoddam addidit Grabius. Liber hic profectò multis jam ab sæculis fidelibus Christianis inutilis, atque incognitus jacet. Et quidem præter styli incommoditatem, & obscuritatem rerum, scatet sententiis, & loquendi modis ab communi Sapientum Catholicorum consensu alienissimis.

§. II.

Clemens Rom. Papa.

1. Hujus Sancti Pontificis nomine varia circumferuntur opera, nimirum Epistolæ nonnullæ, Homiliæ 19., Αναγνωρίσμω, sive Recognitionum libri decem, Constitutionum Apostolicarum libri octo. Ut ab Epistolis incipiamus, legitima habetur prima ad Corinthios, quam ex M. S. invento Londini in Regia Bibliotheca Patricius Junius edidit. Stylus ejus, inquit Photius clarus, & simplex est, & qui ad modum loquendi Ecclesiasticum, & minime affectatum veterum Christianorum accedit. Posset fortasse quisquam in ea reprehendere, quod mundorum in ea legitur trans Oceanum positorum; quod de unitate, & longævitate Phœnicis argumentum sumit, nec de Filio Dei satis propriè, ac sublimiter videtur loqui. Hæc Photius, quorum primum invenitur in capite ejus primæ epistolæ vigesimo, ubi sic dicitur. Oceanus impermeabilis est mortalibus; & qui trans ipsum mundi sunt, qui tamen divinæ providentiæ legibus subsunt, ac reguntur. His porro citatis verbis, ita Origenes loquitur in 3. cap. 2. περ αρχ. Clemens Apostolorum discipulus eorum meminit, quos Greci Αντιχθονας vocant, id est terrarum nobis oppositarum incolas, & earum orbis terræ partium, unde neque eorum ad nos, nec nostrorum ad illos est transitus . . . Mundos autem appellans significare voluit omnem creaturarum cœlestium, & supercœlestium, terrenarum, & subterranearum universitatem, unum integrum & absolutum mundum universim vocari, a quo, & intra quem alii, siqui sunt, continentur. In quo sensu si accipiantur verba Clem., nihil dixisse videtur absurdum, immo ejus Philosophiam longè magis rationi, & veritati consonam fuisse, quam eorum qui regiones aliquas ultra Oceanum esse, aut ab hominibus incoli posse negaverunt, novi Orbis inventione manifestissimè probatum est.

2. Phœnicis porro similitudine nonnulli alii ex Patribus usi sunt, eam in argumentum adducentes, sive quod reapse avem illam extitere crediderint, sive quia ad Paganos talia credentes loquebantur, quo etiam sensu eadem comparatione usus est Job apud Vulgatum Interpretem.

3. Quod

3. Quod ad tertium attinet, certum est quidem expressam, & apertam Divinitatis Christi mentionem ibi non fieri, nec tamen id argumenti sui ratio poscebat, tamen eam satis insinuasse videtur Redemptorem humani generis, ac Dominum appellans Christum; nec ibi quicquam legitur, ex quo possit contrarium effici, ut idem observavit Photius. Et hoc quidem accusationis caput omnibus fere Patribus, qui ante Nicœnam Synodum scripserunt, videtur esse commune, ut cum multis aliis observabat Petavius, & alibi adnotavimus. De cætero ejus Epistolæ meminit Irenæus lib. 5., & Clemens Alexandrinus in 1. Stromat., ubi & verba adducit, quæ habentur in 18. ejusdem capite. Eusebius omnium communi judicio receptam esse inquit, illustrem, atque admiratione dignam vocat, & publicè in Ecclesiis legi solitam fuisse scribit adducto ad rem eandem Dionysii Corinthii testimonio. Cyrillus Hierosolimitan. Catech. 18. Phœnicis similitudinem ex ejusdem Epistolæ cap. 25. adducit. Epiphanius in Panario hær. 27. ex cap. 54. testimonium profert, sicut Hieronym. in Isaiam ex cap. 16. In Catalogo item virorum Illustr. utilem valde Epistolam vocat, & ei quam ad Hebræos Paulus scripsit, sententiis, & stylo simillimam.

4. Secunda porro ejusdem Clementis ad Corinthios Epistola, inquit Photius in Biblioth. perfectæ vitæ instructiones, ac documenta continet: statim a principio Christi divinitatem fatetur apertissimè, nisi quod tanquam Scripturæ testimonia, nonnulla profert, quæ reapse non sunt, de quo etiam in prima illa Epistola nonnihil. Hæc Photius, qui tamen secundam hanc epistolam spuriam existimat, in qua etiam fuisse opinione videntur Hieronymus in Catalog. & Eusebius in 3. Histor. cap. 22. Hic enim vero non suppositam Clementi Epistolam disertè scribit, sed non ita universim probatam, atque acceptam, quippe ex qua nullus veterum testimonium aliquando usurpasse invenitur. Hujus Epistolæ nonnisi fragmentum superest. Quamvis autem nonnullas alias Clemens Epistolas scripserit, quod ex Eusebio, Photioque didicimus, quæ tamen ejus nomine circumferuntur, apocryphæ sunt, atque spuriæ, quod crebri Anachronismi, & mendacia putidissima satis ostendunt.

5. Liber Recognitionum invenitur etiam apud antiquos allegatus sub hoc titulo: Itinerarium Petri, aut circuitus, & Periodus Petri, item Petri cum Appione disputatio. Opus hoc jam Eusebii tempore apocryphum habebatur, scatet enim anilibus fabulis, & erroribus ab Apostolica doctrina alienissimis, ut est apud eundem Eusebium, Hieronymum, & Photium. Athanasius nonnulla ibi reperiri asserit certa, atque a Deo inspirata, quæ excerpta sunt: quo loquendi modo satis innuit, non omnia quæ ibi leguntur, ejusdem conditionis

esse.

esse. Epiphanius in Panario hær. 30. Ebionitas ait, opus illud Clementis corrupisse, & hujus rei ab Clemente ipso fuisse convictos in aliis suis Epistolis, quæ in Sanctis, inquit, Ecclesiis leguntur: item stylum, & fidem Clementis longe distare ait, ab stylo, & fide corruptorum suorum. Ruffinus ipse qui opus illud Latinum fecit, fatetur in præfat. ad Gaudentium, ejus operis varias, & multum inter se discrepantes scriptiones circumferri. In libro quoque de adulter. libr. Origenis Petrum ait, ab Clemente ibi loquentem induci, sicut ipse loqueretur Eunomius, filium Dei factum asserendo, & ex non exstantibus ad exstantiam extractum; Dæmonum pravitatem non voluntati, sed naturæ tribuere: multa alia pergit, ibi leguntur ab Eclesiæ Catholicæ doctrina nimium abhorrentia. Credendum est igitur, inquit, perversos, ac sceleratos homines, ad suorum errorum confirmationem, sub Sanctorum virorum nomine multa inseruisse, & vulgasse valde ab iis diversa, quæ ipsi scripserunt, ac crediderunt. Hæc Ruffinus. Est igitur certum habendum I. librum aliquem de hoc argumento, ac titulo ab Romano Clemente scriptum fuisse, ex quo Origenes hom. 35. in Mathæ. verba quædam adducit, quæ in libro ejus operis septimo leguntur. Tenendum II. opus Recognitionum, sicut hodie exstat inter opera Patrum Sæculi Apostolici, quæ collegit, vulgavitque Cotelerius, vitiatum prorsus esse, atque omni auctoritate carere.

6. Id ipsum tenendum est, inquit Bellarmin. de Script. Eccl. de Constitutionum Apostolicarum libris octo. Multa in iis utilia, & ideo ab antiquis Græcis magno in honore hujusmodi constitutiones habitæ; Recentiores autem in Trullana Synodo easdem, uti ab Hæreticis corruptas, atque interpolatas rejecerunt canon. 2. Hæc eadem Baronii ad ann. Christi 32., & Petavii in notis ad Epiphan. sententia est. Natalis Alexander in dissert. ad 1. sæculum vigesima nona quum ex veterum silentio, tum ex multis erroribus, atque incohærentibus doctrinis probat Clementis nomine indignas. Quum igitur Epiphanius, quum Photius, atque alii Apostolicas Constitutiones laudant, aut Clementi Romano tribuunt, intelligendi sunt de sinceris illis, & germanis, quales tunc forte exstabant, non de adulterinis illis, ac nothis, quæ hodiè circumferuntur, & in quarum commentariis oleum, atque operam perdidit Franciscus Turrianus. Dubium est autem an hoc idem sit opus, quod Athanasius in Synops. doctrinam Apostolicam appellavit. Nam quas Clementinas ille vocat, Cotelerius eas esse 19. Homilias arbitratur, quæ Clementis ejusdem nomen præ se ferunt. Has tamen omnes, sicut & Lyturgiam, & Synopsim de Gestis S. Petri Critici omnes ut Spurias rejiciunt.

§. III.

§. III.

S. Polycarpus.

Hujus S. Martyris exstat una ad Philippenses Epistola, quam cum aliis PP. Sæculi Apostolici operibus edidit laudatus Cotelerius. Fere ab omnibus legitima censetur. Ejus meminerunt Iren. in 3. ad vers. hæres. Eusebius in lib. Histor. 5. & Hieronym. in Catalog. qui valde utilem Epistolam vocat. Photius in ea cum utilitate, & puritate doctrinæ styli Apostolici claritatem, & simplicitatem observat. Habetur etiam de ejus Martyrio, Smirnensis Ecclesiæ, cujus Episcopus fuerat, ad Ponti Ecclesiam epistola, cujus meminit Eusebius, habetque authoritatem.

§. IV.

S. Dionysius.

1. Dionysii Areopagitæ nomine diversi insigniuntur Tractatus, quos styli uniformitas, ejusdem ingenii fœtus esse apertissimè convincit. Sunt autem de Cœlesti Hierarchia, de Ecclesiastica Hierarchia, de Divinis Nominibus, de Mystica Theologia, decemque Epistolæ. In undecim primoribus sæculis præter Anonymum quendam, quem ut scribit Photius, (*In Bibl. cod. 1.*) Theodorus Presbyter confutavit, nemo de horum librorum authentia dubitaverat, usque ad Erasmum, & Lutherum. Hos sequuti sunt Protestantes fere omnes, & inter Catholicos nonnulli insignes Critici, Launojus, Morinus, Lequienius, Valla, Cajetanus. Dallæus Calvinista scribit ante annum 630. neminem Catholicorum Dionysium eorum operum authorem agnovisse; sed in hoc fallitur. Leontius enim Bizantinus librum de divinis Nominibus Dionysio tribuit in 2. contr. Nestor. Ephremus Antiochenus Patriarcha idem præstitit in Ep. Apologetica Concilii Chalcedonensis: uterque autem tanquam ex Authore antiquo, & satis noto expromit testimonium: Librum de Cœlesti Hierarchia eidem Dionysio tribuit Andreas Cæsariensis in decimum Apocal. caput: Joannes Scythopolita ejusdem Dionysii libros scholiis illustravit teste Anastasio Biblioth. in epist. ad Carol. Regem; at hi omnes Catholici sunt, & sexto sæculo antiquiores. Quod si illorum operum scriptor vixisset annum circiter 520., ut Dallæus scribit, non fuissent intra annos paucos ea opera aliorum Scholiis, & Commentariis illustrata. Commentariis enim hujusmodi & Scholiis ea tempestate illustra-

lustrari non solebant nisi Scriptorum clarissimorum, & antiquitate commendabilium opera. Verum quidem est, ut fatetur Natalis Alexander, (*Hist. sæc. 1. cap. 12. art. 15.*) a quo prædicta deprompsimus, ante quintum sæculum apud authorem nullum horumce operum mentionem fieri, neque sub Dionysii nomine, nec sub alio quocumque.

2. Constat vero & Maximi Martyris in caput 5. de Cœlest. Hierarch., & Joannis Cyparissiotæ in 1. cap. 1. Decadis testimonio Dionysium Alexandrinum Dionysii Areopagitæ libros suis commentariis illustrasse, quæ uterque legerat, citatque. Floruit autem Dionysius Alexandrinus sæculo tertio: commentaria vero, uti diximus, eo maxime tempore scribi non solebant, nisi in celebres authores, atque antiquitatis approbatione conspicuos: sæculo igitur tertio notissima erant, & probatissima Dionysii Atheniensis opera. Respondet Roncaglia in animadversionibus ad Natalis dissertationem 22. primi sæculi Maximi testimonio non acquiescendum, quoniam nec Eusebius, nec Hieronymus Dionysii Alexandrini opera recensentes hujusmodi Commentariorum meminerunt, neque Dionysius ipse Alexandrinus, quum de Dionysio Areopagita loquatur, aliquorum ejus operum mentionem fecit, ut habet præter alios Dumesnilius. Maximus ergo, inquit, non de Dionysio Alexandrino Patriarcha, sed forte de Dionysio alio Alexandrino, vel de Dionysio Rethore, aut alio quovis Recentiore loquutus est. Hæc tamen responsio non planè difficultatem solvit. Nam quum Maximus Martyr in libros Areopagitæ commentaria scriberet, fieri non potest quin exquireret, evolveretque commentaria, siquæ exstabant, eorum, quos in eodem argumento versatos esse cognoverat. Et quidem si ego, exempli gratia, D. Epiphanii opera scholiis illustranda susciperem, nonne pronum erat ut scirem, Dionysium Petavium eruditas animadversiones in Epiphanium scripsisse? Quod si easdem legens, atque in mearum confirmationem adducens, Dionysium Petavium cum Dionysio Carthusiano confunderem, nonne ignorantissimus, ac negligentissimus haberer jure merito? Tales igitur habeantur necesse est Maximus Martyr, Georgius Pachymeres, Anastasius Sinaita, Joannesque Cyparissiota, qui omnes Dionysio Alexandrino Commentaria in Areopagitam tribuunt, quorum, præter Anastasium, tres reliqui Areopagitæ libros suis adnotationibus illustrandos suscepere.

3. Qui tamen Eusebius, & Hieronymus horum Dionysii Alexandrini Scholiorum non meminerunt? Sed hoc argumentum retorquetur: Si enim nusquam talia Scholia exstiterunt, turpissime decepti, ac mentiti sunt S. Maxim. S. Anastasius, & citati reliqui. Si extiterunt, & non ab Alexandrino Dionysio, detur nobis author aliquis, quam-

quamvis non Maximo, authoritate, & doctrina comparandus, qui alteri Dionysio vendicaverit. Dicetur, Dionysio Rhetori ea scholia tribuenda, quoniam Maximus è Rhetoricorum schola eum dicit fuisse. Sed quis iste Dionysius Rhetor fuit, qui Magnus Dionysius appellari meruerit, præter Alexandrinum illum Origenis auditorem? Quis alius fuit Dionysius Alexandrinus Patriarcha ab tertio usque ad 7. sæculum, in quo Maximus vixit, & in quo expugnata ab Saracenis Alexandria, fere Patriarchatus Alexandrinus exspiravit? Legatur index eorum Patriarcharum, quem ex Nicephoro, & antiquis, Doujatius, & alii contexuerunt. Asserit Maximus: quid interest utrum sileat Eusebius? Nam Hieronymus fere nullius Scriptoris meminit præter adductos ab Eusebio, ut ipse fatetur. Videnda longa, & erudita dissertatio citati Natalis, (*sec. 1. Dissertat. 22.*) ubi multis Patrum, & Conciliorum testimoniis S. Dionysii Areopagitæ operum sinceritatem probat. Quæ contra opponi possunt, diluerant dum Theodorus Presbyter apud Photium, (*Cod. 1. in Biblioth.*) & Maximus Martyr, multaque alia proponit, ac solvit ipse Natalis. Hujus Scholiastes, aut Corrector potius Roncaglia contrariam tenet sententiam, & Natalis argumentis respondet. Porro eorum librorum nec stylus, nec Chronologia, nec rerum Historicarum notitia cum Apostolico sæculo, in quo Dionysius Areopagita floruit, congruere videntur, unde ex iis adductum ab Severianis testimonium, Catholici, ut apocryphum rejecerunt in collatione sub Justiniano habita anno 533. Nos igitur ea, quam hi libri inter Catholicos habent authoritatem, libenter utemur; quoties tamen eos sub Dionysii nomine allegabimus, intelligendum est juxta vulgarem loquendi modum, sive Areopagita, sive quis sit alius eorum author, de quo non contendimus.

4. Est quidem ille Scriptor, inquit Photius, copiosus quidem verbis, sed speculatione copiosior. Loquendi modus abstractus, Metaphysicus, & sublimis, & qui animum prodit veterum Philosophorum lectioni assuetum, Platonis præsertim, & Aristotelis, sed primo addictiorem. In omnibus libris suis, inquit D. Thom. in præf. ad Expositionem libri de Divinis Nomin. obscuro utitur stylo, quod quidem non ex imperitia fecit, sed ex industria, ut sacra, & divina dogmata ab irrisione infidelium occultaret. Accidit etiam difficultas in prædictis libris ex multis. Primo quidem quia plerunque utitur stylo, & modo loquendi, quo utebantur Platonici, qui apud Recentiores non est in usu . . . Secunda, quia plerunque rationibus efficacibus utitur ad ostendendum propositum, hasque paucis verbis, vel etiam uno eas complectitur . . Tertia quia utitur quadam multiplicatione verborum, quæ licet superflua videantur; tamen diligenter considerantibus, magnam continere inveniuntur profunditatem

sen-

sententiæ. Hæc sunt D. Thomæ, qui etiam adnotavit eundem quandoque in rebus Theologicis exponendis Platonizare, uti quum de corporeitate Dæmonum, quod item de Ideis Divinis agens observavit Petavius.

§. V.

Ignatius M.

Hujus viri perillustris nomen præferunt Epistolæ quindecim: ad Virginem Dei genitricem una, ad Joannem Evangelistam duæ, quas in Catalogo M.SS. Ecclesiæ Bellovacensis inventas fuisse dicitur Lugduni in Gallia tempore Concilii sub Innocentio IV. celebrati, ab Græco in latinum sermonem translatas. Bernardus tamen eo Concilio antiquior earum meminit serm. 7. in psalm. 90. Communi Criticorum sententia apocryphæ habentur, sive magno authori suppositæ sicut aliæ quinque ad Mariam Cassabolitten, ad Heronem, ad Farsenses, ad Philippenses, ad Antiochenos. Reliquarum septem meminit Hieronymus in catal., nimirum, ad Ephesios, Magnesianos, Trallianos, Romanos, Philadelphos, & Smyrnæos, cum quadam singulari ad eorum Episcopum Polycarpum. Hæ septem Græco latinæ habentur in Bibliotheca Patrum; ibi tamen interpolatæ partim, & corruptæ videntur. Est alia Græca editio ab Isaaco Vossio procurata ex M. S. Mediceæ Bibliothecæ, alia pura Latina, quam Usserius Armachanus evulgasse dicitur ex inventis in Anglia M. SS. Hæ septem habentur sinceræ. De Scriptis Ignatii singularem dissertationem habes apud Natal. Alex., quæ est 23. ad sæcul. prim.

§. VI.

Papias.

Hieropolitanus in Phrygia Episcopus librum composuit, cui titulus Expositio Verborum Domini. Hic inquit Eusebius, ex quibusdam malè intellectis Apostolorum, & Apostolicorum virorum narrationibus, & sententiis, quum sensum earum mysticum, & allegoricum ab litterali, & historico distinguere nesciret, millenarii Christi in terris post resurrectionem universorum fuit inventor. Erat enim, ait idem Eusebius in histor. lib. 4. cap. 3. curto, & minus quam mediocri præditus ingenio, ut ex suismet scriptis facilè colligitur.

§. VII.

Quadratus, & Aristides.

1. Primus edidit quandam pro Christiana Religione Apologiam, quam obtulit Adriano Augusto, cujus cum laude meminerunt Eusebius, (*l. 4. c. 3.*) & Hieronymus. (*In Catal. Script. Eccl.*) Hic tamen Quadratum hunc cum alio confundit Atheniensi Episcopo, qui paulo post Antonino imperante floruit.

2. Laudant quoque iidem Authores (*l. 3. c. 23. in Catal. Script. Ecc. cap. 31.*) Aristidem alterius similis Apologiæ scriptorem, qui veterum Philosophorum testimoniis Idolorum cultum evertere, & Christianæ Religionis veritatem, atque honestatem conatus est demonstrare.

§. VIII.

S. Justinus M.

1. Duas hic Apologias pro Christiana Religione scripsit, primam Antonino Pio, secundam ejus successoribus dedicavit M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo. Item duas Pareneses, sive Exhortationes ad Græcos, quas Eusebius, (*l. 4. c. 17.*) & Hieronymus (*In catal. Script. c. 34.*) vocant libros contra Gentiles, tum Dialogum Ephesi habitum cum Tryphone Judæo. Photius (*In Bibliot. Cod. 125.*) ex Eusebio multa alia, quæ nunc non exstant, ejusdem scripta commemorat, ut librum de Monarchia, Psaltem, Commentarium de Anima, libros contra Marcionem, & contra omnes hæreses, quorum ipse Justinus meminit in his, quæ nunc exstant, legitimis ejus operibus. Tractatum item contra primos duos Aristotelis libros de Physico Auditu, & breves responsiones ad aliqua de religione quæsita. Eusebius Justinum appellat hominem accuratissimè eruditum, & diligentissimè versatum in cognitione Scripturarum, ejusque libros ad omnis generis instructionem utilissimos. Pro illis tamen qui temporum injuria perierunt, alii sub ejus nomine hodie circumferuntur libri. I. Quidem: impugnatio libri Aristotelis de Cœlo, & librorum de Physico auditu præter 7. & 8. II. Liber de Monarchia. III. Quæstiones ad Paganos propositæ, eorumque responsiones confutatæ. IV. Expositio fidei circa Sanctam Trinitatem. V. Quæstiones ad orthodoxos. Omnia tamen hæc opera supposititia habentur. Primum quoniam Justinus duos primos solum ex Physica Ari-

Aristotelis libros confutavit, ut est apud Photium. 2. quoniam opus Sancti Justini inscribebatur de Monarchia Dei, quam multis, ait Hieronymus, librorum sanctorum testimoniis probabat. Horum autem nihil invenitur in eo, qui apud nos exstat de Monarchiæ libro. Tertium abjicitur, quoniam in eo Manicheismi posterioris Justino fit mentio. Quartum, quoniam ibi vox ὁμοούσιον invenitur, & sententiæ ferè ad verbum desumptæ ex Symbolo Nicœno, atque Athanasiano. Tractatus tamen hic antiqui, docti, atque orthodoxi authoris est, & non exiguæ authoritatis. Super libro ad orthodoxos major est ambiguitas. Dubitant enim nonnulli an hoc opus illud sit quod Photius Justino tribuit sub titulo Brevium Responsionum ad nonnulla de Religione quæsita. Sed quì fieri potuit, ut Justinus Manicheismi posterioris, & Irenæi, & Origenis item posteriorum meminerit, ut ὁμοούσιον, & ὑπόστασιν pro persona usurpaverit, quin id Photius oculatissimus, & rigidissimus Criticus animadverterit? Accedit & maxima styli diversitas. Photius enim de Justino loquens, Vir hic, ait, summe eruditus fuisse deprehenditur quum in Christiana, tum in Pagana Philosophia, omni abundans eruditionis genere, & historiæ copia; non tamen Rhetoricorum flosculis nativam suæ Philosophiæ pulchritudinem ornare studuit. Quapropter ejus stylus, quamvis gravis, ac nervosus, & scientificæ, atque concisæ loquutionis observantissimus, non Rhetoricam fragrantiam redolet, neque quæsitis ornamentis, ac verborum illecebris lectorum animos captat. Hæc Photius. At quæstionum ad orthodoxos accuratior, & politior est dicendi ratio.

2. Duæ quoque Epistolæ circumferuntur Justini nomine. Alia quidem ad Zenum, & Serenam, quæ communius habetur pro spuria. Altera ad Diognetum, quæ Justino indigna non est, inquit Natal. Alexander, (*sæc. 2. cap. 4.*) nec ullo argumento ipsius non esse probatur præter silentium antiquorum, quod tamen probationis genus elumbe est. Hæc Natalis. Sed hujus Epistolæ stylus floridus, estque elegans; author se discipulum Apostolorum vocat; de Religione Christiana tanquam de recenti loquitur, & suis diebus nata: Judæos ait, victimarum sanguinem Deo offerre, quod tamen post urbis, ac templi excidium cessaverat. Quibus omnibus additum Veterum silentium non levia sunt momenta ad ejus Epistolæ αὐθεντείαν negandam, quidquid Budæus, & Basnagius dicant. Joannes Harduinus præter Dialogum cum Tryphone, omnia, quæ Justini nomine circumferuntur, respuit. Notandum in omnibus, aut ferè omnibus Justini editionibus, quæ prima ponitur Apologia, eam secundam esse.

§. IX.

Tatianus, Egesippus, Melitho.

1. De Tatiano, & ejus operibus dictum supra est Prolegom. 2. Egesippi Historia Ecclesiastica, atque Melithonis Sardensis scripta omnia perierunt cum magna Ecclesiasticæ eruditionis jactura, brevibus quibusdam fragmentis exceptis, quæ apud Eusebium, & alios ex Antiquis inveniuntur. Melithoni tribuitur Tractatus quidam de Dormitione, aut Transitu Virginis, quem Gelasius Papa inter Apocrypha numeravit, & Beda manifestum Impostorem vocat in 8. cap. Act. Ap. Enimvero si Melithonis Sardensis opus illud fuisset, magnam habuisset apud veteres authoritatem, nec ullus de ejus veritate dubitasset. Et quum author ille apertissime scripserit Beatissimam Dei genitricem in corpore, & anima ad cœlum assumptam, nemo unquam id inficiatus esset. At antiqui Patres hac super re, aut omnino silent, aut non nisi timidè, ac dubitabundi loquuntur. Epiphanius hær. 78. Sive igitur mortua, sive sepulta sit, nescimus. Ildephonsus, quo fortasse nemo Sanctorum in Virginis laudes effusior, ac fervidior, in serm. 6. de Assump. V. Nonnulli, inquit, affectu devotionis ducti libenter amplectuntur opinionem dicentium hodierno die in corpore, & anima ad cœlum assumptam. Quod quidem, quamvis credere pium sit, non tamen asserere aut debemus, aut possumus, ne videamur dubia pro certis tradere. Hæc Ildephonsus, quibus similia Usuardus in Martyr. ad d. 15. Aug. Ado quoque in lib. de festiv. ad 6. Id. Septemb. & citatus Beda.

2. Opponi tamen possunt Patres nonnulli qui gloriosam B. Virginis resurrectionem, & Assumptionem videntur asseruisse, quorum primus Dionysius in 3. de div. nomin. cap. 3. qui cum Jacobo, & aliis ad contuendum corpus illud, quod vitæ initium dederat, & Deum in se susceperat, se convenisse testatur. Idem Gregorius Nazianzenus in Tragæd. Christus patiens. Gregorius Turonens. in 1. de Mirac. c. 4. Gregor. Magn. in Sacramentar. ad diem 18. Kal. Septemb. Accedunt sermones duo, quorum alter Hieronymo, alter Augustino tribuitur, quos inter alia adducit D. Thomas, & ex quibus desumptæ lectiones dicebantur in festo Assumptionis in Breviar. Ord. Prædic. confirmare id quoque videtur nomen Assumptionis, quod non proprie dici videtur de sola anima in cœlum eunte, ut Azorius, & Suarius observarunt. Affertur denique testimonium Joannis Damasceni orat. 2. de Dormitione Deiparæ ex qua habentur lectiones in Brev. Rom. ad 18. Augusti, 4. infr. Octav. Assumpt.

3. Hæc

3. Hæc tamen omnia rem non conficiunt. Non primum. Quoniam quæ dicuntur Dionysii opera, Sanctissimi illius Patris fœtus non esse, communior est Eruditorum sententia, de quo supra. Deinde non satis constat an Dionysius, sive quis est author scripserit σῶμα corpus, an σῆμα sepulchrum. Et hoc quidem verosimilius videtur, nam si de Virginis corpore loqueretur, verbum aliquod addidisset vel de pretiosa ejus morte, vel de gloriosa resurrectione. Item addit author: post contuitum placuit omnibus divinæ imbecillitatis infinita potentia præditam bonitatem collaudare: Divina autem imbecillitas, sive summa abjectio ad quam nostra salutis causa filius Dei descendit, mors fuit, & sepulchrum Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia. Quæ autem bonitas divina imbecillitatis in glorificatione Virginei corporis? Deinde quamvis Pseudo Dionysius, non σῆμα, sed σῶμα scripserit, ut post Nicephorum, & Damascenum communiter legitur, nihil inde concluditur. Nam author ille se corpus vidisse testatur, sed neque non vidisse, quia resurrexerat, neque postea resurrexisse dixit; quod erat optandum. Denique innumera sunt, ex quibus hujus narrationis nota Grecè scripta convincitur. Nam Dionysius anno post Christi ascensionem 17. Paulo Athenis predicante conversus est ad fidem, virgo autem Sanctissima ann. post ascensionem 15. ætatis suæ 63. ex hac vita migrasse communis est opinio: qui ergo B. Virginis funeri interesse potuit. Item Timotheus Pauli discipulus diem obiit, ante scriptam: Ignatius paulo ante mortem, quum jam Romam pergeret tradendus bestiis Epistolam ad Romanos scripsit, id est, sub Trajano; sed Dionysius sub Domitiano vivere desierat: non igitur potuit Dionysius Epistolæ Ignatianæ ad Romanos mentionem facere; at fecit. Dices Dionysium non sub Domitiano, sed sub Adriano vitam finiisse. Sed hoc I. denuo inventum videtur contra antiquiorum authoritatem ad vim argumenti eludendam. II. Quamvis Dionysius sub Adriano mortem obierit, at multos ante annos, suos libros in Græcia existens scripserat: id est multo ante Ignatii mortem, & Epistolam ad Romanos, & Evangelium Joannis, & ejus Apocalypsim, & errorem Millenariorum, quem Papias induxit III. Timotheus Pauli discipulus ante scriptam ab Ignatio Epistolam ad Romanos diem obierat, ut Ignatius ipse testatur; sed liber de Divinis nominibus, ut est apud Suidam, & in antiquioribus editionibus invenitur scriptus ad Timotheum Ephesiorum Episcopum: ergo ante Ignatii mortem scriptus est: ergo Ignatianæ Epistolæ ad Romanos meminisse non potuit neque quum ipsam scripsit, neque quum ipsi, ut vult Natalis ultimam manum imposuit, quod arbitrarium est. IV. Quid quod Dionysius Timotheum prius ad

R 4 fidem

fidem vocatum, Episcopumque filium vocat, quod est omnino a more veterum Patrum alienum? Dices Timothcum ad quem liber de divinis nominibus inscriptus, non esse Pauli discipulum, sed posteriorem alium. Sed contra est Damascenus inquiens: Aderant Timotheus, primus Ephesiorum Episcopus: ergo vel Damasceni, vel Dionysii authoritas vacillat. Equidem scio quantos pro horum, & aliorum solutione pannos assuant, hujus, & aliorum Dionysianorum operum defensores; sed ut verum fatear, nihil ad gustum. Notandum hic obiter quod quamvis Suarius, & alii scripserint, corpus illud quod Deum conceperat, in quo casu non nisi de corpore Virginis intelligi posset, tamen hæc lectio nec Damasceno, nec ipsi Grœco textui conformis est, neque in hoc fidem aliquam facit Suarii viri alioqui præstantis testimonium. Statutum ergo, Sanctumque esto. I. Libros, qui Dionysii dicuntur, sancti Areopagitæ non esse. II. Locum ex 3. cap. libri de div. nom. de sepulchro Christi, non de Virginis corpore intelligendum esse III. quamvis de Virginco corpore loqueretur, ne verbum ibi quidem de Resurrectione, aut gloriosa assumptione haberi. Et de primo quidem argumento satis.

4. Ad 2. ex verbis Gregorii Nazianzeni dicitur I. Tragædiam de Christo Patiente non Gregorij Nazianzeni, sed Apollinarii Laodicensis esse, ut communis est Criticorum sententia. II. Ille author solum ait. B. Virginem jam mortalitatis sordibus liberatam, & stola immortalitatis indutam, quod etiam ante corporis resurrectionem de quavis beata anima potest, ac dici consuevit.

5. Ad 3. dicitur, Gregorium Turonensem eam historiam desumpsisse ex supposititio Melithonis opere, atque propterea non majorem illo fidem mereri. Certè Ven. Beda quum multis Pseudo Melithonis librum confutasset, hæc subjungit. Hæc ideo commemorare curavi, quia nonnullos novi præfato volumini incauta temeritate fidem adhibere. Hinc Notkerus Sangallensis Abbas, quum ex Gregorio Turonensi historiam de Obitu Virginis in suo Martyr. ad duxisset, hæc adnexuit: Hoc tamen certissime cum universali Ecclesia & credimus, & confitemur, quia si reverendissimum illud corpus, ex quo Deus est incarnatus, adhuc alicubi in terra celatur, revelatio utique illius ad destructionem Antichristi reservatur.

6. Ad 4. dicendum, præfationem, quam Gregorius Magnus ad diem Assumptionis assignat, probare quidem ejus festivitatis antiquitatem, quam Azorius paulo post Ephesinum Concilium institutam putat, & quod est apud Nicephorum, nimirum Mauritium Imp. festum illud celebrari jussisse ita intelligendum est, ut diem 15. Augusti in tota Imperii ditione festum, & sacrum haberi decreverit, pub-

publico, & solenni edicto. Nec tamen festi celebratio, neque antiqua illa Gregorii præfatio B. Virginis Resurrectionem, & corporis in cœlum assumptionem probant. Ibi enim solum dicitur Virginem Sanctissimam mortis nexibus depressam non fuisse, nec enim beata anima mortis nexibus constringitur, aut depressa jacet.

7. Quintum desumebatur ex Hieronymi, & Augustini sermonibus in festo Assumptionis. Sed hos sermones eorum Patrum non esse constat inter eruditos etiam Scholasticos, uti Azorium, & Suarium. Quoniam tamen, etsi Hieronymi, atque Augustini non sint, sunt tamen satis antiqui, & non contemnendæ authoritatis, dicitur secundo in his sermonibus nihil de hac re, nisi dubitando, & conjiciendo pronunciari. Patet id ex verbis sermonis illius qui Hieronymo adscribitur, ibi: *Ne forte si veniat in manus vestras Apocryphum illud de Transitu Virginis, dubia pro certis recipiatis, quod multi Latinorum pietatis amore amplectuntur, . . . quum inde nihil pro certo haberi possit, nisi quod hodierna die gloriosa migravit è corpore . . . . . Hæc ideo dixerim quia multi nostrorum dubitant, utrum assumpta fuerit simul cum corpore, an abierit, relicto corpore. Quomodo autem, quo tempore, vel a quibus sanctissimum corpus inde ablatum fuerit, vel ubi transpositum, utrumve resurrexerit, nescitur, quamvis nonnulli eam jam resuscitatam; . . . quod & de B. Joanne Evangelista plurimi asseverant. . . . Veruntamen quid horum verius censeatur, ambigimus. Melius tamen Deo, cui nihil est impossibile, totum committamus, quam ut aliquid temere definire velimus authoritate nostra, quod non probemus.* Ex hoc igitur sermone quamvis Hieronymi sit, nihil concluditur.

8. Alter vero, qui Augustino tribuitur, in eadem est sententia. Inquit enim: *Quantum intelligo, quantum credo, Mariæ anima claritate fruitur Christi... possidens in eo corpus suum quod genuit clarificatum ad dexteram Patris. Corpus inquam, suum quod genuit, & si non suum per quod genuit. Et quare non suum, per quod genuit? Si non obviaverit necdum perspecta authoritas, verè credo, & illud per quod genuit, quia tanta sanctificatio cœlo dignior, quam terra est.* In alio item sermone pariter Augustino adscripto, qui in nonnullis M. S. dicitur esse Fulberti Carnotensis, & in Brev. antiquo F. F. Prædic. dicitur Alcuini, ita habetur: *Moventur nonnulli, quoniam nec corpus ejus in terra invenitur, nec assumptio ejus cum carne, ut in Apocrypha legitur, in Catholica reperitur historia . . . . Neque dignum est de corporis ejus notitia sollicitum quempiam esse, quam non dubitet super cœlos elevatam cum Christo regnare. . . . Sed nec invenitur apud Latinos aliquis Tractatorum de ejus morte quidpiam aperte dixisse . . . . Sed quid de his loquor? quum nec*

ipse,

ipse, qui illam accepit in sua, Joannes Evangelista, de hoc posteris aliquid scriptis mandaverit? Nemo enim hoc fidelius narrare potuit, si illud Deus manifestare voluisset . . . Restat ergo ut homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus manere voluit occultum. Vera igitur de ejus Assumptione sententia, hæc esse probetur, ut sive in corpore, sive extra corpus ignorantes, assumptam super Angelos eam esse credamus: Ex illis ergo sermonibus, qui Augustino tribuntur, Virginis in carne ad cœlum assumptio non probatur.

9. Sexto loco argumentabantur Azorius, & alii ex nomine assumptionis, quo hoc festum nominatur; sed hoc nihil est. De quocumque enim ex hominibus ad cœlum translato, quamvis non in carne, proprie dicitur: assumptus est. Unde Gregorius Turonensis diem S. Aviti emortualem, vocat: Anniversarium assumptionis S. Aviti. Et Eusebius de morte Constantini loquens; Imperator, inquit, ad Deum suum assumptus est. Et in citata Epistola Pseudo Augustini dicitur, sive in corpore, sive extra corpus nescientes, assumptam super Angelos credamus: Assumptio igitur æque dicitur sive in corpore sive extra corpus.

10. 7. loco opponebatur authoritas Damasceni, de qua dicendum est, Damascenum unum ex his fuisse, qui librum de Transitu Virginis credidit a Melithone scriptum, sicut Gregorius Turonensis. Concludamus ergo cum Usuardo in Martyr. ad 18. Kal. Septembris Dormitio sanctæ Dei genitricis Mariæ, cujus corpus etsi non invenitur in terris, tamen pia mater Ecclesia ejus venerabilem memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis migrasse non dubitet. Quo autem Venerabile illud Spiritus Sancti templum nutu, & consilio divino occultatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quam aliquid frivolum, & apocryphum inde tenendo docere, quibus similia scribit Ado. Tanta enim est in Catholicæ Ecclesiæ (inquit. Guibertus Novigensis) (*L. de Pignoribus Sanct. c. 4.*) ore pudicitia, ut etiam Matris Domini corpus resurrectione glorificatum dicere non audeat, ob hoc videlicet quod necessariis argumentis comprobari non valeat.

11. Hæc autem dicta sint occasione operis Melithoni Sardensi affictì. Tamen opinio de Resurrectione, & gloriosa Assumptione Mariani corporis non solum pia est, & longe probabilior opposita, verum etiam propter antiquitatem Traditionis, propter consensum omnium Scriptorum Ecclesiasticorum ab sexto sæculo, & omnium Theologorum Scholasticorum, immo & omnium Catholicorum, qui hoc sensu, atque spiritu diem Aug. 15. venerantur, ac celebrant, ad eum ascendit certitudinis gradum, ut non solum temerarium, sed impium fuerit contrarium tueri. Sed ad nostra redeamus. Vide quæ in lib. 17.

§. X.

§. X.

Theophilus, *Athenagoras*, *Serapio*.

1. Primus Antiochenæ Ecclesiæ præfuit tempore M. Antonini Veri, tresque libros scripsit ad Autolycum in quibus Paganorum contra Christianam Religionem calumniis respondet, opus est solida, & multiplici eruditione refertum: argumentandi modus nervosus, & clarus. Nonnulla alia edidit, quæ jam non exstant. In primo tomo Bibliothecæ PP. invenitur sub hujus Patris nomine Tractatus Allegoriarum in quatuor Evangelia. Hic autem liber ille esse videtur, de quo, sicut etiam de Commentario quodam in Proverbia dixit Hieronymus (*In Catal. de Script. Eccl. c. 36.*) multum eos ab aliorum Theophili scriptorum stylo, atque elegantia diversos esse.

2. Athenagoras sub M. Aurelio Antonino, & L. Aurelio Commodo, gravem, doctamque scripsit pro Christiana Religione Apologiam, Tractatum item de Resurrectione: utrumque opus exstat etiamnum in laudata Bibliotheca, & in utroque varia authoris eruditio, styli candor, & acumen in genii elucet, cum gravi quadam, & Christiana elegantia. Ejus non meminit Eusebius, atque adeo nec Hieronym. Illius testimonio non semel in sequentibus utemur.

3. Serapio Episcopus Antiochenus Commodi Aug. ætate Epistolas scripsit ad Pontium, & Charinum, quibus Marcionis hæresis confutatur. Item librum contra Domnum quemdam, librumque de Evangelio Petri, in quo opus illud Apocryphum impugnavit. Hujus fragmentum invenitur in lib. 6. Eusebianæ historiæ, cap. 10. Nos infra de Traditionibus agentes, ejus testimonium adduximus.

§. XI.

Irenæus.

1. Lugdunensis Episcopus præter alia, quæ ex toto, aut majori ex parte perierunt, de quibus Eusebius, (*l. 5. c. 9.*) & Hieronymus (*de Script. Eccl. c. 46.*) meminerunt, scripsit libros quinque adversus hæreses doctrina, atque eruditione copiosos. Græcè quidem ille scripsit, sed Græca non exstant, nisi prima duodeviginti primi libri capita, quæ suo Panario inseruit Epiphanius. Quis, & quando Irenæi libros in Latinum sermonem converterit, ignotum est. Versio illa quidem antiqua, & satis rudis habetur in Edit. Coloniensi ann. 1596, quæ Francisci Fevardent. opera prodiit. Tertullianus Irenæum

næum vocat curiosissimum omnium doctrinarum exploratorem, qui adversus omnes hæreses, ut Hieronymus inquit, libros doctissimo, & eloquentissimo sermone composuit. Magdeburgenses Centuriatores ei, sicut & Justino errores multos imputant, ab quibus eos pro virili vindicat (*Nat. Alex.*) singularibus, ac doctis dissertationibus sexta, & 7. ad Sæcul. 2. Negari tamen non potest eos circa corporeitamem animarum, & Angelorum, de Regno Christi in terris; non satis correcte loquutos, ut de his, & aliis fortasse quibusdam suis locis palam fiet.

§. XII.

Clemens Alexandrinus

1. Titus Fabius Clemens, vulgo Alexandrinus, quod ea in urbe claruerit, & celeberrimam Christianæ Philosophiæ scholam rexerit, Atheniensis fuisse creditur, Pantæni auditor, & Præceptor Origenis, Severique, & Antonini ejus filii ætate floruit. Maximus Martyr eum Philosophum Philosophorum vocat, de ipsoque loquens Hieronymus: (*Epist. ad Magnum*) Clemens, ait, Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, vir meo judicio, omnium eruditissimus octo scripsit Stromatum libros .... Quid in illis indoctum? Immo quid non e media Philosophia est? Et Cyrillus Alexandrinus: (*l. 6. cont. Julianum Col. 1.*) Clemens Sanctos Apostolos ubique sequitur, & infinitas Græcorum historias evolverat. Ejus exstant Græcè, & Latinè ex interpretatione Gentiani Herveti. Stromaton libri octo, Pædagogi libri tres, Protrepticon, sive Exhortatio ad Gentes. Grecè tantum Eclogæ, & ex Theodoti doctrina Epitomæ. Latinè tantum brevia commentaria in aliquas Epistolas Canonicas, quorum meminit Cassiodorus. Gelasius Papa omnia Clementis Alexandrini opera, tanquam Apocrypha respuit, & habetur can. 3. distinct 15. Cassiodorus eum carpit, quasi in quibusdam parum cautè loquutum. Natal. Alexander in 8. ad sæculum 2. dissertatione, quamvis in aliis cum defendere conetur, fatetur de filii Divinitate minus accuratè dixisse, & quæ non facile ad catholicam normam accomodari possint, quod & de aliis Patribus observavit Hieronymus, qui ante Arianam hæresim, inquit, (*Apol. 2. adv. Rufinum*) innocenter quædam, & minus cautè loquuti sunt, & quæ vix possint perversorum hominum calumniam declinare. Videndus Dionysius Petavius in præfat. ad libr. de Trinitate. Tenet Christum non solum decora, & honesta specie non fuisse, verum etiam turpi, atque inhonesta: Christum, unum tantum annum prædicasse: eundem Dominum, & Apostolos ad Inferos descendentes annuntiasse Evangelium mor-

mortuis, & ad fidem pertraxisse multos, qui philosophicam, & rationi conformem vitam duxerant. Censura Gelasij Papæ in Conc. Rom. spectare videtur ad libros Hypotyposeum, qui nunc non exstant, de quibus loquens Photius; (*Biblioth. Cod. 109.*) In quibusdam, ait, rectè quidem sentire visus est; in aliis autem impiè omnino, fabuloseque disserit. Nam & materiam æternam esse asserit, & Ideas veluti certis decretis induci: filium in creatis rebus numerat. Ad hæc animarum transmigrationem, multosque ante Adamum mundos comminiscitur: Evam ex Adamo, non ut Scripturæ tradunt; sed obscœnè atque impiè deducit: Angelos cum fœminis congressos, & filios inde enatos somniat, & alia id genus sexcenta blasphema voce nugatur. Ex his nonnulli colligunt Clementem non satis adhuc in Christiana Philosophia eruditum libros illos scripsisse, quasi Christianam fidem cum Platonicorum placitis, quibus erat imbutus componere conatus. Alii existimant Clementis libros ab Semipagano aliquo fuisse corruptos, idque innuere videtur Photius, qui post præmissa verba subiungit: sive ipse, sive quis alius ejus personam indutus, quibus similia dixit Rufinus observans horum librorum ab cæteris, qui Clementis exstant, discrimen, nam in his omnibus, inquit, Trinitatis gloriam, atque æternitatem designat. Videatur Natal. Alex. dissert. cit.

§. XIII.

Tertullianus, Novatianus.

1. Septimius florens Tertullianus inter Ecclesiasticos Scriptores silentio prætereundus esset, sicut & Novatianus, quippe qui posterioribus scriptis prioribus authoritatem omnem detraxerint, alter Montani sectator, alter primi in Ecclesia Schismatis, & perniciosissimi dogmatis author de quibus in proleg. 2. dictum est. Atque id in causa fuisse existimo, cur D. Thom. Aquinas, vir antiquitatis observantissimus, & qui Paganorum etiam Scriptorum authoritate, ac testimoniis, Tullii, Macrobii, Senecæ modestissimè utitur, Tertulliani, nequidem semel in tam diversis operibus, quod meminerim, loco ullo argumentatus sit, aut sententiam suam confirmaverit. Scripsit Tertullianus de Anima, de Præscriptionibus, libros ad uxorem duos, de Corona, de Pallio, adversus Marcionem, adversus Praxeam, de Carne Christi, de Pudicitia, de fuga in Persequutione, de Jejunio adversus Psychicos, de Monogamia, de Exhortatione Castitatis. Hæc porro postrema quinque opera jam Montanista vulgavit. Natalis Alexander, ab nonnullis erroribus ipsum vindicare conatus est, sicut

 & No-

& Novatiani librum de Trinitate. Nobis satis sit dicere cum Hieronymo: homines illos Ecclesiæ non fuisse.

§. XIV.

Minutius Felix, Hippolytus, Cajus.

1. Primus Apologiam pro Christiano nomine inscripsit in forma Dialogi inter Cæcilium Paganum, & Octavium Christianum, doctam, eruditam, & elegantem, cujus meminerunt Lactant. in 1. Inst. & Hieronym. (*Catal. Script. Ecc. c. 69.*) Nonnulli sunt in eo tamen non satis limati Christiani, errores quos data occasione adnotabimus.

2. Hippolytus genere Arabs sub Alexandro Severo floruit, ab cujus anno primo incipit Canon, sive Cyclus Paschalis annorum sexdecim, quem occasione controversiæ de Paschatis celebratione composuit. Scripsit etiam, Eusebio teste, (*l. 6. c. 16.*) ac Hieronymo (*Cat. Script. Ecc. c. 71.*) librum de consummatione Mundi, & Antichristo, qui Joanne Pico interprete latinè prodiit Parisiis, in quo ait Photius, (*Biblioth. Cod. 121.*) genus dicendi clarum, & perspicuum, sensuumque simplicitas, cum venustate lucet. Hunc librum nonnulli respuunt, uti Casaubonus, & Rivetus quod Antichristum incarnatum Demonem futurum opinetur: Joannem Evangelistam nondum mortuum: animas ante corpora ab sæculo creatas, & hujusmodi quæ humanam potius ignorantiam, inquit benè Photius, quam cœlestem inspirationem arguunt. Porro licet in ejus scriptis quædam reprehensione digna sint, absoluto pro Christi nomine martyrio, ignorantiæ ejus maculam detersit, inquit in hist. Nicephorus. Episcopus Portuensis dicitur fuisse. Quis tamen hic portus. quæve hæc urbs fuerit, Hieronym. se scire non potuisse candidè scripsit. Disputent alii. Demonstratio adversus Judæos, quam Turrianus latinam fecit, Homilia de Trino, & Uno, quam edidit Gerardus Bossius. Tractatus de singulorum Apostolorum prædicatione, & morte, quem e Regia Biblioth. Paris. vulgavit Combesis, & liber de Theologia, & Incarnatione contra Beronem, cujus fragmenta quædam exhibuit Henricus Canisius, S. Hippoliti legitimi fœtus non habentur.

3. Cajus Romanæ Ecclesiæ Presbiter, & Episcopus ad Gentium instructionem sine certà regione ordinatus, ut testatur Photius floruit sub Zephirino Pontifice, scripsitque adversus Proculum, aut Proclum, ut est apud Eusebium, Montani sectatorem doctam disputationem, apud Hieronymum, (*de Script. Ecc. c. 70.*) & Eusebium, (*Hist. Ecc. c. 14.*) ac Photium, (*Cod. 48.*) qui nonnullas alias ipsi adjudicatas lucubrationes recensent.

§. XV.

§. XV.

Ammonius, Julius African., Cornelius Papa.

1. Ammonius Alexandrinus Philosophus Christianus, quem ejus nominis ejurati falso accusavit Porphyrius, Diatesiaron scripsit, sive Harmoniam, aut Consonantiam Moisi, & JESU, & Evangelicos Canones. Harmoniam Zacharias Chrysopolitanus Episcopus, qui duodecimo medio vixit sæculo doctissimis commentariis illustravit. Quæ in Bibliotheca Patrum habetur Harmonia sub Ammonii nomine non esse illius censent viri Eruditi; contra autem ejus esse putant eam quæ tom. 2. habetur sub Tatiani nomine. Id colligunt, quoniam Tatianus quidquid veram Christi humanitatem, & ex stirpe Davidica originem demonstrabat studioso prætermisit, ut scribit Hieronym., (*De Script. Ecc. c. 76.*) non autem prætermisit Ammonius. Item quoniam citatus Zacharias eam Harmoniam quæ ab Lucæ præfatione incipit, & Genealogias continet Salvatoris, Ammonio vendicavit; at ea est, quæ Tatiani nomine circumfertur.

2. Julius Africanus sub Eliogabalo Imp. Romam venit, librosque Cestorum quatuordecim, & Chronicon ab exordio mundi, usque ad Macrini Imperatoris ætatem quinque libris, scripsit. Hujus tam variæ atque utilissimæ Scriptionis nil superest præter fragmenta pauca ex Chronologia, quæ habentur apud Eusebium, (*l. 6. c. 24.*) & Hieronymum, (*De Script. Ecc. c. 54.*) & Epistola ad Origenem super historia Susannæ, quam Julius Apocrypham existimabat.

3. Cornelii Papæ exstant integræ duæ ad Cyprianum Epistolæ inter hujus Sancti opera, & fragmentum ex postrema epistola ex quatuor quas scripsit ad Fabium, vel Flavianum super schismate Novatiani. Epistolæ ad universos Christi fideles, & ad Rufum Episcopum Isidori Mercatoris in Collectione citatæ, itemque Epistola ad Lupicinum Viennensem supposititiæ habentur.

§. XVI.

S. Cyprianus.

Habentur ejus Epistolarum libri quatuor, & nonnulla dispersa opuscula, inter quæ nonnulla supposititia ab omnibus fere habentur, & aliqua dubia. Spuria a plerisque censentur apud Bellarminum opusculum de Virtutibus Cardinalibus Christi per sermones 12. De Aleatoribus: Expositio Symboli: De incredulitate Judaica: de Revelatio-

ne

ne Capitis Sancti Joannis: De Duplici Martyrio: De duodecim abusionibus sæculi: De Montibus Sina, & Sion: De singularitate Clericorum: Item Poematia, quibus titulus: Sodoma, ad Senatorem Apostatam: Hynnus de Pascha Domini, & liberculus de Dispositione Cœne, non Cypriano dicam, sed quovis cordato Scriptore jocus indignus. Dubii habentur apud eundem Bellarminum, & Natalem Alexandrum (*sæc. 3. cap. 4.*) libri De Spectaculis, de disciplina, & de Bono Pudicitiæ, de laude Martyrii, & de Spe veniæ danda Lapsis. Proniores tamen videntur Authores citati, atque alii, ut hos Cypriani fœtus legitimos existiment. In libro de Unitate Ecclesiæ varietates nonnullas notavit Possevinus in quatuor, quos ad manum habuit, Codicibus M. S. verum hæ non tantæ sunt, ut propterea interpolatus, aut corruptus liber dicendus sit, ut Rivetus voluit, atque alii Romanæ Ecclesiæ osores. Gelasius Papa opera Sancti Cypriani inter Apocrypha recenset, quod nimirum errorem docuerit de omni irrito Hæreticorum baptismo. Hoc tamen nævo dempto, ejus authoritate utuntur, magnique faciunt & antiqui, & Recentiores Theologi.

§. XVII.

S. Gregor. Neocæsariensis.

Vulgo Thaumaturgus edidit brevem fidei Expositionem, quam divinitus accepisse tradit Gregor. Nissenus in vita ejusdem, præterquam Leontius in libr. de Sectis nullam aliam, ut Sancti Gregorii fœtum agnovit. Illæ ergo duæ, quæ sub ejus nomine circumferuntur, quarum una κϳ μερος, alia ad Ælianum inscribitur spuriæ sunt, quamvis posteriorem Basilius pia quadam expositione mollire, quam negare maluerit ep. 64. Priorem ediderunt Turrianus, & Vossius. Spuria itidem habentur 12. Capitula de Fide cum Anathematismis adjunctis, tres Homiliæ de Annuntiatione, & alia in Theophania, quam Vincentius Richardus Proclo Patriarchæ Constantinopolitano adscribit. Item Disputatio de Anima, de qua tamen dubius est Bellarminus. Epistolam Canonicam, sive undecim Pœnitentiales Canones continentem. Gregorii esse censent Viri Eruditi. De ultimo Canone lis est. Morinus adjectitium credidit; Natalis singulari dissertatione quæ est ad sæc. 3. decima octava genuinum ostendit. Alia scripsit, quæ temporum injuria perierunt, ut Metaphrasis in Ecclesiastem, Oratio in laudem Origenis, & Epistolæ nonnullæ quorum omnium meminit Hieronym. in Catalog. cap. 76.

§. XVIII.

§. XVIII.

Dionysius Rom., & Alexandrinus.

1. Primi nihil superest præter fragmentum Epistolæ cujusdam contra Sabellianos, quod habetur apud Athanasium in lib. de decretis Nicœnæ Synod.

2. Dionysii Alexandrini operum meminit diversorum Eusebius in 6. Hist. & Epistolæ ad Xistum Pap. in 7. Epistolæ ad Urbanum, & ad Severum spuriæ sunt. Exstat Epistola ad Basilidem canones quosdam continens ad Ecclesiasticam disciplinam spectantes. Itemque ad Euphranorem, & Ammonium, in qua, inquit Basilius, (*Epist. 41.*) dum vehementer obluctari cupit Sabellio, primus hominibus, impietatis istius Anomœanæ, quæ jam passim obstrepit, præbuit seminarium. Ex quo Gennadius: Nihil, inquit, creatum, nihil serviens in Trinitate credamus, ut Dionysius voluit, fons Arii. Hujus erroris ratione apud Dionysium R. P. accusatus est; ab ea tamen se purgavit plenissimè scripta in quatuor libris Apologia, cujus meminerunt Eusebius, atque Athanasius. (*Epist. de sent. Dionys. Alexand. cont. Arian.*) Hic enim vero acerrimus Arianismi impugnator, non solum errorem hunc in Dionysio Alexandrino non agnovit, verum etiam ejus de Filio Dei doctrinam laudavit inquiens: Quod vero ad Præsulem Alexandrinum attinet, ex Apologia ejus satis apparet eum, non illius esse sententiæ, cujus hi fuisse dicunt, aut quidquam pravarum Arii opinionum accepisse . . . Cæterum ut ea ipsa innocentissimi viri Apologia gravius confundantur, appareatque ipsos malitiosos, Dionysium vero ab iis erroribus liberum, dabo operam ut ipsius verba in medium proponantur &c. Hæc Apologia non videtur pervenisse in manus Basilii, quamvis aliquam ejus notitiam habuerit, nec Gennadii, (*lib. de Dogmat. Ecc.*) & aliorum, qui Dionysium Arianismo favisse, immo ejus originem fuisse putant. De hoc argumento singularem dissertationem instituit Natal. Alex., quæ est ad sæc. III. decimanona. Commentaria in Dionysium Areopagitam ei tribuit Maxim. M., uti sup. sed hæc ab aliis in dubium revocantur, aliique adscribuntur Recentiori Dionysio.

§. XIX.

Origenes.

Hujus viri, inquit Vincentius Lirinensis, tanta fuit vis ingenii; tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes penè multum, longeque superaret: tanta doctrinæ, ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divinæ, fortasse nulla humanæ Philosophiæ, quæ non penitus assequeretur: cujus sententiæ quum Græca non cederent, Hebræa quoque elaborata sint. Eloquentiam vero quid memorem? Cujus fuit tam amœna, tam lactea, tam dulcis oratio, ut mihi ex ore ipsius non tam verba, quam mella fluxisse videantur. Quæ non ille persuasu difficilia, disputandi viribus elimpidavit? Quæ factu ardua, non ut facillima viderentur effecit? Sed forsitan argumentorum tantummodo nexibus assertiones suas texuit? Immo plane nemo unquam Magistrorum fuit, qui pluribus divinæ legis uteretur exemplis. Sed credo pauca conscripsit? Nemo mortalium plura, ut mihi sua omnia, non solum non perlegi, verum nec inveniri posse videantur. Sed forte discipulis parum felix? Quis unquam felicior? Nempe innumeri ex sinu suo Doctores, innumeri Sacerdotes, Confessores, & Martyres extiterunt. Hæc & alia multa declamatorio stylo Lirinensis. Ex ejus scriptis Danæus, atque alii Eterodoxi demunt Homilias 28. in Numeros, 6. super Judices, 4. super Cantica, 39. super Lucam levissimis argumentis ducti. Contra Origeni falso adscribuntur Commentaria in Job, Lamentum Origenis, & Dialogus contra Marcionitas. Videndus Natalis Alexander de singulis hisce operibus disserens, itemque ejusdem tres dissertationes 15., 16., 17. ad sæculum 3., ubi de moribus, de fide, de Defensoribus Origenis. Ejus ibi palmares errores enumerat quatuordecim, ut non immeritò, quod est apud Cassiodorum, de Origene dictum esse credatur: Ubi benè, nemo melius; ubi malè, nemo pejus.

§. XX.

Pierius, Sixtus.

1. Primus Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter sub Diocletiano vixit, eruditione, & eloquentia clarus, unde & Origenes Junior dictus est. Duodecim hic librorum volumen scripsisse fertur, in quibus, ut est apud Photium, (*Biblioth. Cod. 119.*) de Patre, & Filio pie credit, nisi quod substantias duas, & naturas dicit, substantiæ, & naturæ nomi-

nomine pro hypostasi usus; non ut Ariani. Verumtamen de Spirito Sancto periculose nimis, ac parum piè docet, dum hunc inferioris gloriæ asserit, quam sint Pater, & Filius. Ejus scriptorum exstat nihil.

2. Sixtus Atheniensis Philosophus sententias quasdam ad vitæ perfectionem spectantes in unum volumen congessit, quod Latinitate donavit Ruffinus, in quo inquit Hieronym. in ep. ad Ctesiphontem nulla Prophetarum, nulla Patriarcharum, nulla Apostolorum, nulla fit mentio Christi; sed juxta dogma Pythagoricum, qui hominem exæquant Deo, & de ejus dicunt esse substantia, multa de perfectione dicuntur. Ruffinum ibidem accusat Hieronym., quod librum hunc Sixti II. Rom. Pontificis nomine vulgaverit, quod & Augustinus quandoque credidit, & postea retractavit. (*l. 2. Retract. cap. 42.*) Gelasius eum tanquam ab Hæreticis scriptum, & falso Sancti Sixti nomine prænotatum inter Apocrypha rejecit. Sed de hoc dicemus postea in Ruffino.

§. XXI.

Methodius.

Methodius seu Pataræ, seu Tyri, sive utriusque urbis Episcopus, ut voluit Natalis, (*Hist. Eccl. Sæc. IV. cap. 6. a. 1.*) quamvis translationis Episcoporum ea ætate vix ullum exstet exemplum, scripsit de Resurrectione contra Origenem, ex quo libro fragmentum habetur apud Epiphan. hær. 64. Extat ejus Symposium, sive decem Virginum convivium, & orationes de Simeone, & Anna, & de Ramis Palmarum. De prima dubitavit Jacobus Gretzerus in Tract. de Cruce. Utraque sincerum Methodii opus creditur. Nonnulla in eo inveniuntur paradoxa, & a communi Christianorum sensu aliena. In his animas ante corpora fuisse creatas, & his tanquam indumentis uti: homines nonnullos post resurrectionem in terris semper habitaturos in naturali quadam beatitudine: Angelos corpore præditos, & filiarum hominum amore captos: Beatos Deo non nisi post generalem Resurrectionem fruituros. Ad hæc Spiritum Sapientiæ intellectualem, Sanctum, Unigenitum vocat. Paulum non Virginem, sed viduum fuisse censet. Id tamen ante ipsum asseruerat Clem. Alexandrinus ap. Euseb. in 3. hist. c. 30., & non improbabile existimavit Origenes in cap. 1. Ep. ad Roman., cui simile est quod habetur in Ep. Ignatii Martyr. ad Philadelph., non certæ tamen authoritatis.

§. XXII.

Victorinus Ep. & Arnobius.

1. Primi sub nomine exstat in Biblioth. PP. Commentarius in Apocalypsim, qui tamen ejus non est graviorum Criticorum judicio, nam Millenariorum ibi confutatur error, cui Victorinus favit. Unde ejus opera Gelasius inter Apocrypha recenset. Multos alios Sacræ Scripturæ libros Commentariis illustravit, de quibus Hieronym. (*Catal. Script. Eccl. c. 74.*) opera grandia sensibus, sed verborum compositione viliora. Quippe quum non æque Latinè, ac Græcè peritus esset, quæ intelligebat, eloqui non poterat . . . & licet ejus libris eruditio deesset, non tamen deerat eruditionis voluntas. Diocletiano, & Maximian. Imperantibus Martyr obiit, non Pictaviensis, ut antiquitus credebatur, sed Petabionensis in Stiria Episcopus, quarto sæculo ineunte.

2. Arnobius, Numida, Rhetor, Lactantii præceptor sub Diocletiano floruit. Christianam Religionem, quam prius acerrimè impugnaverat, deinde professus, elegantissimos libros septem contra Gentes scripsit. Stylus ejus gravis, acer, vehemens, sed interdum, uti adnotavit Hieronym., (*Ibidem cap. 79. & epist. 13. ad Paulinum.*) inæqualis, & nimius, præterea absque ulla operis sui partitione confusus. Multa item in eo cavenda admonuit idem Hieronym. in ep. ad Tranquil. 76.

§. XXIII.

Lactantius.

Christianorum Latinorum eloquentissimus septem Divinarum Institutionum libros contexuit, itemque de Ira Dei, de Opificio Dei, de Mortibus Persequutorum, nonnullas Epistolas, & levioris momenti alia. In omnibus suis scriptis, inquit Hieronym., (*Catal. Scrip. Ecc. c. 80.*) quod item de Arnobio dici potest, felicius aliena destruxit, quam nostra adstruxerit. De Spiritu Sancto, de Angelis, de ultimo judicio eadem tradit, atque Arnobius. Uterque nimirum Rhetor potius quam Theologus disertè quidem loquutus est, quæ didicerat, sed non multa didiscerat ex penitiori Theologia.

§. XXIV.

§. XXIV.

Eusebius.

Episcopus Cæsariensis in Palæstina multæ, ac variæ lectionis, subactissimi judicii, & elegantis styli vir, multa scripsit, quæ magni apud Sapientes semper sunt habita. Præcipua sunt Chronicon ab Abrahamo usque ad ann. Christi 318., quod Latinum fecit, & addidit Hieronym. usque ad annum Christi 379. Authentici Græci non nisi pars invenitur. Liber contra Hieroclem Gentilem. De Præparatione Evangelica libri quindecim. De Demonstratione Evangelica libri 20., ex quibus solum supersunt quindecim. Historia Ecclesiastica in libris decem usque ad ann. Christi 325., Constantini vigesimum. Vitæ ipsius Constantini libri quatuor. Contra Marcellum Ancyranum libri quinque quorum tres postremis inscribuntur de Mystica Theologia. De Martyribus Palæstinæ Tractatus. Consonantia quatuor Evangeliorum. Tractatus de locis terræ sanctæ, cui titulus Onomasticon. Hunc vertit in Latinum, addiditque Hieronym. Hic Index Topographicus invenitur cum eruditis notis Bonfrerii, & Clerici insertus cuidam Collectioni Tractatuum ad Scripturarum studium spectantium inter opera Menochii. De cætero optime dixit Photius: Eusebii gravis in historia, non adeo in dogmate authoritas, Multi Critici, quos inter Natalis, & Petavius tanquam Arianismi fautorem damnant. Enim vero Arii personæ, atque Eusebii Nicomediensis addictissimus fuit, aliisque ejus sectæ præcipuis, sicut contra subinfensior Athanasio. In multis suorum librorum locis parum decenter de Filio Dei loqui videtur; sed inveniuntur contraria alibi, per quæ priora corrigi, aut saltem emolliri possunt. Socrates historiæ Ecclesiasticæ continuator, Gelasius Cyzicenus, aliique quum antiqui, tum recentiores cum Huetio eidem patrocinantur. In Martyrologiis Latinorum Usuardi, Addonis, & Notkeri ad diem 21. Junii sic legitur. In Palæstina S. Eusebii Ep. & Conf. viri excellentissimi ingenii, & Historiographi, quæ verba aperte Cæsariensem demonstrant, non Eusebium Samosetanum, aut alium Cæsareæ in Cappadocia Episcopum, uti voluit Natalis Alexander. Præterea in quodam M. S. Breviario Ecclesiæ Lemovicensis in Gallia ad primam ejusdem festi lectionem hæc habentur: Hic, quum aliquando Ariana hæresi laborasset, ad Synodum Nicœnam accedens, spiritu sancto inspiratus, Patrum sententiam sequutus est, ac deinceps usque ad mortem sanctissime in fide orthodoxa vixit. Quæ quidem seu vera, seu falsa sint, evincunt tamen

men non alium ab Eusebio Cæsariensi eum fuisse, de quo festum illum diem colebat plebs Christiana. Sed de his disputent alii.

§. XXV.

Juvencus, Jul. Firmicus, Antonius.

1. Cajus Aquilinus Juvencus, Hispanus Presbyter, quatuor Evangelia versibus Heroicis pene ad verbum expressit. Exstat hoc opus in 2. tomo Chori Poetarum Veterum Latinor. Ejus cum laude meminit diversis in locis Hieronym., (*De Script. Ecc. 84. & in Epist. ad Magnum. & in Comm. ad cap. 2. Matth.*) & versus quandoque adducit.

2. Julius Firmicus Maternus, cujus nec Hieronym., nec aliquis priscorum meminit, volumen scripsit de errore profanarum Religionum, quod Constantini filiis nuncupavit. Idem octo de Astronomia libros ante baptismum scripserat, de quibus alibi diximus.

3. Antonius Monachorum Cœnobitarum Pater scripsit Epistolam ad Arsenoitas, sexque alias, quæ habentur in Biblioth. Vet. PP., quidquid de iis nonnulli dubitent. Duos vero sermonum libros, qui in eadem Biblioth. habentur, quos eidem Antonio attribuit Trithemius, falso ejus nomen præseferunt.

§. XXVI.

Athanasius.

Inter multa, & notissima Patris hujus scripta, multa etiam inveniuntur supposita, aut dubia, quæ discernere Theologum oportet. Et I. quidem, ut ab eo quod magis controvertitur, incipiamus, dubium est Symbolum: Quicumque, quamvis ab septimo sæculo usque ad præsens Athanasio tributum fuerit. Sed de hoc alibi dicendum (§. *38. n. 10.*) II. Dubiæ sunt Epistolæ Liberii ad Athanasium, & hujus responsio. III. De Expositione fidei dubitat Bellarmin. IV. Ejus certè non est disputatio cum Ario habita in Concilio Nicœno, neque V. disputatio cum eodem habita Laodiceæ jussu Constantii. Hanc Bellarm. Vigilio Tapsensi tribuit. VI. Athanasii non est liber de Unita Deitate Trinitatis, & sequentes decem, qui eidem Vigilio ab nonnullis adscribuntur, sed alter qui inscribitur Confessio, seu libellus fidei, nec est Athanasii, nec Vigilii, quamvis Vigilio antiquioris scriptoris videatur. VII. Quinque Dialogi de Trinitate, Dia-

logus inter Macedonianum, & Catholicum, & tractatus sequentes 19. Athanasii non sunt. Nonnulli Theodoreto; quidam eos Maximo Mart. adscribunt. VIII. Nec Athanasii sunt Quæstiones ad Antiochum, neque quæstiones Anonymæ, neque Interpretatio Parabolarum Evangelii, neque Exhortatio ad Monachos, neque Epistolæ ad Marcum, ad Felicem, ad Serapionem, quidquid dicat Natalis Alexand. (*ad Sæc. IV. cap. 6. art. 8.*) Nec liber adversus hypocrisim Meletii Athanasii est, aut historia de Melchisedech, aut Passionis Imaginis Berythensis, aut homiliæ de Cruce, & de Annuntiatione, quam tamen legitimam Natalis existimat, sicut & librum de vita Antonii, quem tamen sicut & vitam Sanctæ Syncleticæ alii communiter rejiciunt. Supposititii planè sunt Tractatus de Definitionibus, & de naturali communicatione Essentiæ Divinarum personarum. Athanasius, inquit Photius, in omnibus suis scriptis dilucidè dicit. Ad earum tamen Epistolarum, quibus secessum excusat suum, gratiam, & venustatem, neque hic liber (nimirum de Virginitate) nec alius ejus qui quidem in manus meas venerit, attingit.

§. XXVII.

Eustachius Antiochenus, *Lucifer Calaritan.*, *Cyril. Hierosolym.*

1. Preter alia opera, quorum fragmenta sunt apud Theodoretum (*In Dialog.*) tractatum de Anima, & Engastrymytho scripsit Eustachius contra Origenem, quem Græco latinum edidit Leo Allatius. In omnibus suis operibus, inquit Sozomen., (*l. 2. hist. Ecc. cap. 19.*) quum ob priscum eloquutionis genus, & gravitatem sententiarum, tum ob verborum elegantiam, & in rebus explicandis venustatem magnoperè probatur. Nihilominus de Christo parum dignè nonnunquam loquutus videtur; sed pro his, inquit Facundus Hermianensis, (*l. 11. cap. 5.*) quæ necdum orto Nestorio secura simplicitas loquebatur, ejus non est coudemnanda doctrina; quod idem de Ante Nicœnis PP. supra diximus ex Hieronymo.

2. Luciferi Calaritani Episcopi exstant libri de Regibus Apostatis, de non parcendo delinquentibus in Deum, de moriendo pro Filio Dei, de non conveniendo cum Hæreticis. Librorum ejus duorum ad Constantium August. meminit Hieronym. (*De Script. Ecc. cap. 95.*) De Lucifero dictum est etiam supr. prol. præc.

3. Cyrilli Hierosolymitani Episcopi, qui plurima, ut inquit Theodoretus, (*Dialogo 2.*) variis in locis contra Arianos certamina subiit, exstant Catecheses, sive populares Instructiones 23., quarum 18. ad Illuminatos, & 5. Mystagogicæ ad recens Baptizatos. Rivetus (*l. 3. Critici Sacri,*

 c. 8.

c. 8.) corruptas, aut nonnihil interpolatas putat. Huic respondit Nat. Alex.; (*ad sæc. 4. c. 6. art. 13.*) tamen duriuscula nonnulla esse apud Cyrillum, aut pro rudis populi captu, non satis explicata, negari non potest, neque vero hoc satis est, ut vitiata dici possint.

§. XXVIII.

Hilar. Episcop., Hilar. Diaconus, & Phœbadius.

1. Hilarius Pictaviensis, acerrimus Arianorum hostis libros duodecim de Trinitate scripsit, Quintilianum, inquit Hieronym. & stylo imitatus, & numero. Item Commentaria in psalmos plures, & in Matthæum: librum contra Ursacium, & Valentem, quorum fragmenta Nicolaus Faber edidit: librum adversus Constantium Aug. alium contra Auxentium, & Epistolam ad Abram filiam. Hieronym. Lætam hortatur ut Hilarii libros inoffenso decurrat pede . . . in quibus fidei pietas non vacillat. Tum de stylo ejus loquens: (*Epist. ad Paulin.*) Hilarius, inquit, Gallicano cothurno extollitur, & quum Græciæ floribus ornetur, longis periodis interdum involvitur, & a lectione simplicium fratrum procul est . . . Hebræi sermonis ignarus fuit, Græcarum quoque litterarum quamdam aurulam ceperat; sed ab Heliodoro Presbytero familiari suo, quæ intelligere non poterat, quomodo ab Origene essent dicta, quærebat. Quia vero in hoc psalmo (126) Commentarium Origenis invenire non potuit, opinionem magis insinuare suam, quam inscitiam voluit confiteri. Hæc Hieronymus (*In præf. in 2. lib. Comm. ad Galatas*) qui & alibi ipsum eloquentiæ Rhodanum vocat. Sunt apud Hilarium obscuriora, & difficilia nonnulla. Nam I. Moisem nondum mortuum esse putavit. II. Animam Adami ante corpus creatam. III. Matrimonium causa fornicationis dissolvi. IV. Divinitatem in morte Christi a corpore recessisse. V. Animam Christi, & carnem omnis doloris expertem. VI. Etiam Deiparam divini judicii severitatem experturam. VII. Spiritum Sanctum creaturam se nuncupare non audere, quasi dubitabundus dixit ad calcem lib. 12. VIII. Divi Petri negationem benignius interpretatur.

2. Hilarius Sardus R. Ec. Diaconus scripsit vivente Damaso Commentaria in Pauli Epistolas, quæ aliquando Ambrosii credita sunt, aliquando Rhemigii Lugdunensis. Petavius hæc Hilario adimit I. Quoniam homo Luciferianus, ut erat Hilarius, Damasum non laudasset ejus Schismatis improbatorem. II. Quoniam Hilarius Rebaptizantium errore deceptus, quem propterea Hieronymus, orbis Deucalionem appellavit, eum errorem non damnasset, uti author ille fa-

cit

cit 1. cap. 1. ad Corinth. Natalis Alex. (*ad Sæc. 4. c. 6. art. 14.*) respondet ea Hilarium scripsisse postquam ab Luciferiano Schismate , & ab errore conversus fuerat . Hanc autem conversionem non probat, nisi quoniam ab Augustino Sanctus appellatur . Hæc tamen probatio elumbis est . Ipse quoque Bellarminus Natali favet . Commentaria in Epist. ad Hebræos Hilarii Diaconi opus non esse existimat Natalis Alexander ; huic tamen attribuit Quæstiones in vetus , ac novum Testamentum , quæ habentur inter opera Augustini . Porro quum in quæstionibus his , tum in Commentariis multa sunt Pelagianum errorem redolentia , quæ adnotarunt Bellarminus , Possevinus , & Jansenius Iprensis . Hilarii patrocinium Natalis suscipit , fatetur tamen esse inibi aliqua durius dicta , & quæ , si per se sola spectentur , hanc ingenerare suspicionem possint . Pluribus item nævis , ait infra opus illud (nimirum Quæstionum) infuscatur . Melchisedechum Spiritum Sanctum esse asserit , aliaque habet a veritate fidei aliena , dura , & barbara .

3. Phæbadius Agennensis in Aquitania Episcopus Senioris Theodosii tempore librum scripsit adversus Arianos , & formulam fidei ab eis in Sirmiensi Synodo propositam . Exstant ejus opera in Bibliotheca P.P. & seorsim Pithæi cura , ac diligentia . Vivebat adhuc quum Scriptorum Ecclesiasticorum catalogum texuit Hieronymus .

§. XXIX.

Dorotheus , Victorinus , Titus , Optatus , Pacianus , Ephrem , Idatius , Philastrius , Damasus .

1. Dorothei Martyris nomine exstat Synopsis de vita , & morte Apostolorum , Prophetarum , & discipulorum Christi . Cujuscujus opus illud sit ita putidis scatet mendaciis , ut nedum Martyrem , sed nec sana mente præditum authorem habuisse videatur . Cesarem , cujus meminit , Paulus , immo fœminam quamdam Juniam nomine , Episcopos facit , Eunuchum Reginæ Candacis , unum ex 72. discipulis .

2. Marius Victorinus Afer , insignis Rhetor , Constantii tempore ad fidem conversus , cujus Aug. meminit in 8. Conf. libros quatuor de Trinitate adversus Arianos edidit , dialectico more , & valde obscuro , inquit Hieronymus in Catalogo. Cap. 112.

3. Titus Bostrorum in Arabia Petræa Episcopus floruit juxta Petavium (*L. 5. hist. cap. 15.*) Juliano , & Joviano Impp. Hujus meminit Sozomenus , qui & eum Juliani artibus urbe pulsum Bostrensi commemorat . Scripsit adversus Manichæos libr. 3, qui habentur in

Bibliot.

Bibliot. P.P. Tribuuntur quoque eidem Commentaria in Lucam, sed hæc recentioris authoris opus esse liquet apertissime. Patres enim ibi allegantur Tito posteriores, qui, ut testatur Hieronymus, (*In catalog.*) Valente Imperatore vivere desiit.

3. S. Optati Milevitani habemus libros sex ad Parmenianum de Schismate Donatistarum. In Bibliotheca P. P. inveniuntur septem, sed Hieronymus (*In Catalogo*) septem non agnovit, sed solum sex, & Optatus ipse solum sex librorum proponit argumenta initio libri primi. Baronius eum sub Damasi Pontificatu scripsisse putat; sed in secundo libro mentio fit Siricii, qui Damaso successit: Potuit autem incæpisse sub Damaso, & ad Siricium pervenisse, vel ab aliquo Exscriptore id fuisse additum. Septimus etiam liber ex diversa operis partitione nasci potuit; sed tamen ut Optato tribuatur, obstant nonnullæ sententiæ Ecclesiasticæ, & ipsius Optati doctrinæ parum conformes circa Adami peccatum, quæ tamen benignè intelligi possunt. Hæc opera etiam separata inveniuntur cum doctis annotationibus Gabrielis Albaspinæi Episcopi Aurelianensis.

4. Pacianus Barcinonensis Episcopus obiit Theodosio Magno regnante. Tres scripsit Epistolas ad Sempronianum Novatianum, aliam Exhortationis ad Pœnitentiam, & sermonem quemdam de Baptismo ad Catechumenos, quæ omnia exstant in Bibliotheca P. P. Videatur Bibliotheca Hispana Nicolai Antonii.

5. Ephremus Edessanæ Ecclesiæ in Syria Diaconus tractatum edidit de Spiritu Sancto, historiam vitæ suæ ad Monachos, orationem de virtutibus, & vitiis ad Monachos Metebinos, tractatum de Humilitate, & sermones unde quinquaginta quorum meminit Photius, (*Biblioth. Cod. 166.*) qui etiam ait, apud Syros plus mille legi: testamentum, sive extremam ad fratres alloquutionem. Præter hæc antiquitus cognita, & in Bibliotheca P. P. excussa, in separata editione per Petrum Benedictum Maronitam è Soc. Jes. procurata addita sunt Commentaria super plures antiqui, & Novi Testam. libros, signatim super libros Machabæorum, ex quo patet adversus Recentiores Hæreticos eos jam pridem in Canonicorum numerum habitos esse. Sequuntur Sermones 56. adversus Marcionem, Valentinum, Novatianum, aliosque hæreticos, qui illi esse putantur, in quibus Ephrem. quum Græcas litteras non attigisset, multifidos tamen Græcorum errores confutavit, omnesque hæreticorum fraudes infirmas esse ostendit, quod est apud Theodoretum. (*L. 4. hist. c. 29.*) In tomo operum 6. habentur tractatus octo adversus de rebus fidei scrutatores, in quibus Arii, Eunomii, & Aetii errores impugnantur: de libero arbitrio libri quatuor, de Paradiso sermones 12, Parænetici 76, de diversis 18; hos tamen postremos alterius authoris

esse

esse Editor putat. In omnibus Sancti Diaconi scriptis, inquit Photius, jure quis miretur; quam altè penetret vis persuadendi, quantum ab his fluat jucunditatis, qua denique affectuum copia referti sint. Oratio tamen ejus & figuræ nil mirum si ad consuetum homiliarum usum, & inelaboratum dicendi genus vergant. Non enim in authorem, sed in Interpretem est culpa conferenda. Quapropter non tam dictionis humilitas despicienda est, quam illud suspiciendum, quomodo per tantam verborum vilitatem, tanta salus atque utilitas in legentes refundatur.

6. Sub nomine Idacii habetur in Biblioth. Patrum Tractatus quidam contra Marivadum, aut Varimadum Arianum quem tamen occulatiores Critici Vigilii Tapsensis esse existimant.

7. Philastrii Episcopi Brixiensis exstat Index, aut Catalogus Hæresum ante, & post Christi adventum. Nonnumquam ille tamen inter hæreses recenset opiniones aliquas, quæ hæreticæ dicendæ non sunt, ut non semel adnotabimus.

8. Ex Epistolis Papæ Damaso tributis habetur legitima quæ inscribitur ad Episcopos Illiriæ, & quæ habentur apud Hieronymum (*Catalogo c. 103.*) Reliquæ censentur Apocryphæ, sicut etiam gesta Romanorum Pontificum. Index librorum qui habetur in cap. Sacrosancta dist. 15, & Gelasio tribuitur, a nonnullis creditur a Gelasio inceptus, sed ab Damaso ad sua usque tempora deinseps perductus.

§. XXX.

Basilius, Gregorius Nyssenus, Amphilochius, Gregorius Nazianzenus & Cæsarius.

1. Exstant ejus opera cum notis Frontonis Ducæi, nimirum Homiliæ undecim in Hexaemeron, sive opus sex dierum; duæ tamen ultimæ Basilii non sunt. Novem enim tantummodo ei tribuunt Hieronymus, (*Catalogo Cap. 116.*) & Suidas. Gregorius item Nyssenus Basilii frater diserte tradit nihil eum de formatione hominis tetigisse, de qua tamen in his addititiis agitur. Præfatione in Psalmos eadem Augustini est opinio. Commentaria in prima 16. Isaiæ capita suspecta videntur Erasmo; sed probabilius Basilii esse existimantur. Basilii non est Epistola ad Eustachium. De regulis brevioribus, ac diffusis, quæ in 2. tomo inveniuntur, dubitat Bellarminus; ejus tamen argumenta satis efficacia non putat Natalis Alex. Exstant sub ejus nomine in Biblioth. P.P. Lyturgiæ duæ, & 3. alia in lingua Ægyptia inventa cum Arabica interpretatione, quam Latinam fecit Victor. Scialachus Maronita, ipseque, & postea Reinautius edidit in sua Lyturgiarum Com-

Compilatione Orientalium an. 1716. Et quidem Lyturgiam a Basilio confectam non est dubium; an autem exstet; an sit ex iis, quæ circumferuntur aliqua liquidò non constat. Frustra igitur torquentur Theologi in explicando, quo sensu Basilius Eucharistiam vocaverit ἀντιτυπα τῦ ἁγιυ σωματος, καὶ αἵματος Χριςῦ, quum sint ea verba desumpta ex Liturgia, quam Basilii esse non est adeo certum. Sed de his nos alibi ex Joanne Damasceno, & Epiphanio. Basilii esse creduntur tres ad Amphilochium Epistolæ, quamvis in prima matrimonium causa fornicationis dissolvi posse, tenere videatur. Hanc enim opinionem multis aliis communem fuisse, & usque ad tempora Concilii Tridentini a Græcis propugnatam liquet ex hist. Palavicini Cardin. Tractatus de Exercitatione Grammatica Basilii non est, sed quædam Moscopuli Synopsis. Liber de laudibus Eremi pars esse creditur cujusdam Opusculi Petri Damiani. Liber de Virginitate ad Letojum Mitilenensem Gregorii Nysseni esse putatur: Basilii certè non est, sicut nec libri quibus titulus. Consolatio in adversis. Et Pœnæ prescriptæ in Monachos delinquentes. Eminet porro in Basilii libris, inquit Photius, (*Bib. Cod. 141, & 191.*) non modo ille adeò solennis ipsi affectus lenior sed pura etiam perspicuitas, nisi quod in quæstionibus quibusdam emphaseos aliquid ab eo adspersum videtur.

2. Gregorius Nissenus Basilii frater scripsit contra Eunomium orationes duodecim, in quibus, teste Photio validioribus rationibus manus conserens vi eum expugnat, & omnia impietatis fundamenta subvertit. Oratio magna Catechetica, liber de Anima, & Resurrectione Gregorii sunt, quamvis in hoc de æternitate pœnarum cum Origene sentire videatur, nisi alicujus Origenistæ manu opus interpolatum dicatur. Appendix ad calcem Orationis Catecheticæ incipiens: Quoniam autem Severus, Theodori Raithuensis esse existimatur. Sunt ibi & quædam Euthychianæ loquutiones, quæ tamen benigna interpretatione non carent. De orationibus in Theodorum Martyrem, & de adeuntibus Hierosolymas dubitant Bellarmin., & Gretzerus; legitimas putant Baron., Natalis Alex., & alii. Epistola ad Letojum de Virginitate, & vita Gregorii Nazianzeni legitima habentur. De prima tamen ab nonnullis dubitatum est, quoniam adulteris, æque ac Sodomitis, & Bestialibus eandem imponit pœnam, & se conjugatum esse fatetur. Sed in hoc nihil est absurdi, quum ipsum conjugatum fuisse sit, & habeatur Gregorii Nazianzeni ad eum data Epistola occasione mortis uxoris ejus Theosebiæ. De propagatione Angelorum, ut ipse loquitur, & hominum in statu innocentiæ paradoxa opinatur: triduum mortis Christi computat ab institutione Eucharistiæ. Orationes duæ de Creatione hominis Gregorii non sunt, neque tractatus de differentia Essentiæ, & Hispostaseon, neque vita sororis

Macri-

Macrinæ, quæ duo postrema Basilio attribuuntur; neque de Philosophia libri octo, quæ inter Nemesii opera circumferuntur, sub cujus nomine habentur etiam in tom. 9. Bibliothecæ P.P. Styli ejus caracter est, ut benè adnotavit Photius, (*Bibliot. Cod. 6.*) venustas orationis, & splendor quidam cum jucunditate permixtus.

3. Amphilochius vivebat adhuc quum Hieronymus Scriptorum Ecclesiasticorum catalogum texuit. Opus scripsit de Spiritus Sancti divinitate, & nonnullas Epistolas, omnia adeo docta, & gravia, ut nescias, inquit Hieronymus, (*Ep. ad Magnum*) quid in illis primum mirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum. Vita S. Basilii, quam sub ejus nomine edidit Combefisius Dominicanus, ipsius opus esse non creditur ab oculatioribus Criticis.

4. Gregorius Nazianzenus ob integritatem, & profunditatem doctrinæ Theologus appellatus, id obtinuit apud Deum, & homines meriti, inquit Rufinus, (*L. 7. hist. Ecc. c. 14.*) ut quicumque ausus fuerit doctrinæ ejus in aliquo refragari, ex hoc ipso Hæreticus arguatur. Manifestum enim habetur indicium non esse orthodoxum, omnem qui in fide Gregorio non concordat..... Tanta propterea ejus est in sacra doctrina authoritas, inquit D. Thomas, ut nemo unquam ejus dictis calumniam inferre præsumpserit. Inter opera, quæ sub ipsius nomine vulgata sunt, spuria habentur I. Tragedia, quæ inscribitur Christus patiens; quam Apollinari Laodicæno tribuit Baronius. Spuriæ item habentur oratio 48. in SS. Martyres: item tractatus, cui titulus: Significatio in Ezechielem, tum qui inscribitur: Metaphrasis, seu Translatio in Ecclesiastem, quem Hieronymus (*In Cap. 4. Ecclesiast.*) Gregorio Thaumaturgo adjudicat. Nec Nazianzeni est Tractatus de Fide, nec alter dictus de fide Nicæna, qui potius Gregorio Bætico tribuendus videtur cum Natali Alexandro (*Sæc. IV. cap. 6. art. 21.*) Quesnellium sequuto. Augustinus (*Epist. 3.*) quidem tractatum de fide allegat sub nomine Gregorii cujusdam Orientalis. Sed potuit, inquit idem Gregorium Nazianzenum, aut Orientalem cum Bætico confundere, sicut potuit alibi (*Epist. 1. cont. Julian. c. 5.*) Nazianzenum cum Nysseno confundere. In oratione quæ inscribitur in laudem Heronis Philosophi, legendum est, Maximi Philosophi, quod notavit Hieronymus. (*Catalogo Script. Ecc.*) Epistola 45. ad Evagrium dubia est. Petavius (*T. 1. L. 2. c. 6.*) spuriam putat, legitimam Natalis. (*Ibidem*)

5. Cæsarium Gregorii Nazianzeni fratrem authorem præferunt quatuor libri Dialogorum, quos tamen Natalis Alex., (*Ibid. art. 21.*) aliique permulti supposititios putant. Certo antiquissimi sunt, & jam jam ab Nicephori, & etiam Photii ætate Cæsarii nomine circumferebantur. Nec Natalis Alexandri ratio magni ponderis esse videtur, quod

quod nimirum Catechumenus usque ad vitæ finem manserit, & in aula vitam transegerit.

§. XXXI.

Didymus, Gelasius, Pachomius, Paulin. Nolan., Ambrosius, Marc. Eremita, Epiphanius.

1. Didymus Alexandrinus librum scripsit de Spiritu Sancto, quem in latinum sermonem vertit Hieronymus. Hunc qui legerit, inquit idem, (*Epist. ad Paulinum*.) Latinorum furta cognoscet, & contemnet rivulos, quum cœperit haurire de fontibus. Imperitus est sermone, sed non scientia, Apostolicum virum in ipso stylo exprimens tam sententiarum lumine, quam simplicitate verborum.

2. Gelasius Cæsariensis in Palæstina Episcopus in Græcum sermonem transtulit libros duos, quos Rufinus Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii addidit, cujus meminit Hieronym., (*Catalogo c. 141.*) & Photius, (*Cod. 89.*) qui distinctum eum censet ab alio cognomine ejusdem urbis Episcopo authore libri cujusdam contra Anomæos.

3. Pachomii Abbatis Tabennensis exstat in Biblioth. PP. Regula Monachorum, ex qua multa refert Sozomenus in 3. hist. cap. 14.

4. Pontius Anitius Paulinus in Aquitania natus, prius a Lampio Barcinonensi præter morem, sine certa Ecclesia Presbyter ordinatus, dein Nolæ in Campania factus Episcopus: diversas scripsit Epistolas, & Poemata sacra, quæ habentur in tom. 2. veterum Poetarum Latinorum. Vita tamen Sancti Martini Hexametris coscripta Paulini alterius posterioris esse creditur, sicut & Epistola ad Faustum Regiensem. Vita S. Ambrosii non Paulini Nolani, sed alterius Paulini ejusdem Ambrosii Clerici, cujus meminit Marius Mercator in Comm, cap. 1.

5. Ambrosii operum quinque circumferuntur tomi. Sed ex I. spuria habetur secunda Apologia Davidis, quamvis eam Theophilus Rainaudus tuetur. Ex II. Erasmus librum de Tobia supposititium putat. In III. habentur Commentaria in Epistolas Pauli, quæ non esse Ambrosii fere apud omnes constat Vid. supr. in Hilario. In IV. liber de Filii Divinitate non est Ambrosii, nisi forte ab illo in latinum sermonem translatus. Liber de Sacerdotali Dignitate certe nothus est, quem nonnulli Anselmo, alii Gerberto tribuunt, qui postea Silvester II. dictus est. Libros duos de Pœnitentia rejicit Petrus de Soto; sed ipsius esse putant meliores Critici, Augustini testimoniis nixi, qui eorumdem authoritate non semel est usus. De libro ad Virginem Lapsam dubitat Bellarminus; sed ejus ratio non satis firma est, ut

alibi

alibi adnotavimus. Libri de Vocatione Gentium Ambrosii non sunt; sed eo authore non indigni. Ex V. tomo spurii habentur, aut saltem dubiæ fidei sermones omnes præter hos quatuor: in funere Theodosii: in funere Valentiniani: de non tradendis Basilicis, de reliquiis SS. Gervas. & Prot. Ex Epistolis rejiciendæ sunt quæ inscribuntur ad Demetriadem, ad Florianum, ad Virgines sacras, de inventione SS. Gervas., & Protas. & Vitalis, atque Agricolæ. In eodem numero habenda sunt.

Commentaria in Cantica.
Commentaria in Apocalypsim.
Concordia Matthæi, & Lucæ in genealogia Christi.
Liber ad Simplicianum de Virtutum, & vitiorum conflictu.
De Origine, & moribus Brachmanorum.
De Spiritu, & Pœnitentia.
Liber de Expositione fidei advers. Arium non est nisi Synopsis quædam libri primi de fide ad Gratianum.
Liber in Symbolum Apostolorum ex Ambrosii ipsius, & aliorum antiquorum fragmentis consarcinatus est.

De Hymno Te Deum alibi dicetur. Hymnorum alii plures dubiæ fidei sunt. Multi Ambrosii libri periisse videntur, quos ab Aug., Paulino, & aliis allegatos alii commemorant, ut Nat. Alex. (*Sæc. IV. art. 17.*) Multa ab Græcis mutuatus est Ambrosius, quod in lib. de Spiritu Sancto maxime patet. In rebus non ad fidem, sed vel ad disciplinam spectantibus, aut indifferentibus opiniones nonnumquam sequitur, & loquendi modis utitur ab communi sensu remotis. Sensus item Allegorici sectator ut plurimum, obscuris quandoque Tropologiis pro morum doctrina involvitur. De cætero in ejus præcipuè libris Romana elucet fides, & Scriptorum Latinorum flos quidam speciosus enituit, cujus fidem, & purissimum in Scripturis sensum, ne inimicus quidem ausus est reprehendere, ut quamvis Hæreticus, confessus est Pelagius. (*Apud Aug. L. de Gratia Chris. cap. 43.*)

6. Marci Eremitæ meminerunt Sozomenus, (*l. 6. cap. 29.*) & Nicephorus, (*l. 14. cap. 54.*) qui eum Joannis Chrysostomi discipulum facit. Hunc Mansius in Schol. ad Natalem Alex. non quarto, ut iste asseruit sæculo, sed quinto floruisse contendit. Scripsit Marcus Asceticorum libros octo, qui habentur in Biblioth. PP. Item librum contra Melchisedechitas, quem periisse putavit laudatus Natalis; opera tamen Balthasaris Remondinii post Natalis obitum in lucem prodiere sub Marci nomine sermones gemini de Jejunio, &

Melchisedech. Sed an idem sit non satis liquet, nec de iis Recentiorum inventis est multum curandum.

7. S. Epiphanii opera duobus circumferuntur tomis. In primo exstat Panarion sive Arcula, quæ omnium Hæresum, & Hæresiarcharum Synopsim continet usque ad Messalianos. In hoc opere non simplex dumtaxat hæresum recensio fit, verum etiam unaquæque earum impugnatur; author vero, quod Photius adnotavit, ut plurimum infirmus est, in conflictibus adversus impias hæreses susceptis. Est tamen ubi fortiter aggreditur, atque irruit, quamvis neque verborum ipsius, neque constructionis proprietas ulla ex parte præstantior efficiatur. Augustinus vero contrarium disertissimè testatur. Ait enim Epiphanium scripsisse de Hæresibus historica narratione omnia commemorans, nulla tamen disputatione adversus falsitatem pro veritate decertans, quod se etiam imitaturum esse pollicetur, & certè imitatatus est in suo libro de Hæresibus ad quod vult Deum. Quid ergo dicendum? Vel Augustinum, qui Græcè nesciebat, non ipsum Epiphanii opus ad manum non habuisse, sed ejus synopsim aliquam Latinam, uti Nat. Alex. existimat, vel medio illo tempore inter Augustinum, & Photium adjectas fuisse ab Exscriptore aliquo majoris utilitatis causa elumbes illas argumentationes, quæ nunc in Panario leguntur. Hoc vero secundum est difficilius, & contra communem Eruditorum sensum, qui opus illud, uti nunc legitur purum, & genuinum Epiphanii fœtum esse arbitrantur. Scripsit præterea Expositionem quamdam fidei Catholicæ, cui titulus: Anchoratus: De Ponderibus, & mensuris librum unum, alterum de Lapidibus, quorum Hieronymus meminit; tertium, cui nomen Φυσιολόγος, & Epistolam ad Joannem Hierosolymitanum, quæ penè integra invenitur apud Hieronymum. (*Epist. ad Pammach.*) Hanc Baronius, & Bellarminus interpolatam, & fœdè corruptam putant; Natalis eorum argumentis respondet; sed ut quibusdam videtur, non satis ad gustum. Tribuuntur etiam Epiphanio vitæ Prophetarum & Homiliæ duodeviginti, quæ certè ipsius non sunt. Ejus dictio humilis est, & rudioribus ingeniis accommoda, qualem ejus esse oportuit, inquit Photius, qui Atticæ elegantiæ rationem haberet nullam. In Historia, & Chronologia parum est accuratus, quod sæpe observat Dionysius Petavius, qui eruditis adnotationibus ipsius opera illustravit.

§. XXXII.

Chrysostomus, Hieronymus, Joannes Hierosolymitanus.

1. Joannes Chrysostomus unus ex celebrioribus Græcæ Ecclesiæ Patribus Homilias multas habet in Genesim, in Psalmos, in Mathæum, in Joannem, in Acta Apostolorum, in Epist. ad Romanos, ad Corinthios, ad Ephesios, ad Timoth. de Sacerdotio libros sex: adversus impugnatores vitæ Monasticæ libros tres, itemque Liturgiam, qua majorem anni partem utebantur Græci, quod Proclus (*opusc. de Tradit. Divinæ Missæ.*) testatur, quoniam Basiliana multò brevior esset. His operibus multa adjecta sunt spuria, multa item habentur dubia, quorum catalogum retexere longum esset, præsertim quum videri possit apud Sixtum Senensem, Bellarminum, & utroque prolixiorem Natal. Alex. Est autem inter hæc celeberrimum Opus quod imperfectum dicitur, & homilias in Matthæi Evangelium complectitur quatuor & quinquaginta. Has gravissimi authores, quos inter D. Thom. sub Chrysostomi nomine passim laudant; recentiores tamen Critici opus illud Chrysostomi non esse multis ducti non levibus argumentis demonstrasse sibi visi sunt, Bellarminus, Petavius, Doujatius, & hos sequuti multi. Sixtus Senensis, & Natalis saltem homilias illas a posterioribus Hæreticis miserè deformatas & corruptas putant, quod palmaribus erroribus ibi repertis convincitur. His certe nævis, ac laciniis, quæ adscititiæ videntur, sublatis, opus illud quum ob antiquitatem, tum ob eruditionis copiam, inquit Maldonatus, doctrinamque, ut plurimum sanam, & interpretandi genus ingeniosum simul ac solidum magni semper habitum est in Ecclesia Catholica, & dignum quod Chrysostomi esse crederetur. Epistolam ad Cæsarium spuriam multi cum Doujatio, de qua celebris controversia inter Basnagium, & Maffejum. Pro Basnagio stant Combefisius, & Natalis. Quæ autem ex ea adversus Transubstantiationem afferuntur verba non adeo urgent ut propterea illegitima dicenda sit, nam & multa alia sunt apud Chrysostomum durius dicta, quæ non exiguum facessunt negotium Theologis; commoda tamen interpretatione non carent scientibus non idem esse oratorium, ac Dialecticum, & Scholasticum dicendi genus. Non invenitur quidem in Græcis Codicibus illa Epistola; ac stylo Chrysostomi simillima est, cujus usque ad initium elapsi sæculi editio Græca nulla fuit. Dictionem ipsius de more perspicuam, & puram, splendidam insuper, ac fluentem commendat Photius. (*Cod. 86.*) Laudantur ob dictionis elegantiam præcipue Commentaria in Psalmos, & in Pauli Epistolas,

atque in Acta Apostolorum. Quum enim ubique, inquit Photius, (*Cod. 172.*) orationem puram, illustrem, ac bene dispositam non sine voluptate artificiosè contexat; in his maximè scriptis, virtutibus illis, exemplorumque ubertate, atque Enthymematum copia, & quum opus est, etiam gravitate præcellit. Nonnunquam quæ interpretationis subtilioris, atque profundioris disquisitionis indigere videbantur, vel neglexit prorsus, vel levissime tetigit, ad audientium utilitatem unicè spectans.

2. Hieronymus Latinorum Patrum doctissimus multa scripsit, quæ habentur 9. tomis collecta in Edit. Paris. ann. 1623. Omnium penè meminit idem in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Inter hæc autem nonnulla irrepserunt spuria. Hujusmodi sunt Criticorum judicio.

In I. tomo Ep. 14. ad Celantiam, & 40. ad Augustinum.

In II. Ep. 56. ad Apronium, 61. ad Pammachium, 62. ad Theophilum, 98. ad Augustinum.

In tom. III. Ep. 126. ad Evagrium, itemque 142., 143., 144., 145. Item Quæstiones, aut Traditiones Hebraicæ in libros Regum, & Paralipomenon, & Appendix in Acta Apostolorum.

In tom. IV. inveniuntur adjecta Commentaria in Threnos Jeremiæ, quæ Sixtus Senensis, & Bellarminus Rabano Mauro tribuenda esse arbitrantur.

In tom. VI. spuria habentur Commentaria mysticæ expositionis in Marcum.

Ex tom. VII. Commentaria in Psalmos a nonnullis prorsus suppositia censentur. Bellarminus saltem corrupta, & interpolata arbitratur ab quodam posteriorum temporum exscriptore Monacho desumptis multis ex brevi commentariolo in Psalmos, quod Hieronymus idem se scripsisse testatur, & ex aliis orthodoxis authoribus.

Ex tom. VIII. resecanda essent Commentaria in Job, & in omnes Epistolas Pauli. Prima attribuuntur rectius Bedæ, cujus inter opera inveniuntur. Secunda eadem videntur esse quæ Pelagius scripsit teste Aug. multis in locis, (*l. 3. de peccat. meritis, & remiss. c. 1. & 12. Et l. de pecc. Origin. c. 21. & alibi.*) Mario Mercatore, (*In Comm. c. 2.*) & Cassiodoro. Dices: Eccur in hujusmodi Commentariis Pelagiani dogmatis ne quidem vestigium apparet. Respondetur I. Cassiodorum Epistolæ ad Romanos commentarium, in quo Pelagiani erroris venena erant seminata, qua potuit curiositate purgasse, ut ipsemet loquitur Divinar. Lection. c. 8: reliquas autem Epistolas in chartaceo inquit, Codice scriptas, vobis, id est suis monachis, emendandas reliqui. Respondetur II. falsum assumi. Nam in commentario ad cap. 7. epist. ad Roman., vel quod Cassiodorum præter-

tervolaverit, vel quod postea ab inscio quodam, aut improbo restitutum fuerit, hoc habetur: Si quum lex non esset, peccatum mortuum est; insaniunt, qui de Adam per traducem ad nos asserunt pervenire peccatum, quod non vestigium solum, sed summa est Pelagiani erroris. Ex tomo IX. resecanda quoque sunt multa, ut Expositio Symboli ad Damasum, quam Pelagii ejusdem fœtum esse constat ex Augustino, (*l. de pecc. origin. c. 21.*) & Zosimo Papa. (*Epist. 2. ad Afric. Episc.*) Item Epistola ad Demetriadem, quæ jam scribente Beda eidem Pelagio tribuebatur, & ex epis. Augustini ad Julianam Demetriadis matrem satis apertè colligitur. Item epist. 3., 10., 11. quæ est de Assumptione, 13. de gradibus Eccles., 19. de Cereo Paschali, 36. de observatione Vigiliarum, 40. de duobus filiis, 51. de vita Clericorum, 52. ad Damasum, & hujus responsio. Verbo. Cætera quæ in 9. tomo inveniuntur, aut perperam Hieronymo adscripta sunt, inquit Nat. Alex., vel suis titulis proprios authores produnt. Hieronym. in dicendo purus, & simplex, & plerumque elegans, in exponendo solidus, & historico sensui inhærens, uber item, & multæ lectionis copia nonnumquam redundans, atque ita aliena referens, ut ea quandoque adoptare videatur: in epistolis rotundus, ornatus: in impugnando acer, ac vehemens ut nonnunquam orationis velut impetu delatus in extremum oppositum videatur impegisse, uti quum de secundis nuptiis, quum de Religione juramenti, quum de Presbyterorum dignitate, quum de virginitatis merito, & nonnullis aliis, unde Dallæus, & Eterodoxi alii ejus nonnunquam testimoniis abutuntur, quæ in hujus operis decursu attingentur.

3. Joannem Hierosolymitanum Petrus Wastelius Carmelitanum fecit, & scriptorem libri de Institutione priorum Monachorum. Sed neque hunc Joannem, neque Græcum aliquem ejus libri authorem esse patet, ex Latinis Græcorum nominum interpretationibus, ut illa μοιος latinè dicitur unus, αχος tristis, quasi sua, & aliena peccata solitarius lugens, atque hujus generis sexcenta. Ipsum Origeni plus æquo addictum fuisse, & propterea errorum nonnullorum accusatum ab Hieronymo, & Epiphanio infensiorem patet ex horum Patrum epistolis; (*41. adv. errores Joan. Hieros.*) at ille edito adversus obtrectatores suos libro sese purgavit ostendens Origenis se ingenium, non fidem ac doctrinam sequutum, ut est apud Gennadium in catalog. cap. 30.

§. XXXIII.

Theophilus, Palladius, Ruffinus, Severianus, Gaudentius, Chromatius, Commodianus, Zeno, Synesius, Severus Sulpitius.

1. Theophilus Patriarcha Alexandrinus tres Epistolas Paschales scripsit, & Paschalem Cyclum, quem Theodosio Augusto dedicavit. Epistolam item Synodicam adversus Origenem, & de sacris mysteriis librum, quem Latinum fecit Hieronymus. Aliquot ipsius Pœnitentiales Canones apud Zonaram, aliosque inveniuntur. Joanni Chrysostomo infensior fuit, quem etiam in exilium mittendi author fuisse perhibetur. Hoc tamen non obstante ab Hieronymo, Leone, (*Ep. 52. & 64.*) & Gennadio (*cap. 33.*) laudatur.

2. Palladius Helenopolis in Cappadocia Episcopus scripsit de vita, & institutis Monachorum, quem librum, quod Lauso viro Aulico dedicaverit, Lausiaca appellavit. Vitam item S. Joann. Chrysostomi. Origeni addictissimus fuit, nec a Pelagii erroribus multum abhorruit, ut ex Hieronymo colligitur in præf. libri ad Ctesiphontem.

3. Severianus Gabalitanus in Syria Episcopus homilias plures scripsit, ex quibus nonnullæ supersunt, quas inter opera Chrysostomi in lucem dedit Savilius. Hujus authoris stylus comptus, ornatus, elegans, & cum doctrinæ ubertate, & gravitate jucundus.

4. Ruffinus Aquilejensis Presbyter, quem tantum laudavit quondam, quantum postea reprehendit Hieronymus, vir fuit, ait Gennadius,, elegantis in vertendis Græcorum libris ingenii. Ex eo habemus Clementis Romani Recognitionum libros, Eusebii Cæsariensis historiam Ecclesiasticam, Josephi Hebræi opera omnia, & Origenis libros περ' αρχων cum homiliis Basilii octo. Addidit Eusebio historiæ Ecclesiasticæ libros duos. Scripsit Expositionem Symboli ad Laurentium: de benedictionibus Patriarcharum, Commentaria in Oseam, Joelem, Amosium, tresque Apologiarum libros adversus Hieronymum, qui (*Epist. ad Ctesiph.*) eum Origenismi, & Pelagianismi accusaverat. In Ægyptum, & Orientem peregrinatus est Melaniam fœminam sanctissimam comitatus, unde redux, inquit Hieronymus Romam invexit navem plenam suarum blasphemiarum. Librum item edidit Sententiarum, & Proverbiorum Moralium sub nomine Sixti Papæ, & Martyris, in quo, ut idem Hieronymus scribit, (*Pref. in l. 4. Comment. in Jerem.*) juxta dogma Pythagoræorum qui hominem exæquabant Deo, multa de perfectione (id est impassibilitate, & impeccantia hominis, quæ in Gerunnio Origenis discipulo damnata fue-

fuerat) dicebantur, ut qui nomen Philosophi nescirent, sub Martyris nomine biberent de aureo calice Babilonis. Tribuuntur etiam Ruffino Commentaria super 75. ex Psalmis, quos tamen aliqui cum Doujatio centones arbitrantur ex Aug., Gregorii, & posteriorum PP. sententiis consarcinatos. Reddidit etiam Latinè libros Evagrii Pontici de hominis impeccantia, & naturali justitia. Unde in suspicionem venit negati peccati originalis, quam suspicionem adauxit Cœlestii confessio, qui in Carthag. Concilio sub Aurelio protestatus fuerat, se a Ruffino didicisse; quia tradux peccati non erat. At Joannes Garnerius S. J. Theologus contendit Ruffinum, a quo Cœlestius hæc audierat, non fuisse Aquilejensem hunc, de quo loquimur, sed Ruffinum Syrum, de quo Hieronymus in ep. 66. ad ipsum Ruffinum Aquilejensem data. Natalis Alex. Garnerii conjecturas diluere conatur. Sed hos disputare sinamus. Illud certum est, Ruffinum ob Origenismi vehementem suspicionem ab Anastasio Papa damnatum, non, ut reor, velut hæreticum, sed velut contumacem, quippe qui ad judicium vocatus Romam venire contempserat. Anastasii Epistola habetur apud Marium Mercatorem, ubi statim subnectitur: Incipit fides ejusdem Ruffini. Ruffinus scripta ad Anastasium Apologia omnia sibi objecta diluere conatus est. Certè Gelasius Papa quanquam in Ruffino ea omnia condemnet, in quibus ab Hieronymo reprehenditur, tamen eum virum Religiosum vocat, dicens: Ruffinus vir Religiosus: plurimos Ecclesiastici operis edidit libros &c. Cassianus item in 7. de Incarn. Ruffinus, ait, Christianæ Philosophiæ vir, & non contemnenda Ecclesiasticorum Doctorum portio, quod idem elogium habetur apud Gennadium in catalogo. Hieronymus non solum doctrinæ, sed & sanctimoniæ laudem ei tribuit ingentem ep. 5. ad Florentium, ibi: Frater Ruffinus individua mihi germanitatis charitate conjunctus . . . Noli nos ejus æstimare virtutibus. In illo conspicies expressa sanctitatis vestigia: ego cinis, & vilissima pars luti satis habeo, si splendorem morum illius imbecillitas oculorum meorum ferre sustineat. Quod vero librum Xisti Philosophi, Sixto Pap. & Martyri tribuerit Ruffinus, non videtur malæ fidei vertendum. Nam quum Sixtus Papa Atheniensis fuerit, & philosophiam professus, ut in ejus lectionibus emendatioribus habetur, cur non potuit vel adhuc Catechumenus, vel nondum satis in divinis litteris versatus, & in sacris mysteriis eruditus librum scribere, in quo sine Scripturis, sine Patrum, qui tunc vix ulli fuerant, testimoniis, fidem Christianam cum Pythagorica Philosophia, qua imbutus erat, conciliare conaretur? An non idem fecerunt Tatianus, Aristides, Athenagor., Minutius Felix, Arnobius, Lactantius, immo ipse Justinus, & Clemens Alexandrinus, in quibus propterea multa sunt non satis adamussim

dicta, quod Pythagoricæ, aut Platonicæ philosophiæ placita nondum animo exuissent, & fidem cum illa componere, & conciliare studuerint? Cur ergo id Sixto accidere non potuit? Cur hujusmodi librum Ruffinus post Sixti Pontificatum, & Martyrium edere non potuerit? Certe hæc conjectura Ruffinum, si non ab errore aliquo, saltem a malæ fidei suspicione liberabit. Ab nota vero hæreseos illum vendicat Norisius Cardinalis in 1. hist. Pelag. c. 3. Nec multum abhorret Pagius ad an. 410. quo ille diem obiit, quum vastata ab Visigothis Aquileja, sese in Siciliam recepisset.

5. Gaudentii Brixiensis Episcopi nonnulli sermones, seu breves Tractatus habentur in Bibliotheca Patrum. Sanæ prorsus doctrinæ, nec injucundæ dictionis vir. Floruit exeunte quarto, & ineunte 5. sæculo.

6. Chromatius Aquilejensis Episcopus Ambrosio familiaris, quem Hieronymus Episcoporum sanctissimum, & doctissimum vocat in præf. ad libros Paralipom. quos illi nuncupavit, edidit Commentarium in Matthæum & dictionis elegantia, & rerum ubertate, & Religionis scientia, & morum doctrinæ laudatissimum. Ex quo tantæ molis opere, tres duntaxat supersunt Homiliæ, & fragmenta nonnulla in ead. Bibl.

7. Commodianus, ut est apud Gennadium, Silvestri tempore factus Christianus, & volens aliquid studiorum suorum offerre Christo suæ salutis authori, instructionem scripsit ad Paganos, ut eos ab idolorum cultu, ad Christum avocaret. Scripsit autem mediocri sermone, & quasi versu, nec enim aut pedum numerum, aut syllabarum observat quantitatem, sed quandam solum ex primis cujusque lineolæ litteris Achrostichidem. Et quia parum nostrorum litteras attigerat, magis illorum dogmata destruere potuit, quam nostra firmare. Unde de divinis repromissionibus adversus illos, vili satis, & crasso, ut ita dicam, sensu disseruit.

8. Zenonem Veronensem Episcopum inter authores tertii sæculi recensuit Natalis Alex., quamvis eum sub Constantio, aut Joviano diem obiisse existimet. Omnes qui ejus nomine circumferebantur tractatus, aut sermones, supposititios esse putavit cum Sixto Senensi Natalis idem. Post editam autem Natalis historiam Ballerini fratres ann. 1739. novam Zenonicorum operum editionem adornarunt ex Codice, ut dicitur, M. S. quem ante annos fere mille Hincmarum Rhemensem Monasterio S. Zenonis in sua Diœcesi sito dono dedisse commemorant. Ibi triginta Zenonis genuinos Sermones contineri ajunt, & undecim adjectos planè diversæ manus, quos illos esse asserunt, de quibus Sixtus Senensis, & Natalis loquuntur. Observant Editores Veronenses Zenonem prope quarti sæculi finem vixisse. Nam Ambro-
sius

sius epistolam ad Sigarium ejus successorem scripsit apud Maurinos ann. C. 381., immo, ut Ballerini volunt, tardius adhuc. Verum relinquamus hæc, in quibus nostri sæculi Eruditi plurimum occupantur, & digladiantur, Bibliothecas percurrunt Corbejenses, Oxfordienses, Parisienses &c. M. SS. ætatem, patriam, caracterem observant, cujuscumque epistolæ, aut syngraphæ annum divinant, authorem subodorantur. Certè quod ad rem præsentem attinet, mirandum valdè est qui potuerit S. Zeno, si post Conc. Nicœnum vixit, ita de Verbo Dei loqui, atque ejus generationem explicare, uti Græcorum, aut Latinorum nullus post eam Synodum loquutus est, quod alibi observabimus.

9. Synesius patria Cyrenensis pro gente sua Legatus ad Arcadium Aug. missus, orationem de Regno, omnium penè suorum operum pulcherrimum, eidem nuncupavit. Multa alia scripsit profanæ potius, quam sacræ eruditionis cujus ante Episcopatum imperitum se fuisse testatur. ep. 13. ad Petrum. In his sunt liber de Insomniis, de Providentia, de institutione vitæ suæ, qui inscribitur Dion ad Hypatiam Theonis nominatissimi Geometræ filiam, Encomium Calvitii, atque Epistolæ elegantissimæ multæ. Ad Episcopatum assumptus est, adnitente Theophilo Patriarcha Alexandrino, cui multum deferebat, quum tamen se mortem præ Sacerdotio optasse testatus esset, neque se ab uxore seiungi velle, aut cum ea adulteri more clanculum consuescere, quorum primum, inquit, pium non est, alterum illicitum.

10. Severus Sulpitius primum Causidicus, dein Presbyter edidit historiæ sacræ libros duos ab initio mundi usque ad annum Christi 400. latino sermone satis elegante: vitam item Sancti Martini Magistri sui, atque de ejusdem virtutibus Dialogos duos, de Conversatione Monachorum Orientalium librum unum, & Epistolas nonnullas. Millenariorum errore, & nonnullis aliis paradoxis opinionibus tinctus est. In senectute sua, inquit Gennadius a Pelagianis deceptus, postea resipuit, & loquacitatis culpam agnoscens, silentium usque ad mortem tenuit. Unde hanc notitiam hauserit Gennadius incertum est. Adversus ipsum pro Severo Apologiam scripsit Guibertus Abbas.

§. XXXIV.

Augustinus, *Marius Merc.*, *Mariusvictor*, *Orosius*, *Sedulius*, *Isidorus*, *Hesychius*.

1. Nullus est Patrum, qui plures de divinis rebus libros scripserit, nullus, cui tot fuerint libri falsò adscripti, quam Augustinus, quum propter argumentorum diversitatem, tum propter ingenii splendorem, & nominis celebritatem. Nimis propterea longum esset, ac lectori injucundum de singulis discurrere, præcipuè quum Bellarminus, Doujatius, Natalis per tomos singulos legitima Augustini opera ab adscititiis discreverint. Augustinus ipse omnium suorum præcedentium scriptorum in duobus libris Retractationum meminit. Pro iis autem, quæ postmodum scripsit, Possidius qui Magistri sui vitam edidit, omnium ipsius operum indicem contexuit. Præterea omnia opera Augustino falso adscripta Lovanienses in Appendicem seorsim rejecerunt. In editione item Antuerpiensi in principio habentur breves adnotationes Erasmi, quibus Lector quænam Aug. certa sint, quænam dubia, quænam falsa, admonetur. De cætero quid dignum addi potest ingentibus encomiis, quibus posteriora Concilia, Patres, Pontifices, Theologi, atque omnis generis scriptores Augustini ingenium, virtutem, eruditionem, & pro inquirenda veritate infatigabile studium, pro defendenda ardorem commendarunt? Exstat illud Joannis II. in ep. 3. ad Senatores, quod aureis litteris in omni schola, & in omni Ecclesia scribendum censuit Christianus Lupus: Augustinus, cujus doctrinam secundum Prædecessorum meorum statuta Romana sequitur, & servat Ecclesia.. Porro singulariter de arbitrii libertate, & de gratia Dei, quid Romana, hoc est, Catholica sequatur, & servet Ecclesia, licet ex variis B. Aug. libris.... abunde possit, tamen et in Scriniis Ecclesiasticis expressa habentur capitula, quod Hormisdas Papa ad Possessorem Africanum scripsit. Quæ autem hæc sint Capitula patet ex Epistola Cœlestini Papæ ad Galliæ Episcopos, cui ea subnexa sunt in Collect. Dionysii Exigui. Ea autem non a privato aliquo, sed ab ipso Cœlestino Pontifice collecta fuisse negaverunt Baron., Norisius, Suarius, Quesnelius, & alii Recentiorum, tamen Cœlestini esse credidit omnis antiquitas, & ex Recentioribus Petavius, Vasquiusque, ex quibus in novissima dissertatione Faurius. Sunt autem hæc Capitula ex Augustini libris deprompta quæ Innocentius, Zozimus, & Carthaginense Concilium ad fidem spectare declararunt.

I. Quod

I. Quod in prævaricatione Adæ omnes amiserimus expeditam facultatem ad salutaria.

II. Quod nemo sit per sese justus, nec possit sine gratia perseverare.

III. Neminem etsi baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas Diaboli insidias, & carnis concupiscentias vincendas, nisi per quotidianum Dei adjutorium perseverantiam beatæ conversationis acceperit.

IV. Quod nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio.

V. Quod omnia studia, & opera ac merita SS. ad Dei gloriam, laudemque referenda sunt, quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo quod ipse donaverit.

VI. Quod ita Deus in cordibus hominum, & in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis a Deo sit.

VII. Quod Gratia non solum valet ad præteritorum peccatorum remissionem, sed etiam ad futurorum evitationem.

VIII. Quod Gratia Christi non solum illuminet intellectum, sed etiam moveat immediatè voluntatem.

IX. Quod Gratia Dei fit non solum ut facilius, verum etiam, ut simpliciter possimus salubriter operari. Hæc est Augustinianæ doctrinæ Summa de gratia, & libero arbitrio, quam suam fecit Catholica Ecclesia, ut prorsus non sit habendum Catholicum, quidquid prædictis sententiis apparuerit esse contrarium, ut ibidem dicitur. Profundiores autem, difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quæ ex his principiis enascuntur, uti de efficacia gratiæ, de ejus cum libertate concordia, de Prædestinatione sanctorum, & hujusmodi multæ, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, & quarum obscuritas Catholicos Theologos in diversa Systemata, & varias fecit abire sententias, sicut non debemus, nec audemus contemnere, ut ibidem legitur, ita non necesse habemus adstruere. De cætero non omnia universim Augustini dicta esse ab Ecclesia approbata perspicuum est, ex iis quæ disseruit de origine animarum, de omnimoda spiritualitate Angelorum, de animatione astrorum, de Antipodum exstantia, de primis sex Creationis diebus, quos allegoricè de Angelica cognitione explicuit, de Eucharistiæ necessitate ad salutem, etiam in parvulis, de eorumdem cum solo originali decedentium æterna pœna, de dissolubilitate matrimonii causa fornicationis. In quibus, & aliis minoris momenti opinionibus non ab Ecclesia solum, verum etiam ab communibus Theologis impunè deseritur. Ex ejus multis scriptionibus præcipuè legendi libri adversus Pelagianos, &

Ma-

Manichæos, libri de Civitate Dei, de doctrina Christiana, de moribus Ecclesiæ, commentaria in Psalmos, Epistolæ, libri adversus Donatistas, de Peccatorum meritis, 83. 99.

2. Marius Mercator Aug. coævus in Latinum transtulit Apologeticon S. Cyrilli adversus Orientales, & nonnulla alia Græcorum Patrum fragmenta, aliquæ exstant ejus ad Aug. epistolæ: librum scripsit subnotationum adversus Julianum Semipelagianum, quem notis illustratum edidit Garnerius. Item Contradictiones, sive impugnationem adversus impios Anathematismos Nestorii.

3. Marius alter Victor ejusdem ferè ætatis tres carminum libros composuit de historia mundi ab Adamo usque ad Abrahamum: item Epistolam de vitiis sui sæculi ad Salomonem Abbatem, quæ exstant in Biblioth. PP. Rhetoricam professus est Massiliæ, Laicus homo, nec inpenitiori Theologia multum versatus.

4. Paulus Orosius, Hispanus Præsbyter aliquas ad Augustinum scripsit Epistolas, quas inter Commonitoriam de hæresi Priscilliani: tractatum item de arbitrii libertate adversus Pelagianos, septemque historiæ libros, hortante Augustino, ad quem scribit dicens: Explicui, Beatissime Pater, ab initio mundi usque in præsentem diem hoc est per annos 5616. punitiones, & cupiditates hominum peccatorum, conflictationes sæculi, & judicia Dei, quam brevissimè, & simplicissimè potui. Historiam hanc uti dignam, & adversus Paganorum calumnias valdè necessariam commendat Gelasius. (*Syn. Rom.*) Objiciebant enim illi calamitates imperii ex Christiana Religione, & contempto suorum cultu Numinum occæpisse.

5. Sedulii Presbyteri exstant in Bibliotheca Patrum quinque libri de Christi miraculis, de quibus Gelasius: Venerabilis viri Sedulii Paschale opus, quod hexametris scripsit versibus, insigni laude proferimus. Eadem etiam Christi miracula, hortante Macedonio Presbytero soluta oratione exposuit. Poemata Sedulii habentur etiam in 2. parte Chori Poetarum Latinorum. Sigebertus Episcopum fuisse scribit; sed deceptus est occasione cognominis Episcopi Britani, qui Greg. II. ætate Syn. Romanæ interfuit ann. Christi 721. Collectanea in Matthæum, & in Pauli Epistolas, si ejusdem quidem opus sint, quod Labbæus putat, non Sedulii Poetæ, sed Sedulii Scoti sunt, quem Epidamus Sancti Galli Monachus ann. 818. vixisse commemorat. Sedulio enim Poeta Patres multò posteriores, ut Gregorius Isidorus, Beda in his Collectaneis citantur.

6. Sub Theodosii principatu ut est apud Evagrium, (*1. hist. c. 15.*) claruit Isidorus, cujus latissima est gloria, & qui quum ob res gestas, tum eloquentiæ causa ubique celebratur... Fuit autem Presbyter, & prope Pelusium urbem Ægypti Monachus, quem duo millia

lia Epistolarum ad ædificationem Ecclesiæ Christi multi scripsisse noverunt, ait Facundus Hermianens., (*l. 2.*) qui etiam pro vitæ, & sapientiæ suæ meritis, ut Pater ab ipso Cyrillo & honoratus est, & vocatus. At Nicephorus: Epistolarum omnis generis divina simul, & humana gratia refertarum prope chiliades decem scripsit, in quibus scripturam omnem exponit clarius, & omnes omnium mores instituit, quippe qui dicendi genere utitur ad docendum aptissimo . . . . Et quod apertè Chrysostomum defenderet (cujus & discipulus fuisse traditur) vehementer Arcadium, & Cyrillum, atque hujus patronum Theophilum perstringit. In his epistolis valdè notabilis est 370. ad Cyrillum missa, qua eum ad deponendas antiquas cum Joanne Chrisostomo jam tum defuncto simultates, ac veluti hæreditariam iram adhortatur: Ne, inquit, ego condemner, & tu divinum subeas judicium, simultates, ac dissidia comprime. Nec privatæ, ac domesticæ contumeliæ ultionem, qua tanquam ære alieno a mortalibus adstrictus es, in viventem Ecclesiam deriva, atque æternam ipsi dissensionem pietatis specie, atque obtentu compara.

7. Annum circiter Theodosii sextum, Christi 412. Hesychius Hierosolymitanus Presbyter, inquit Theophanes, litterarum doctrina florebat, cui Photius orationes adscribit de Jacobo fratre Domini, de Davide, & Thoma (Andream dicere voluit.) Apostolo. Sub Hesychii nomine inveniuntur item septem libri Commentariorum in Leviticum, & Commentaria item in 12. minores Prophetas. Dubium est autem inter Hesychium Salonitanum Augustino coævum, Dalmatiæ Episcopum, ad quem duæ exstant Augustini epistolæ: inter Hesychium Hierosolymitanum Episcopum, ad quem exstat epistola Gregorii: inter Hesychium Hierosolymitanum, & inter Hesychium Constantinop. Presbyterum, cui Photius de serpente æneo quatuor libros adscribit. Priori hos Commentarios tribuit Card. Perronius; Hesychio Hierosolymitano Presbytero Natal. Alex., & hæc videtur communior sententia.

§. XXXV.

Nilus, Proclus, Cyril. Alex., Theodotus, Cassianus, Vinc. Lirin., Hilarius Arelat., & Eucher.

1. Nilus primum Constantinopolitanæ urbis Præfectus, deinde Monachus, & Abbas, S. Joann. Chrysostomi discipulus multa scripsit, quorum indicem texit Labbæus. (*De Script. Ecc.*) Ejus authoritate usa est adversus Iconomachos Septima Synodus act. 4.

2. Proclus primum Cyzicenus, dein Constantinopolitanus Episcopus

pus orationes aliquas, & Epistolas edidit, de quibus Labbæus idem. Ejus testimoniis adversus Hæreticos usa est Chalcedonensis Synodus, & quinta Oecumenica.

3. Cyrillus Alexandrinus Theophilo patruo suo in Episcopatu successit. Nestorianæ hæresis acerrimus impugnator fuit, ejusque de Verbi Incarnatione sententiam Catholica Ecclesia amplexa est in Ephesino, cui præfuit Concilio. Scripsit in Joannis Evangelium libros decem, ex quibus quum quintus, sextus, septimus, & octavus desiderarentur, Jodoci Clictovæi Parisiensis Theologi diligentia suppleti sunt, unde ortum ut quatuor libri illi pro Cyrillianis ab nonnullis habeantur, ac laudentur. Postea tamen Joann. Auberti Laudunensis opera veri Cyrilliani libri quintus, & sextus, cum fragmentis septimi, & octavi in lucem prodierunt. Scripsit item contra Juliani tres, libros decem omnigena eruditione refertos, & veræ Theologiæ studiosis utilissimos. Veram autem Theologiam dicimus cum Augustino, per quam & noscitur quid credendum sit, & quemadmodum id ipsum quod creditur & piis auribus opituletur, & contra impios defendatur, paratis nobis reddere rationem omni poscenti ejus quæ in nobis est, fidei, & spei. Sed de hoc alibi. Opus item edidit egregium, cui titulus Thesaurus, aut Thesaurorum libri. Quod ut Cyrilli verum fœtum agnovit Photius, (*Cod. 213.*) & apud ipsum Eulogius Alexandrinus Patriarcha, & Ephremius Antiochenus, tum Martinus, & Agatho Rom. Pont., ac denique VI. Synod. act. 10. Rivetus, Dallæusque quum eorum librorum authoritatem negare non audeant, malæ tamen fidei accusant D. Thomam, qui in opusculo quodam ex Cyrilli Thesauro verba allegaverit pro Rom. Pontificis Primatu, quæ apud Cyrillum, inquiunt non habentur. His respondetur I. D. Thomam, cujus ætate libri erant rarissime, forte ea verba desumpsisse ex Scriptore aliquo apud quem ea reperit. Non enim omnes, quos allegamus authores, aut totos legimus, aut semper ad manum habemus, quem scribimus. Alii aliorum fidei innitamur necesse est. Respondetur II. D. Thomam potius ad Cyrilli sententiam, quam ad verba respexisse. Cyrillum autem de Ecclesiæ Romanæ eminentia magnificè loquutum esse patet ex Andrea Colossensi in Florent. Synod. sess. 7., ubi nullo Græcosum reclamante, Græcus homo testatus est Romanæ Sedis authoritatem in Cyrilli libris mirificè prædicari; patet ex Gennadio Scholario, Græco item, qui in lib. de Primatu Rom. Pontificis locum Cyrilli adducit ex libr. Thesaur. ei, quem S. Thom. protulit, simillimum. Adde, D. Thomam solita sua simplicitate plerumque non capitula, sæpe numero nec libros allegare solitum, sed authores duntaxat: ut dicit Aug., ut dicit Hilarius: nec eis qui ejus operum posteriores editiones adornarunt, minimus fuit labor, loca citato-

tatorum ab ipso authorum inquirere. Respondetur III. Ex S. Cyrilli Thesauro multos libros injuria temporum periisse, qui forte D. Thomæ tempore exstabant, ex quorum aliquo ea verba desumsit. Hujus rei palmare est argumentum. Nam in 6. Synod. Oecumenica laudatur locus Cyrilli ex 32. lib. Thesaur. At nunc non nisi quatuordecim habemus: duodeviginti igitur Cyrilliani Thesauri libri desiderantur. Hæc dicta sint obiter in defensionem D. Thomæ, cujus præter dotes cæteras tantus animi candor, ac sinceritas, & modestia in ipsa ejus dicendi simplicitate, verborum claritate, styli uniformitate relucet, ut mirum sit alicui, qui ipsum legerit, rem hujusmodi in mentem venire potuisse.

4. Ut ad Cyrillum redeamus, liber inscriptus de Sacrosancta Trinitate supposititius est. Bellarminus putat centonem esse ex diversis P.P. fragmentis ab aliquo posteriori compaginatum. Certo prima duodecim capita leguntur in 1. Damasceni libro. Libri 16. in Leviticum Origenis esse creduntur. Apologi Morales neque Cyrilli, nec alicujus Græci Scriptoris esse videntur. Dubiæ fidei sunt Breves Anagogæ, atque Homiliæ 19., quas in lucem edidit Garnerius. Tractatus inscriptus: Dicta veteris Testamenti Anagogicè exposita ex ipsomet Cyrillo, atque aliis posterioribus Patribus excerpta esse creduntur. Accusatur Cyrillus quod conspirationem Christianorum contra Judæos foverit, in qua multi occisi, reliquis ab ipso Cyrillo Synagogæ ademptæ, bona plebis tumultuantis direptioni permissa, ipsi Alexandria ejecti. Item quod quingentorum Monachorum conspirationi contra Orestem Præfectum faverit: quod Ammonium Monachum Præfecti percussorem honorificè sepeliverit, Thaumasium, id est admirandum appellari jusserit, & veluti propietate, & justitia mortuum publicè in Ecclesia laudaverit: Quod Hypatiam sapientissimam, & modestissimam fœminam Theonis nominatissimi Mathematici filiam, & Alexandrinæ Scholæ moderatricem opera Petri Alexandrinæ Ecclesiæ Lectoris aut occiderit, aut cœdis saltem conscius, & fautor fuerit: quod denique adversus Joann. Chrysostomum etiam post sancti viri mortem, antiquum Patrui sui Theophili odium, ac veluti hæreditariam iram diu servaverit, quæ Nicephorus, (*l. 14. cap. 16.*) & Socrates (*l. 7. cap. 14.*) Christiani Historici, & Damascius Ethnicus (*In vita Isidori Philosophi.*) memoriæ prodiderunt. Porro quamvis Socrati Novatiano, & Damascio Christianis infenso credendum non sit in hujusmodi; at infensum in Chrysostomum Cyrilli animum diu etiam post mortem ejus fuisse ex supra laudata Isidori Pelusiotæ ad eumdem Epistola perspicuum est. Hunc tamen animum divina visione admonitum deposuisse scribit Nicephorus lib. hist. 24.

cap.

cap. 28., eumque Græca, & Latina Ecclesia in Rom. Martyrologio tanquam non solum doctrina, sed etiam sanctitate celebrem colit.

5. Theodotus Ancyranus unus ex Ephesinæ Synodi Patribus, & qui in ea adversus Nestorium orationem habuit, scripsit Expositionem Nicœni Symboli, sive confutationem Nestoriani erroris ex Scripturis, & PP. Nicœnorum testimoniis. Tres item libros de Spiritu Sancto quorum ipse meminit, & injuria temporum videntur periisse. Expositionem Symboli in Latinum vertit, & notis illustratam edidit Combefisius.

6, Cassianus qui non sine opinione eximiæ sanctitatis obiit Theodosio, & Valentiniano regnantibus scripsit celeberrimas Patrum Collationes, quas S. Thom., ut in ejus lectionibus habetur, assiduè pervolutabat. Inter Semipelagianos connumerari solet, talemque habuit S. Prosper, eumque impugnavit edito libro, cui titulus: Contra Collatorem. Hac impugnatione præcipuè impetitur Collatio 13. quæ est Abbatis Chæromonis. Tamen eum ut Sanctum habuit Magn. Gregor., & Urban. V., qui ejus caput in urna pretiosa collocavit cum hac inscriptione: Caput S. Cassiani. Massiliæ annua solemnitate colitur cum Officio, & Missa ad d. 23. Julii. Scripsit etiam Tractatum de Incarnatione adversus Nestorium hortatu S. Leonis tunc R. Ec. Archidiaconi.

7. Vincentius Monachus Lirinensis, & Presbyter magnum sibi nomen comparavit exiguo quidem, sed pretiosissimo, & elegantissimo libro, cui titulus: Commonitorium adversus profanas hæreseon novitates, in quo, inquiunt Magdeburgenses Centuriatores, id est, Romanæ Communionis hostes infensissimi, vis ingenii elucet, & doctrinæ magnitudo. Antiquitatis enim ipsum fuisse studiosissimum manifestè deprehenditur, & tam in Græcorum, quam Latinorum lectione versatum: in sacrarum Scripturarum tractatione argutum, facilem, perspicuum. Scripsit quasi post triennium ab celebrato Ephesino Concilio, ut ex cap. 42. haberi potest, celebratum autem illud fuit an. C. 431. Natalis Alex. Norisium Cardln. sequutus Semipelagianum fuisse credit, & authorem illarum Vincentianarum Objectionum, quibus S. Prosper respondit. Natalis conjecturæ rem certè non evincunt, & multo videtur verosimilius authorem earum Objectionum adversus Aug. doctrinam fuisse illummet Vincentium, qui juvenis adhuc contra Augustinum scripserat, & in quo Sanctus idem Doctor errores aliquos reprehenderat; vel illum alium Vincentium, cujus Gennadius meminit, (*cap. 64.*) quod Baronio placuit.

8. Hilarius Arelatensis scripsit vitam S. Honorati decessoris sui, Expositionem in Symbolum, Homilias ad singulas anni solennitates, & Epi-

& Epistolas multas satis elegantes: ligata item oratione in Genesim, & de quibusdam aliis sacris argumentis. Vita autem S. Ginesii, quæ sub ejus nomine invenitur apud Surium, falso Ei adscribitur. Fuit & alter in Africa Hilarius Augustini discipulus Laicus, sed satis cultus, cujus aliquæ exstant ad Augustinum epistolæ, & qui cum S. Prospero Romam petiit ad Cœlestinum Papam relaturus de rebus Semipelagianorum. Hos inter Hilarium Arelatensem numerat Natalis, Nititur autem verbis Prosperi ad Augustinum ita scribentis: Unum eorum præcipuæ authoritatis, & spiritualium studiorum virum, Sanctum Hilarium Episcopum Arelatensem sciat Beatitudo tua, admiratorem, sectatoremque in aliis omnibus tuæ esse doctrinæ, & de hoc quod in querelam trahit, jam pridem apud Sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre. Sed quia utrum, & quo fine, id facturus sit, incertum est &c. Ex quo patet satis fuisse illo tempore ut quis circa Augustini doctrinam de gratia quid dubitaret, aut difficultatem opponeret aliquam, ut Semipelagianus audiret. Sicut nunc contra evenit. Nam petulantium ingeniorum vitio, nimis Augustino tribuentium, & suum passim Augustinum jactantium factum est, ut quisquis in materia præsertim de gratia cum Augustino sentire se dicat, hoc ipso Bajanus, aut Jansenista habeatur. Falsò utrumque, ne dicam temere. Nam in profundioribus, ac difficilioribus partibus incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui posterioribus Hæreticis restiterunt, quasque aut Augustinus non tetigit, aut in quibus Augustini authoritati, Ecclesiæ authoritas non accessit, in his, inquam, sicut Augustini authoritatem non debemus contemnere, ita neque cum ipso sentire in singulis tenemur. Quot enim sunt ab Augustino dicta, quæ poterant, possuntque difficultatem ingenerare etiam eorum animis, qui in materia Gratiæ cum Augustino sentiunt? Sed de his satis.

9. Eucherius Lirinensis Monachus, deinde Episcopus Lugdunensis librum scripsit, cui titulus: Formularium spiritualis intelligentiæ ad Veranum filium: duos alios Instructionum ad Salonium filium. Primus quæstiones continet, & responsiones super quibusdam novi, & veteris Testamenti locis: secundus interpretationes quorumdam nominum Hebraicorum S. Scripturæ. Feruntur quoque ejus duæ Epistolæ, quarum altera de Contemptu mundi, altera de laude Eremi. Tribuuntur etiam seniori huic Eucherio (nam fuit alter Arausicani II. Concilii tempore) homiliæ nonnullæ ex iis quæ sub Eusebii Emisseni nomine vulgatæ sunt, in quibus illæ de S. Blandina, de S. Maximo Lirinensi, & de SS. Epipodio, & Alexandro. Liber de passione MM. Thebæorum cujus Eucherii sit dubitatur; at Commentaria in Genesim, & in libros Regum quæ in Bibliotheca PP. sub Eu-

Eucherii nomine habentur, neutri ex his tribui possunt. Nam Author se Anglum profitetur, & Gregorio Magno, & Cassiodoro se posteriorem demonstrat.

§. XXXVI.

Salvianus, Salonius, Chrysologus, Basilius Seleucus, Prosper, Pomerius, Faustus, Arnobius, Mamertus, Theodoretus, Leo I.

1. Salvianus Massiliensis Presbyter, non Episcopus, ut quondam creditum, qui medio sæculo V. floruit, libros composuit de Providentia, de vero judicio, itemque ad Ecclesiam Catholicam, quos Salonio Eucherii laudati filio nuncupavit. Fertur etiam liber ipsius de Avaritia, & nonnullæ Epistolæ non minus elegantia omnia, quam pia.

2. Salonius item Dialogos scripsit in Proverbia, & Ecclesiastem, qui habentur in Biblioth. PP.

3. Petri Chrysologi exstat brevis, sed gravis ad Eutychem Epistola, & nonnullæ Homiliæ.

4. Basilii Seleuciensis exstant Homiliæ 40. satis elegantes, quas novissimus interpretatus est Combefisius. Quindecim duntaxat agnovit Photius, (*Cod. 148.*) cui etiam Metrum tribuit de vita, & Martyrio S. Theclæ. Libri ergo duo de vita S. Theclæ soluta oratione scripti, falsò Basilio adscribuntur. Photius coævum, & amicum facit Chrysostomi, eique libros de Sacerdotio nuncupasse Chrysostomum scribit, nam figurarum, inquit, tam familiaris usus, magnum est singularis cum Joanne consuetudinis, & lectorum ejus librorum argumentum. An vero non potuit Chrysostomi libros legere, stylumque imitari post Joannis mortem?

5. Prosper Aquitanus, quem Baronius Fori Lepidi, quod nunc Regium dicitur, in Æmilia Episcopum fuisse putavit, alterius Prosperi nomine deceptus, ut probat Nat. Alex., scripsit librum contra Collatorem, de quo supra: item contra Capitula Gallorum: contra objectiones Vincentianas, Poema quoddam de Ingratis, Epistolas ad Aug. tres, unamque ad Ruffinum: Chronicon ab initio mundi ad ann. 455., de quo tamen dubitat, sed immeritò, Garnerius. Poema de Providentia, quod Labbæus edidit supposititium habetur. Circa libros duos de vocatione Gentium magnum est dubium. Anthelmius Prospero, Quesnellius Leoni adjudicat; Natalis utrumque excludit, sed certum authorem non profert; Asserit tamen horum librorum scriptorem eundem esse, atque Epistolæ ad Demetriadem, quæ inter Prosperi opera habetur. Libros de Prædictionibus, & Promissionibus Dei

Dei existimat authorem esse Prosperum alium Africanum. Nam author se Carthagine vixisse testatur, quò Prosper Aquitanus nunquam fuit, & aliunde Cassiodorus (*Initio lib. de Divinis lectionib.*) authorem eorum librorum Prosperum vocat. Tres de vita Contemplativa libri verosimilius Juliano Pomerio, quam Prospero Aquitano tribuuntur. De hoc Gennadius: Prosper, inquit, homo Aquitanus scripsit librum contra opuscula, suppresso nomine Cassiani: quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociva. Sed Gennadius iste Semipelagiani erroris fuligine tinctus, non in ipsum Prosperum duntaxat, verum & in Augustinum, & Hieronymum iniquior est. Nimirum

Malè verum examinat omnis
Corruptus judex, quod est apud Horatium.

6. Julianus Pomerius de quo nuper, natione Maurus fuit, & in urbe Arelatensi Rhetoricam professus S. Cæsarium ejusdem postea urbis Episcopum auditorem habuit, deinde Presbyter factus est. Edidit, inquit Isidorus de Script. Eccl. c. 12. de Virginibus instituendis libellum unum, aliosque tres de futuræ vitæ contemplatione, vel de actuali conversatione, & de vitiis, & virtutibus. Hos autem eosdem esse cum tribus de Vita Contemplativa, quæ inter Prosperi opera censebantur, patet ex ipsa operis partitione. Nam in iis primus liber est de Vita Contemplativa, secundus de Actuali, id est, Activa, sive actuosa vita, tertius de virtutibus, & vitiis. Pomerio etiam tribuuntur in antiquo Codice Andegavensi, & in Codic. S. Salvatoris ap. Sirmondum.

7. Faustus Episcopus Rejensis, aut Regiensis vir doctus, & facundus duos de gratia, & libero arbitrio libros scripsit Semipelagianorum fautor apertissimus, quapropter a Gelasio Papa inter Apocrypha, ejus opera rejecta sunt. Hos libros post Arausicani Concilii decretum ab Scythis Monachis ad Africanos Episcopos in Sardinia exules missi sunt, eosque S. Fulgentius septem libris confutavit. Scripsit etiam adversus Arianos Gennadio teste, qua propter ab Evarico Gothorum Rege Ariano in exilium missus creditur. Nonnullæ item exstant ipsius Epistolæ, quas inter una ad Ruricium, altera ad Felicem, ubi de exilio suo loquitur. Librum item edidit, cujus argumentum: Nihil præter Deum, incorporeum esse.

8. Hunc Fausti librum, tribus editis de Statu Animæ Claudianus Mamertus Viennensis Presbyter impugnavit. Sidonius Apollinaris hoc opus, & Mamerti omnia summis laudibus extollit, eumque Christianorum Philosophorum peritissimum vocat. Sed his immodicis, & hyper-

hyperbolicis laudationibus, quarum nostri præsertim ævi homines liberalissimi sunt non multum fidendum est, præsertim quando authores, quamvis alioqui eruditi, & graves eas sibi invicem largiuntur, encomia propria aliorum encomiis quærentes. Scripsit etiam Mamertus ligata oratione adversus vanos Poetas, ipsique tribuitur Pange lingua gloriosi lauream certaminis, quod in antiquo M. S. Gennadii se scriptum invenisse testatur Sirmondus.

9. Incerto authori, cui nescio qua ratione Arnobii junioris nomen est inditum, tribuuntur Commentaria in Psalmos, quorum mentio est apud Bedam. Quarto sæculo ipsum vixisse scribit Natalis, & Semipelagiano errore implicatum. Sed divinatorie de ejus ætate, & patria disputatur. Ipsi etiam tribuuntur adnotationes quædam in Evang., & Conflictus Catholici de Trinitate, de duabus in Christo naturis, de Grat. & lib. arbitrio.

10. Theodoretus Cyri Episcopus multas, doctasque lucubrationes edidit, quarum ipse meminit in Ep. ad Eusebium Ancyranum, & Leonem Papam. In editione Græco latina ab Sirmondo procurata per tomos quatuor dividuntur. Primus continet quæstiones historicas veteris Testamenti, & Psalmos. Secundus Commentaria in Prophetas. Tertius Commentaria in Epist. Pauli, Historiæ Ecclesiasticæ libros quinque, Philoteon, sive Historiam Religiosam, & 147. Epistolas. Quartus tomus complectitur Polymorphum, in tres divisum Dialogos, quorum interloquutores Orthodoxus, & Eranistes, Hæreticarum fabularum libros quinque: adversus Gentiles libros 12., quibus titulus: De curandis Græcorum affectionibus. Historia Ecclesiastica quinque supra centum annos complectitur, quod ipse testatur in fine libri quinti. At Gennadius libros 10. Theodoretum scripsisse asserit. Vel autem aliter olim divisi erant, vel fallitur Gennadius, quod verius est, quum Theodoreti historiam ab anno Constantini 20., id est 325., usque ad Leonem Aug., qui anno 457. regnare cœpit. Annos igitur plusquam centum, ac triginta Theodoreti historia complecteretur, quod ex ipso Theodoreto falsum esse convincitur. Ex Commentario sup. cap. 3. 1. ad Corinthios Verba quædam pro veritate Purgatorii adduxit D. Thom., quæ nec ibi, nec alibi in Theodoreti scriptis leguntur. Forte ea verba D. Thom. in alio citata invenit, forte in M. S. Codicibus, qui ad nos pervenerunt, omissa sunt: forte ob memoriæ lapsum, qui facilior est in iis hominibus multæ, & variæ lectionis, alium pro alio authorem allegavit. Adde Bellarminum nostrorum temporum Criticum eximium ex eodem Theodoreti Comment. in 1. ad Cor. c. 3. in eandem sententiam de Purgatorio verba similia adducere. Adde denique Lectiones in Ep. Pauli non esse opus ab ipsomet D. Thoma compositum, sed ex ejus scriptis, & do-

& doctrina ab aliis compaginatum, ut suo loco dicetur. D. Thom. potuit quod apud alium legerat, Theodoreto tribuere eadem bona fide, qua magn. Gregor. Theodoreti quod erat, Sozomeno attribuit, dicens: Ipsam quoque (Sozomeni) historiam Sedes Apostolica non recipit, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsuestiæ nimium laudat, & usque ad diem obitus sui magnum Ecclesiæ doctorem fuisse perhibet. Hæc tamen Theodori Mopsuesteni laus, non Sozomeni, sed Theodoreti est in lib. Hist. Eccl. 5., ibi: Theodorus Mopsuestiæ Episcopus totius Ecclesiæ Doctor, & qui adversus omnes Hæreticorum catervas strenuè decertaverat, vivere desiit: alibi etiam ait se historiam concludere destinasse in obitu præstantissimorum virorum Theodori Mopsuesteni, & Theodoti Ancyrani. Libro quarto Hæreticarum fabularum Garnerius putat assuta fuisse postrema duo capita, non tamen id satis probat. Scripsit etiam Theodoretus contra duodecim Capitula, aut Anathematismos S. Cyrilli pro Nestorio, cujus quamvis doctrinam damnasset, personæ tamen fuit addictissimus. Hic Theodoreti liber postea in 5. Synodo damnatus est. De reali Christi præsentia in Eucharistia nonnulla adducuntur ab Sacramentariis quasi Transubstantiationi contraria. Sed in bonum sensum non incommode accipi possunt. Certè dogmati Catholico tam aperte alibi favet Thodoretus, ut Magdeburgens. Centuriatores illa scripserint: De Cœna periculosè loquitur, symbola corporis, & sanguinis Domini post invocationem Sacerdotis mutari, atque alia fieri. Sed de hoc alibi.

11. Sancti Leonis Papæ elegantes homiliæ circumferuntur, & Epistolæ, quas magna diligentia collegit, atque edidit Quesnellius. Porro ex Epistolis rejecit eam, quæ 7. erat, inscribebaturque ad Septimium, 17. ad universos Siciliæ Episcopos, 88. de Chorepiscopis ad Galliarum Episcopos. Ex Homiliis subreptitia habetur quæ est de Natali S. Vincentii, item quæ de Cathedra Sancti Petri, & quæ de Natali Apostolorum Petri & Pauli, ubi præter adnexum Exordium, cætera desumpta sunt ex duobus sermonibus in Anniversario Assumptionis suæ. Quesnellii scholia magno prius plausu ab Eruditis excepta sunt, quos inter sæpe eum cum laude citat Natalis Alex. Deinde autem penitius introspecta, ac severius discussa, visa sunt multa parum Catholica, & illic sparsa artificiosè semina earum assertionum, quas postmodum Sedes Apostolica proscripsit. Etiam inter ea quæ sanam doctrinam continere videntur, dum conjecturis suis plus æquo indulget, inquit Constantius, (*In præf. t. 1. Epist. Rom. Pontif.*) suæ ipse magis, magisque prodit unanimitatem opinionis.

§. XXXVII.

Maximus, Victor, Idacius, Gelasius, Sidonius, Æneas Gazæus, Victor Vitens., Eugenius, & Gennadius Massiliens.

1. Maximi Taurinensis Episcopi multæ sunt Homiliæ, variique Tractatus, quos nominatim recenset Gennadius in Catalogo, quæ partim Ambrosio, partim Augustino olim tribuebantur.

2. Victor, aut Victorius Aquitanus Canonem Paschalem edidit ad annum usque 532.

3. Idacius in Gallecia Episcopus Chronicon scripsit ad annum usque 468., & Anthemii Aug. consulatum alterum.

4. Gelasius Papa nonnullas scripsit Epistolas, quas inter notabilis ad Imperator. Anastasium, aliamque item, in qua multi salubres habentur canones ad Brutii, & Siciliæ Episcopos. In Syn. Rom. 70. Episcoporum ann. 494. indicem edidit, qui de hac re primus habetur, discernens eos qui sanæ doctrinæ sunt, & certi authoris, ab iis qui ex aliquo capite suspecti habentur. Hunc Indicem putant nonnulli ab Damaso cœptum, ac deinde ab Gelasio, & Hormisda locupletatum. Quare his omnibus tribui solet. Insertus est Decreto Grat. in Can. Sancta Rom. 3. Dist. 15. Scripsisse item dicitur contra Eutychem, & Nestorium, atque Hymnos aliquos.

5. Gelasius Cyzicenus Cæsareæ in Palæstina Episcopus scripsit historiam Nicœnæ Synodi, quam levissimæ authoritatis esse putant Petavius, & Nat. Alex. (*diss. 13. ad sæc. 4.*) aliquas Græci hujus authoris hallucinationes adnotans; verum illæ quidem parvi momenti sunt, ut ineptus Scriptor dicatur. Liber adversus Eutychem, & Nestorium de duabus in Christo naturis, cui Gelasio tribuendus sit disputant Critici Canus, Bellarmin., Baronius, Perronius, Natalis, Petavius, Labbæus. Cyziceni opus esse verosimilius est legenti ipsius præfationem ad Historiam Conc. Nicœni, ubi Aulam ab Eutychianis turbatam fuisse scribit, seque ab iis exagitatum, & cum iis congressum fuisse, & eosdem disputando confutasse commemorat. De transsubstantiatione duriusculè, & obscurè loquitur author iste, quamvis benigna interpretatione non caret.

6. Sidonius Apollinaris ex Urbis Præfecto Claromontanus Episcopus, patria Lugdunensis novem libros Epistolarum, & nonnulla scripsit Poemata, varia inquit Gennadius, & grata volumina, sanæque doctrinæ. Eruditissimus virorum, & veteris eloquentiæ reparator dicitur a Claudiano Mamerto, qui tamen ab Sidonio insigniter laudatus fuerat. Sidonii opera edidit, & notis illustravit Sirmondus.

7. Æneæ Gazæi Platonici Philosophi ad Christi fidem conversi exstat in Bibl. PP. Dialogus, cui titulus: Theophrastus, de Animarum immortalitate, & Corporum Resurrectione.

8. Victor Vitensis, Historiam Wandalicæ persequutionis, in qua ipse passus est multa, tribus libris composuit. Huic adnexus est libellus Hunnerico Regi oblatus, cui titulus: Ratio fidei a Victore Africano Episcopo reddita exigente Rege Hunnerico.

9. Eugenius Carthaginensis Episcopus in eadem persequutione Confessionis gloria clarus, scripsit, ait Gennadius, librum fidei Scripturarum sanctarum testimoniis communitum, & per Collegas confessionis suæ Hunnerico Regi porrexit. Hic liber cui titulus: Confessio fidei, & sanctæ Trinitatis habetur ad calcem librorum Victoris Vitensis. Adsportandus in exilium, Epistolas velut commonitorias fidei, & unius sacri conservandi baptismatis ovibus suis quasi pastor solicitus dereliquit. Altercationes quoque, quas cum Arianorum Præsulibus per internuntios habuit, conscripsit, & Regi legendas per majorem Domus ejus transmisit. Similiter, & preces pro quiete Christianorum eidem velut Apologias obtulit.

10. Gennadius Presbyter Massiliensis inter elucubrationes alias, quas ipse se scripsisse testatur, & nunc non exstant, composuit libros duos de Viris illustribus, sive scriptoribus Ecclesiasticis usque ad suam ætatem, vel annum Christi circiter 490. In hoc opere Semipelagianis apertissimè favet. Fausti Regiensis opus egregium vocat, contra ac scripsit Fulgentius. De Cassiano adversus Prosperum qui loquatur, supra in Prospero vidimus. Nec æquior est versus Augustinum, de quo sic scribit: Aug. vir divina, atque humana doctrina orbi clarus, fide integer, & vita purus, scripsit quanta nec inveniri possunt . . . Unde & multa loquenti accidit quod per Salomonem dixit Spiritus Sanctus: In multiloquio non effugiet peccatum. Error tamen illius multo sermone contractus, lucta hostium exaggeratus necdum hæresis quæstionem dedit. Scripsit item de Ecclesiasticis Dogmatibus librum, qui per annos multos Augustini creditus est, & in Appendice operum ejus habetur. Adrianus I. in Ep. ad Carolum Mag. hunc librum laudat sub Gelasii nomine, quem Sanctum, & Massiliensem Episcopum vocat. Huic operi adjecta sunt capita 20. a 21. usque ad 51. ex Concilio Arausicano, & Carthaginensi longe post Gennadii obitum celebratis.

11. Fuit & alter Gennadius Scholaris dictus, Græcus author, qui longe post de Primatu Rom. Pontificis scripsit, cujus supra meminimus in Cyrillo.

§. XXXVIII.

Ruricius, Paschasius, Avitus, Boetius, Maxentius, Dionysius Exiguus, Fulgentius, Ferrandus, Justus, Vigilius, Cæsarius.

1. Ruricius Episcop. Lemovicensis multas scripsit de Sacris argumentis Epistolas, quas duobus libris edidit Henricus Canisius, & habentur in Bibl. Patrum.

2. Paschasii Rom. Eccl. Diaconi ibidem exstant libri duo de Spiritu Sancto uberrimi profecto, & eleganti satis stylo compositi.

3. Avitus Alcimus Aviti Rom. Imp. Nepos, & Viennensis Episcopus, multas scripsit Epistolas, variosque Sermones, quorum fragmenta cum Poematiis aliquot, quos seorsim a Biblioth. PP. edidit, notisque illustravit Sirmondus. Poemata inveniuntur item in 2. tom. Chori veterum Poetarum Latinorum.

4. Severinus Boetius Consul Roman. sub Theodorico Italiæ Rege, cujus deinde jussu occisus est, doctissimus fuit, atque elegantissimus scriptor, cujus translationibus Pythagoras Musicus, Ptolomeus Astronomus, Nicomachus Arithmeticus, Euclides Geometra, Plato Theologus, Aristoteles Logicus leguntur Italis, qui Mechanicum etiam Archimedem Latialem Siculis reddidit, ut est apud Cassiodorum, ex Epist. Theodorici Regis. Inter alia ejus opera quæ videri possunt ap. Bellarmin. & Labbæum notabiles sunt de Consolatione Philosophica Libri quinque soluta, & ligata oratione æquè elegantes. Liber de Bono, de duabus naturis in Christo, ac de Trinitate, quem D. Thomas Commentariis illustravit. Liber de Unitate, & Uno jam ab D. Thomæ ætate supposititius habebatur, quamvis a Petavio, & aliis Recentioribus Boetii esse credatur, hominibus nimirum magis in rebus Historicis, & factorum controversiis, quam in abstracto illo, ac rigidiori veterum Philosophorum stylo versatis, quo imbutus erat apprimè, atque discernere poterat D. Thom., maximus Theologorum Philosophus, & maximus Philosophorum Theologus.

5. Joann. Maxentius Monachus Scytha, atque ex iis unus qui tempore Hormisdæ Papæ super famosa illa thesi: Unus de Trinitate passus est, controversiam movit, quique Hormisdæ ipsius Epistolam ad Possessorem impugnavit, Dialogos scripsit contra Nestorianos, & Acephalos, qui habentur in Biblioth. PP.

6. Dionysius Exiguus cognomento dictus Collectionem Canonum summo studio compaginavit, de quo alibi.

7. Fulgentius, natione Africanus, Ruspensis Episcopus, & in Wandalica persequutione sub Trasamundo Rege in Sardiniam ob fidei con-

confessionem deportatus scripsit ad Monymum libros tres, quibus quatuor Theologicæ quæstiones explicantur: contra objectiones Arianorum librum unum: ad Trasimundum de variis fidei quæstionibus libros tres: de fide ad Petrum librum unum, ubi parvulos non baptizatos ignis æterni sempiterno supplicio puniendos docet. Hic liber Aug. olim creditus fuit: de Trinitate ad Felicem librum unum: contra Sermonem Fastidiosi librum unum: Quæstionum ad Ferrandum libros quinque: de fide orthodoxa librum unum; de diversis Hæreticorum erroribus ad Donatum librum unum; de Remissione Peccatorum libros duos; De veritate Prædestinationis, & Gratiæ libros tres. Sed liber de Prædestinatione, & Gratia, quem ipsi tribuunt Sirmondus, & Theophilus Rainaudus neque stylo, neque doctrina consonat. Perierunt septem libri adversus Faustum, de quo supra, & liber adversus Pintam Arianum Episcopum; exstant autem ejusdem nonnullæ Epistolæ morales, & dogmaticæ. Fulgentius in omnibus Augustino inhæret.

8. Ferrandus Fulgentii discipulus, Eccl. Carthaginensis Diaconus, Magistri sui vitam, & nonnullas scripsit Epistolas: Canones ad Cleri Africani instructionem spectantes compilavit, de quo alibi. In suis Epistolis thesim: Unus de Trinitate &c. apertè sustinet. Multa item habet præclara circa Rom. Pontificis authoritatem in controversiis fidei, & in confirmatione Conciliorum. Illa maximè, inquit, quibus Eccl. Rom. consensus accessit, secundum authoritatis locum post libros canonicos tenent. Hoc tamen non obstante in controversia super tribus Capitulis, Schismati adversus Vigilium Papam, & 5. Synodum apertissimè favit.

9. Justus Urgelitanus in Catalonia Episcopus Expositionem Mysticam Canticorum scripsit, cujus meminit Isidorus, exstatque in tom. 9. Bibl. PP.

10. Vigilius Tapsensis in Africa Episcopus contra Nestorium, atque Eutychetem libros quinque scripsit: de Trinitate libros XI: disputationem cum Sabellio, Photino, & Ario sub Athanasii nomine. Unde factum est, ut quum hæc disputatio, tum libri de Trinitate, tum etiam Symbolum: Quicumque quod Vigilii esse creditur, Athanasio tribueretur. Vigilius enim ad multorum insignium Scriptorum imitationem, nominibus veterum Patrum inscribebat libros, quos adversus errores illorum temporum scribebat. Athanasius v. g., sive de Trinitate: fides Athanasii: Quicumque vult &c. eo modo quo scriptum est ab Tullio: Cato sive de Senectute, Lellius, sive de Amicitia.

11. Cæsarius Episcopus Arelatensis scripsit hortatu Cæsariæ sororis instructionem ad Virgines Deo sacras, & homilias nonnullas, quæ

habentur in Bibliot. PP. Inter quas tamen quæ de Gregor. Magno, & de Isidoro Hispalensi est, supposititias esse confestim apparet.

§. XXXIX.

Victor Capuanus, Rusticus, Primasius, Junilius, Liberatus, Facundus.

1. Victor Capuæ Episcopus Cyclum Paschalem scripsit adversus eum, quem Victor Aquitanus scripserat, anno circ. 545.

2. Rusticus R. Eccl. Diacon. librum contra Acephalos scripsit, sed in controversia trium Capitulorum Schismaticus fuit, atque ab Vigilio Papa exauthoratus.

3. Primasius Adrumetinæ Ecclesiæ in Africa Episcopus, trium Capitulorum primum defensor, mox impugnator, quinque in Apocalypsin libros scripsit: librum item de Hæresi, cui titulus: Quid faciat Hæreticum? Breves Commentarii in Pauli Epistolas dubii habentur, maximè in Epistolam ad Hebræos, qui Haimoni potius videtur tribuendus.

4. Junilius in Africa item Episcopus Tractatum edidit de Partibus Divinæ Legis; sed Commentarii in tria prima Genesis capita, cui ex Moralibus S. Gregorii nonnulla inserta sunt, non Junilii, sed Bedæ esse creduntur.

5. Liberatus Carthaginens. Eccl. Diaconus, & in controversia trium Capitulorum Schismaticus opus scripsit sub Breviarii nomine adversus Nestorianam, & Eutychianam hæresim, quod edidit notis illustratum Joann. Garnerius.

6. Facundus Hermianensis in Africa Episcopus, acerrimus trium Capitulorum defensor fuit, pro quibus 12. libros scripsit, ut ostenderet sine fidei, & Concilii Chalcedonensis jactura, ea condemnari non posse. Librum item edidit ad Mutianum Scholasticum, a quo reprehensus fuerat, quod eam ob causam se ab Ecclesia separasset. Facundus itaque Schismaticus, atque apertissimè rebellis fuisse convincitur definitioni Vigilii Papæ, & 5. Synodi, adeo ut Vigilium, & Pelagium Romanos Prævaricatores vocaverit in tractatu alio cui titulus: Epistola fidei Catholicæ in defensione trium Capitulorum. De transubstantiatione Eucharistica non benè sensisse aliquibus videtur. Certè duriora sunt, & quæ non facile in sanum sensum trahi possunt verba illa ex cap. ult. lib. IX. Non quod propriè corpus ejus sit panis, & poculum sanguis; sed quod in se corporis sui mysterium, sanguinisque contineant. Unde & ea Dominus corpus suum, & sanguinem appellavit.

§. XL.

Victor Tunonens., Zacharias, Cassiodorus, Climacus, Leontius, Venantius, Greg. Turonens. Anastasii, Leander, Gregorius Magn., Isidorus, & Joannes Moschus.

1. Victor Tunonensis, aut Tonnonensis ob pertinacem trium Capitulorum defensionem in exilium a Justiniano Augusto amandatus Chronicon ab initio Mundi usque ad primum Justini Junioris annum scripsit. Extat tantum ab anno 444. ad annum 565.

2. Zacharias Mytilenes in Græcia Episcopus Justiniani Augusti tempore scripsit contra duo principia Manichæorum, & de Opificio Mundi, sive de prima rerum creatione Dialogum adversus Hermogenem materiæ æternitatem adstruentem. Zacharias rerum Theologicarum scientia, & Philosophiæ penitioris doctrina eruditus, stylo item eleganti, & ad veterum Philosophorum methodum, ac disserendi, & argumentandi artem compositus, cujus testimoniis crebro, ac libenter usus est Dionysius Petavius.

3. Cassiodorus Senator, & Theodorico Regi ab Epistolis, dein Monachus, doctus homo, & in legendo, atque scribendo indefessus, ad juventutem Monasticam erudiendam libros scripsit de Arithmetica, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Orthographia, Musica, Geometria, Astronomia. Nihil tamen in his omnibus non vulgare, ac tritissimum. Boetium in scriptorum multiplicitate, & disciplinarum varietate imitari conatus fuisse videtur; sed ab illius viri plenitudine, profundiori rerum notitia, ac dicendi elegantia procul abest. Edidit præterea Epistolarum libros duodecim ad sui ævi historiam, Politicamque cognoscendam utilissimos. Chronicon item ab Exordio mundi usque ad Consulatum Justini Augusti, atque Eutharici, id est, usque ad ann. Christi 519.: Duodecim quoque libros Historiæ Gothicæ, cujus solum superest Synopsis quædam ab Jordano Ravennæ Episcopo consarcinata: de Anima librum 1: de institutione divinarum litterarum tractatum non ignobilem: Commentarium in Psalmos ex D. Augustini sententiis contextum. Commentaria in Epistolas, Actaque Apostolorum, & Apocalypsin numerantur a Natali Alex. inter opera Cassiodori, quæ perierunt; hoc tamen sæculo Scipio Maffeius invenit Veronensem M.S. Codicem, cui titulus: Cassiodori Senatoris complexiones in Epistolas, & Acta Apostolorum, & in Apocalypsin. Has autem Complexiones Commentaria illa esse existimavit, quæ Cassiodoro ab antiquioribus tribuebantur; illa tamen non perpetua Commentaria, aut Expositiones sunt, sed brevis duntaxat obscu-

obscuriorum locorum explicatio. Inter alia observat Maffeius jam inde ab Cassiodori ætate lecta fuisse in 1. Joannis verba illa, & versiculum ex 5. cap. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo &c. Tribuuntur etiam Cassiodoro Commentaria in Canticum; hoc tamen ipsius non esse probat inter alios Garetius Sancti Benedicti Monachus, qui correctissimam hoc sæculo Cassiodori operum editionem procuravit.

4. Joannes Climacus celeberrimi Monasterii ad montem Sinai Abbas scripsit ad Pastorem librum unum; sed præcipuum aliud Asceticum, cui titulus: Scala Paradisi, ubi per gradus triginta Ascensionem disposuit animarum ad Christianæ vitæ perfectionem, unde & illi Climaci nomen accessit. Κλιμαξ enim Græcè, Latinè Gradus dicitur. Hoc opus Commentariis deinde illustravit Joann. Abbas Raithuensis.

5. Leontius Bizantinus postremis Justini annis, ac Tiberii primis floruit. De Sectis Hæreticorum librum scripsit. Itemque de Chalcedonensi Concilio; adversus Apollinaristas libros duos, adversus Eutychianos, & Nestorianos libros tres, tum responsiones ad argumenta Severianorum.

6. Venantii Fortunati nonnullæ exstant Epistolæ, & carmina, quæ seorsim habentur in 2. tom. Veterum Poetarum. De eo alibi.

7. Gregorius Turonensis Episcopus præter alia plura, quorum ipse meminit, nec alicubi inveniuntur, decem Historiarum libros composuit, tum Miraculorum libros septem, ubi quatuor de Miraculis Sancti Martini Turonensis item Episcopi, duo de gloria Martyrum, unus de gloria Confessorum: Tractatum item de Vitis Patrum. Stylus ejus incultus est, & quum verbis, tum dictione, barbarus. In Historia nævis multis, atque erroribus scatet, inquit ex Cano, & aliis antiquioribus Natalis Alexander, qui authoris simplicitati, & credulitati condonandi sunt, ait Baronius: præsertim vero crebris anachronismis refertus est.

8. Anastasii Sinaitæ nomine multi insigniuntur Tractatus. Præcipui sunt Contemplationum Anagogicarum in Hexameron libri 12., quorum in Latina traductione, quæ exstat in Bibliotheca Patrum Lugdunensi, undecim duntaxat, inveniantur: Tractatus adversus Acephalos, cui titulus Ὁδηγὸς, seu viæ Dux. Item de Orthodoxa fide sermones quinque; opusculum quod inscribitur: Compendiaria fidei institutio, atque orationes nonnullæ. Porro in horum operum authore non conveniunt Critici. Quidam ea omnia tribuunt Anastasio Sinaitæ Patriarchæ Antiocheno, qui Justiniani temporibus vixit, a quo exauthoratus est, & in exilium amandatus, suffecto in ejus locum Gregorio Monacho. Alii eorum operum authorem faciunt Anastasium alium,

alium; item Sinaitam, item Antiochenum Patriarcham, qui Anastasio illi primo in suam Sedem restituto, ac deinde emortuo successit. Nonnulli quædam uni, quædam alteri ex his duobus tribuunt, ex quorum numero Glycas apud Fabritium Contemplationes Anagogicas huic secundo, Grabius primo easdem adjudicat. Οδηγος, sive viæ Dux Seniori Anastasio communius assignatur. Certè quisquis hujus Tractatus author fuerit, in errorem haud exiguum incidit, Christi corpori in Eucharistia tribuens affectiones omnes, passiones, atque immutationes, quibus sacramentales species sunt obnoxiæ, quasi frangatur corpus Christi, quum hostia frangitur, & calefiat, aut frigescat, quum hostia calefit, aut frigescit. Scilicet, dum nimio ardore Justiniani errorem impugnaret author iste Christi corpori ante Resurrectionem, incorruptionem, & απαθειαν tribuentis, in extremum oppositum delatus est; ipso tamen hoc suo errore apertissimè confirmat suam, & sui sæculi fidem circa realem Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam.

9. Leander Hispalensis Episcopus præter librum de Instit. Virginum ad Florentinam sororem, plura adversus Arianos scripsit opuscula, multaque alia ad Officii Ecclesiastici dignitatem, & argumentum spectantia. S. Gregorius Magnus ejus amicissimus Libros Moralium in Job ipsi nuncupavit.

10. Gregorius Romanus Pontifex hujus nominis I. multa elucubravit pietate, & sacra eruditione commendatissima. Præcipua habentur Moralium Expositionum in Job libri 35., quos Leandro Hispalensi Episcopo nuncupavit: Pastorale, sive de Pastorali cura: Homiliæ in Evangelia, & in Ezechielem: Dialogorum libri quatuor; Antiphonarium, seu Sacramentarium, vel Rituale de Officiorum divinorum, & Sacramentorum celebratione, & administratione: Regestum, sive duodecim Epistolarum libri. Attribuuntur quoque Gregorio Commentaria in Cantica, in Psalmos Pænitentiales, & in primum Regum. Hæc tamen dubia sunt. Ildephonsus quidem Commentaria in Cantica sub Gregorii nomine laudat; sed in antiquioribus, & probatioribus M. SS. non inveniuntur, nec istorum meminit Paterius Rom. Eccl. Notarius, & ejusdem Gregorii discipulus. Certum est item Gregorium per Homilias multas libros Regum, & non solum libri primi sexdecim prima capita exposuisse, hasque Homilias Claudium quemdam Abbatem publici juris fecisse, non tamen absque interpolatione, & corruptione maxima, ut neque stylo, neque doctrinæ ipsius Gregorii congruerent, quod ipsemet queritur in 22. lib. 10. epistola. Porro circa quatuor Dialogorum libros, non Novatores solum, verum etiam multi Catholici dubitarunt, quum propter styli varietatem, tum propter crebra quæ ibidem leguntur miracula,

Neu-

Neutrum tamen convincit. Sanctissimi enim, & Sapientissimi Scriptores, homines sunt, inquit Canus, labuntur aliquando, & oneri cedunt; indulgent ingeniorum suorum voluptati, vulgoque interdum etiam indulgent . . . Quæ ego eadem de Beda, atque Gregorio jure fortasse, ac verè dicere possum, quorum ille in historia Anglorum, hic in Dialogis quædam scribunt miracula vulgo jactata, & credita, quæ hujus præsertim sæculi Aristarchi incerta esse censebunt. Ego quidem historias illas probarem magis, si earum authores juxta præfinitam normam, severitati judicii curam in eligendo majorem adjunxissent. Hæc Melchior Canus. (*l. 11. c. 6.*) Gregorii Regestum, sive Epistolarum libros 12. doctis notis illustravit Antonius Altaserra, qui & nonnullas adscititias, nonnullas corruptas manu scribentium vitio putat, ut apud ipsum videri potest.

11. Isidorus Episcopus Hispalensis in sæculorum fine doctissimus, & cum reverentia nominandus, ut octavum Concil. Toletanum loquitur, scripsit Etymologiarum, sive Originum libros sacra, & profana eruditione refertos, quibus manum ultimam imposuit, & in viginti divisit Braulius Episcopus: Chronicon ab initio mundi usque ad annum Domini 626.: Historiam Gothorum, Wandalorum, & Suevorum, quam auctam, & correctam edidit elapso sæculo Philippus Labbeus: de Scriptoribus Ecclesiasticis librum unum, alium de Divinis, alium de Ecclesiasticis officiis, alium de Vita, & obitu Patrum, cujus meminit S. Braulius; qui tamen nunc exstat sub titulo de vita, & morte Sanctorum, spurius habetur, aut saltem multum corruptus a Baronio, & aliis Recentioribus Criticis. Epistola de Lapsu, & reparatione Sacerdotis ad Massanum, aut Masonem illegitima creditur ab Natali Alex.; Doujatius tamen, & Eruditi communius legitimam putant. Potiori jure dubitari posset de Epistola ad Redemptum, ubi Eccles. Romanæ de Azymorum usu consuetudinem tuetur, ac defendit, quum tamen Isidori tempore Hispaniarum Ecclesiæ in fermentato consecrarent, ut alibi ostensum est. Tractatus de Ordine Creaturarum Isidori esse non videtur. Nec enim ejus meminit S. Braulius; meminisset autem dubio procul, quum opus illud ab S. Braulio solicitatus Isidorus scripsisse dicatur. Tribuitur etiam Isidoro Liturgia Mozarabica, qua usæ sunt Hispaniæ Ecclesiæ usque ad Gregor. VII. tempora, non quod ejus primus author Isidorus fuerit, sed quod eam correxerit, ac reformaverit. De hac videndus Bona Cardin. in 2. Rer. Liturgicar.

12. Joannes Moschus, alias Eviratus libri author habetur olim celeberrimi, cui titulus: Pratum spirituale, Græce Λειμωνάριον, quem Septima Synodus, & Joannes Damascenus allegarunt sub S. Sophronii Patr. Jerosolymitani nomine, quoniam Ei a Moscho nuncupatus fue-

fuerat; verum autem authorem Moschum fuisse patet ex ipsa Dedicatoria Epistola, quæ ei præfixa est, atque item ex Photio. In magna olim existimatione apud pios viros fuisse apparet ex frequentibus illius ævi sanctorum testimoniis, qui ejus lectionem tanquam utilem, & jucundam commendant. Ejus dictio, inquit Photius, ad humiliorem, & rudiorem vergit stylum, & simplicium hominum moribus ad pietatem formandis, quam in fidei doctrina erudiendis utilior.

§. XLI.

Sophronius, Maximus, Ildephonsus, Julianus, Beda, Joannes Damascenus, Alcuinus.

1. Sophronius ejusdem laudati Moschi discipulus, ac deinde Patriarcha Jerosolymitanus S. Mariæ Ægyptiæ vitam scripsisse fertur. Exstat ejus Epistola Synodica ad Honorium Rom. Pontif. qua de nova Monothelitarum hæresi exorta ad ipsum refert, & præterea orationes aliquæ.

2. Maximus Monachus & Martyr Monothelitarum impugnator, cujus disputatione convictus Sergius CP. Patriarcha ad fidem rediisse visus est, scripsit breves, sed doctas, & ad fidei normam limatissimas adnotationes in libros, qui Dionysii Areopagitæ nomen præseferunt, quem deinde sequuti sunt Joannes Cyparissiota, & Pachimeres, tractatum item de Charitate, & nonnulla alia opuscula, quæ adjecta habentur in nonnullis editionibus operum ejusdem Dionysii, quæque omnia seorsim in unum volumen collegit, & Latino sermone edidit, notisque illustravit Combefisius ex Ordin. Prædicator.

3. Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus inter alia minora opuscula, quæ in sua Bibliotheca PP. edidit Francisc. Fevardentius Minorita, tractatum scripsit de Virginitate S. Mariæ adversus tres Infideles, incipientem: O Domina mea. Alium item librum de perpetua Virginitate B. Mariæ, & ejus parturitione idem ipsi tribuit Fevardentius, cui initium: Quamvis omnium Ecclesiarum; hic tamen ab aliis Radberto Corbejensi tribuendus videtur. Stylus Ildephonsi magis pius est, quam elegans; liberque totus magis ad lenes affectus excitandos, quam ad convincendum idoneus.

4. Julianus Toletanus item Archiepiscopus Hispanorum sui ævi doctissimus tres libros edidit, quibus titulus: Prognosticon futuri sæculi: tres item de Demonstratione sextæ ætatis, quos adversus Judæos vulgavit, hortante Ervigio Rege: Historiam Rerum ab Rege Wamba in Gallia gestarum, quam in lucem edidit Duchesnius: Commentaria

taria in Nahum Prophetam, quæ ex Bibliotheca Ducis Bavariæ publici juris fecit Enricus Canisius: Ἀντικειμένων, sive contrapositionum libros duos, hoc est Antilogiarum, sive locorum Sacræ Scripturæ in speciem pugnantium explicationem. Multa alia ejusdem authoris perierunt, aut alicubi in Bibliothecis latent, quorum meminit Felix, ejus in Episcopatu successor. Sunt qui Liturgiæ Mozarabicæ, quæ usque ad Gregor. VII. apud Hispanos in usu fuit, authorem eum faciant; sed illa Juliano, immo Leandro, & Isidoro antiquior est, quamvis hi duo, atque etiam Julianus nonnulla deinceps addiderint, aut emendaverint, ut supra de Isidoro dictum est.

5. Beda in Anglia Presbyter, & Monachus vitæ innocentia, & doctrina clarus, ab teneris annis, usque ad ipsum obitus diem legendo, & scribendo indefessus incubuit. Multa scripsit, quorum ipse indicem texuit, quæ tomis octo comprehensa circumferuntur. Primus, & Secundus diversos tractatus continent profanæ potius, quam sacræ eruditionis, si tractatum excipias de Schematibus, & Tropis Scripturarum. Tertius continet Historiæ Anglicanæ libros. Quinque alii tomi complectuntur Commentaria in omnes fere Scripturæ libros; historiam trium Abbatum Monasterii Girvvensis, Epistolarum librum unum: Martyrologium, quod ut colligitur ex præfixa Usuardi præfatione, non incorruptum, & sincerum ad nos pervenit: Homilias, & Sanctorum virorum vitas aliquas. Ex his quos in Indice suo commemoravit, lucubrationibus nonnullæ non exstant. Contra vero aliquæ exstant, quorum in illo indice non meminit, vel quia posterius eas composuit, vel quia ejus nomini falso adscriptæ sunt. Has inter non immeritò habentur vitæ SS. Patritii, Columbani, & Arnulphi, Commentaria in Psalmos, in Matthæum, & in librum de Trinitate Severini Boetii: Liber de Philosophiæ elementis, & nonnulla Opuscula Ascetica, sermones, & Epistolæ, quæ seorsim adnotare longum, & supervacaneum esset. Floruit sæculo octavo ineunte. In Anglorum historia, & Sanctorum historiis nimis credulus Cano, & viris eruditis visus est, ut supra. Stylus Bedæ clarus est, simplex, fluidus; non artificiosè ornatus, aut elegans; non neglectus, aut incultus tamen.

6. Joannes Damascenus, quem Suidas Monachus Mansurum vocat adversus sui temporis Hæreticos multis, ac diversi generis scriptionibus strenuè dimicavit. In his tres orationes sunt de Sacris Imaginibus adversus Iconomachos; liber de duabus Christi voluntatibus adversus Monothelitas, de Natura Composita adversus Acephalos; de Trisagio adversus Theopaschitas. Omnium usque ad sua tempora Hæresum Indicem contexuit. Ad hæc Parallela, & Eclogas ex Sacris libris, & selectis Patrum sententiis in rebus ad Religionem, Ethicam, & Po-

& Politicam Christianam spectantibus. Præcipuum ejus opus sunt de Orthodoxa Fide libri quatuor, in quibus omnia Religionis nostræ dogmata ad methodum illam scientificam primus reduxit, quam deinde Scholæ Catholicæ amplexatæ sunt, ad summumque fastigium extulerunt Petrus Lombardus & D. Thom. Aquinas. In libris etiam Dialecticis, & Physicis primus fere Damascenus fuit, qui Philosophiam Peripateticam Theologiæ accommodavit, ac felicissimè servire fecit, quem deinde sequuti sunt posteriores Theologi, neglectis Platonicorum placitis, quibus antiquiores Patres adhæserant. Jacobus Billius, qui Damasceni opera notis illustravit, Dialogum adversus Manichæos in dubium revocat, eumque sequutus est Natalis Alexander; (*Sæc. 8. cap. 3. art. 4.*) Lequienus tamen in nova quam adornavit Damascenicorum operum editione sub hujus sæculi initium, illum Dialogum legitimum S. Doctoris fætum arbitratur, non obstante ea, quam tuetur opinione, pœnam damnatorum nihil aliud esse, quam vitii, ac peccati ignem, & flammam frustratæ cupiditatis. Hæc tamen opinio & Ambrosii, & aliorum multorum Orthodoxorum fuit, nec apud Damascenum usquam contrarium occurrit. Potiori jure de Historia Barlaami, & Josaphat dubitari posset, quam tamen Natalis Alexander sinceram putat, asserens verba illa: Ex Patre, & filio in antiquioribus M. SS. non inveniri. Contrà Natalis ipse ut spuriam rejicit orationem de iis, qui in fide dormierunt, quod ibidem contineatur fabula de Trajano, & Falconilla ab Inferni pœnis Gregorii, ac Theclæ oratione, atque intercessione liberatis; D. Thom. autem in Joannis Damasceni scriptis versatissimus orationem illam Damasceni existimavit, & supposita facti, quam non discutit, veritate, ob innatam viro modestiam, & in antiquos Patres reverentiam, supposita, inquam facti veritate, illud cum fidei Christianæ dogmate de æternitate pœnarum optimè componit. Videndi de hoc argumento Baronius, Bellarminus, Natalis Alex., aliique ab his adducti. Certè Doujatius ait, narrationibus illis de Trajano, & Falconilla licet dubiæ admodum fidei sint, potuit tamen Damascenus fidem adhibere. Quod autem Damascenus credidit, id D. Thomas sive credens, sive non credens, ita explicuit, ut cum Theologico dogmate Damasceni authoritatem optimè conciliari posse monstraret. Porro eam narrationem olim vulgo creditam patet ex antiquis Breviariis Ordin. Prædicatorum, ubi in Antiphonis habetur ad festum. Sancti Gregorii.

7. Flaccus Albinus vulgo Alcuinus, Bedæ, ut fertur Discipulus, & Caroli magni præceptor, tractatus multos scripsit, quos emendatissimos in lucem edidit Petrus Franciscus Chifletius ex Soc. JESU. Præcipui sunt adversus Felicem Urgelitanum libri VII. adversus Elipandum Toletanum libri IV. in Joannis Evangelium libri VII. De Trinita-

nitate ad Fidegisum quæstiones XXVIII: Commentaria in Ecclesiastem. Expositiones multorum locorum difficilium Genesis, Psalmorum Pœnitentialium, & Gradualium, & in Psalmum 118: Nonnullæ vitæ Sanctorum, Epistolæ, ac Poeticæ compositiones diversæ. Tractatus, cui titulus: Confessio fidei legitimus habetur ab Chiffletio, & Mabillonio; spurius ab Natali; liber tamen de Divinis officiis, optimorum criticorum judicio non nisi Compilatio quædam est ex diversis ejusdem Alcuini, & aliorum antiquiorum centonibus extracta. Libri de Rhetorica, Dialectica, Musica exigui, ac fere nullius pretii sunt.

§. XLII.

Scriptores præcipui ex IX., X., XI., & XII. sæculo.

1. Methodius Patriarcha Constantinopolitanus inter alia notabilis est, qui vitam, & passionem Dionysii Areopagitæ scripsit, & adventus ejus in Galliam meminit.

2. Amalarius Fortunatus Episcopus Trevirensis librum scripsit de Baptismate ad Carolum Magnum, qui Alcuini quondam credebatur. Alter fuit Amalarius recentior Metensis Eccl. Diaconus, qui Ludovici Pii temporibus vixit, cui librum de Divinis, sive Ecclesiasticis officiis nuncupavit in quatuor partes divisum. Scripsit item de Ordine Antiphonarii, & tractatum de Præscientia, & Prædestinatione adversus Gothescalcum. Ejusdem Amalarii esse creditur opusculum inscriptum: Forma institutionis Clericorum, & Sanctimonialium, cujus mentio fit cum laude in Concilio Aquisgranensi ann. 816. celebrato. Author est item nonnullarum Epistolarum, in quarum una ad Guntardum, ipsum ad communionem quotidianam hortatur tanquam ex Augustini sententia, eosque impugnat, qui Gennadium sequuti solum singulis Dominicis communicandum esse dicebant. Verba valde notanda hæc sunt: Hortatus est te Gennadius, ut præcipuè per dies Dominicos communices. Fortè non erat consuetudo illius ut per dies singulos Missam celebraret. Si enim fuisset, non hortaretur per dies Dominicos potissimum communicare. Porro hujus argumentationis vis, & ratio nulla esse posset, nisi alio ex his modis intelligatur: I. ut dicatur: si Gennadius quotidie celebrat Missam, quotidie communicat: Cur ergo alios a quotidiana communione removet? II. intelligi potest ut argumentatio sic procedat: Forte tempore Gennadii non erat in more positum; ut quotidie Missa diceretur, nam si quotidie missa diceretur, etiam quotidie Missæ adstantes Laici communicarent. Horum vero duorum sensuum primus videtur ineptus.

Non

Non enim quia Sacerdoti conceditur, immo suadetur quotidie Missam celebrare, continuo & Laico conceditur communicare quotidie. Secundus autem sensus efficacem argumentationem non continet, nisi supponatur adhuc nono sæculo in more positum fuisse ut qui Missæ interessent, omnes communicarent, quod non videtur verum, ut ex alibi dicendis constabit.

3. Theodulphus Episcopus Aurelianensis librum scripsit de Ordine Baptismi, &c. alium: Testimoniorum de Spiritu Sancto, quos Carolo magno dedicavit. Valde item notabilis, quod ad Canonicam disciplinam attinet, fertur ejusdem Tractatus, cui titulus: Capitula ad Presbyteros Eccles. Aurelianensis, quos omnes Theodulfi tractatus simul cum nonnullis versibus, & sermonum fragmentis ediderunt Sirmondus, & Mabillonius.

4. Theodorus Studita Leonis Armeni, & Michaelis Balbi temporibus floruit. Scripsit parvam, & magnam Catechesim. Prima complectitur Sermones 134., & hæc Joann. Livineii Belgæ opera Latina facta est, inveniturque in tom. 14. Biblioth. PP. Lugdunensis. In 2. latius extenditur etiam ad institutiones vitæ Monasticæ. Scripsit etiam librum contra Iconomachos, alium Jambicis versibus de vita, & conversatione Veterum Patriarcharum usque ad Noemum, atque Epistolarum libros quinque, ex quibus aliquas cum ejusdem vita Latinas fecit Jacob. Sirmondus in gratiam Baronii Cardinalis, qui eas inseruit tomo 9. Annal. Ecclesiasticor.

5. Eodem tempore floruit Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, cujus exstat Confessio Fidei data ad Leonem III. Hanc Frontonis Ducæi dono sibi missam Annalium tomo eidem inseruit Baronius. In Biblioth. Patrum inveniuntur etiam quatuor contra Iconomachos Opuscula, & nonnulli Canones circa Disciplinam. Præcipuum ejus opus est Breviarium Historicum ab tempore Mauritii Imperatoris usque ad matrimonium Leonis Porphyrogeniti, atque Irenes. Historia hæc scipta est satis dilucidè, ac diligenter, elegantique styli simplicitate, nisi quod, ut Photius notavit, (*Codic. 66.*) nimia brevitas non nihil de venustate decerpere videtur. Eam æquali elegantia Latinam fecit, & notis illustravit Petavius. Scripsit etiam brevem Chronographiam ab Adamo, usque tempora Michaelis Balbi Imperatoris. Nomina Imperatorum, & Patriarcharum Balbo posteriorum, viri alicujus studiosi additamenta sunt. Hoc opus eruditis notis elucidavit Jacobus Goarius ex Ord. Prædicator.

6. Eginhardus scripsit vitam Caroli magni, & Annales de gestis Francorum, & Germanorum.

7. Rabanus Maurus Alcuini discipulus fuisse dicitur, primum Mo-

nachus, mox Archiepiscopus Moguntinus. Ejus opera sex tomis comprehensa sunt. In primo inveniuntur Ethymologiarum libri viginti duo, duoque de Laudibus Sanctæ Crucis, partim soluta oratione, partim versu, horrenti tamen, atque scabro. Secundus, tertius, & quartus tomus continent Commentaria in omnes fere veteris Testamenti libros. Quintus Commentaria in Matthæum, & in Epistolas D. Pauli, Homilias multas de tempore, ac de Sanctis, & nonnulla alia opuscula. In sexto tomo inveniuntur de Institutione Clericorum, & Cæremoniis Ecclesiæ libri tres, liber de Sacris ordinibus, de Sacramentis divinis, & vestibus sacris: de Disciplina Ecclesiastica libri tres: de quæstionibus Canonum Pœnitentialium libri tres cum aliis minoribus opusculis. Illibatæ fidei, sanæ doctrinæ vir semper est habitus, ac rerum Ecclesiasticarum peritissimus.

8. Hujus discipuli duo celeberrimi sunt Lupus Servatus Abbas Ferrariensis in Gallia, & Walfridus Strabo. Lupi exstat Epistolarum liber unus, & item liber de tribus quæstionibus, nimirum de libero arbitrio, de Prædestinatione Bonorum, & Malorum, & de Sanguine Christi, de quibus ejus ætate ingens controversia fuit. Walfridus author est Glossæ Ordinariæ seu Magistralis in omnes sacræ Scripturæ libros ex antiquorum Patrum plerumque expositionibus contexta. Ingentis laboris, & magnæ utilitatis opus. Librum item scripsit de Officiis Divinis, sive de exordiis, & incrementis Rerum Ecclesiasticarum. Bellarminus, & Possevinus duos viros cognomine faciunt, sed unum, eundemque esse, qui prius Fuldensis, mox Augiensis Abbas fuerit, vero propius est.

9. Smaragdus Abbas Postillas scripsit super Epistolas, & Evangelia, quæ juxta ritum Romanæ Ecclesiæ per totum annum in Missa legi solent. Postilla autem dicitur breve commentarium. Scripsit etiam in Psalmos, & opusculum aliud Asceticum, cui titulus: Diadema cum aliis ejusdem generis nonnullis.

10. Paschasius Radbertus Matthæi Evangelium commentariis illustravit, librumque scripsit de Sacramento Corporis, & Sanguinis Christi doctum satis, & nervosum: Nonnullas item Epistolas, & diversos tractatus, quos in lucem edidit Jacobus Sirmondus.

11. Ado Viennensis Martyrologium scripsit, quod emendatissimum, & notis illustratum edidit Heribertus Rosvveidus Bollandiani Operis inventor, & parens. Scripsit etiam Breviarium Chronicum de sex mundi ætatibus ab Adamo usque ad annum Christi 874., in quo obiit. Quæ autem ibi hoc anno posteriora inveniuntur, additamenta sunt alicujus studiosi, sed non multum in rebus Chronologicis eruditi.

12. Ra-

12. Ratramnus Corbejensis Ludovici Pii, & Caroli Calvi temporibus scripsit de Prædestinatione libros duos, ex quorum sententiis nonnullis, quidam ipsum Gothescalco favere suspicantur. Ipsum vendicare conatur Natalis Alexander, qui pro Hincmaro suo in Gothescalcum iniquior fuisse videtur, ut in proleg. 2. dictum est. Certe si Ratramnus Gothescalco favit, id fecit, quod illius temporis multi alii pii, ac docti viri fecerunt. Edidit item Ratramnus Responsionum ad objecta Græcorum libros tres, de Anima librum unum, de Nativitate Domini, & de ejusdem Corpore, & Sanguine tractatus. De Eucharistia quidem loquendi modis utitur obscurioribus, & parum limatis, ut Calvino favere quibusdam videatur, eum tamen benignè exponere conatur Natalis. Habetur etiam ejusdem liber de Trina Deitate, de quo alibi.

13. Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius interfuit Oecumenico Concilio Octavo, cujus Acta, sicut etiam Sexti, & Septimi in Latinum Sermonem transtulit. Plurima monumenta collegerat ad historiam Monothelitarum spectantia, quæ edidit Sirmondus. Præcipuum Anastasii opus sunt Vitæ Roman. Pontificum usque ad Stephanum VI., & Historia Ecclesiastica Chronographica Tripartita. Neutra tamen compilatio tota sua est. Vitæ Pontificum a Petro usque ad Liberium tribuuntur Damaso, de quo supra: certè Anastasii non sunt. Duas postremas, nimirum Adriani II., & Stephani VI. Onuphrius Panvinius adjudicat Guillielmo Bibliothecario; repugnat Baronius. Historia Ecclesiastica magna ex parte desumpta est ex Chronographia Nicephori Patriarchæ, & ex Chronico Georgii Syncelli, ac Theophanis, quos quandoque ad litteram transfert, quod & in sua præfatione ipse testatur.

14. Usuardus apud S. Germanum Parisiis Monachus scripsit Martyrologium ex Beda, Adone, & aliis antiquioribus, quo per multos annos Romana Ecclesia usa est. Natalis Alexander Chronologicis quibusdam argumentis ductus putat non sub Carolo Magno, quod Baronius, & Bellarminus volunt, sed sub Carolo Calvo ipsum vixisse. Sed quæ Carolo Magno posteriora ibi reperiuntur, ab aliquo posteriori Exscriptore adjecta esse potuerunt, quod in hujus generis operibus & pronum est, & facile.

15. Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis in Gallia magni apud suos nominis scripsit de Prædestinatione, & libero arbitrio adversus Gothescalcum libros tres: de non Trina Deitate librum singularem. Nimirum an Deitas trina dici rectè posset valdè nono sæculo controversum fuit. Ajebat Ratramnus edito libro de Trina Deitate, ut supra. Negabat Hincmarus, qui ea occasione, de non Trina Deitate librum suum edidit. Pro Ratramno stare videtur communis posterio-

rum Theologorum, immo totius Christiani populi consensus, qui in festo Corporis Domini cum D. Thoma Aquinate, illius officii, & hymnorum authore canit:

Te Trina Deitas, unaque poscimus &c.

Exstant quoque Hincmari Epistolæ quam plures, & Capitula ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia. Omnia ejus opera in duo collegit volumina, atque edidit Sirmondus. Hincmarus pro suo tempore satis doctus fuit, & acuto ingenio, sed acri, austero, turbulento, litigiosoque. Mala quoque fide egisse putatur in causa Rothaldi, Gothescalchi, immo & nepotis sui Hincmari Laudunensis, quamvis Acta in Gothescalchum Natalis Alexander vindicare conetur. Videatur tamen ibidem Constantini Roncagliæ adnotatio. Videndæ etiam Nicolai I. epistolæ, ex quibus quale fuerit Hincmari ingenium liquidò innotescit.

16. Photius Constantinopolitanus Patriarcha primum intrusus, deinde legitimus, tandemque depositus tantum ingenio, atque eruditione clarus, quantum ambitione, perfidiaque infamis scripsit, hortante fratre suo Tarasio, tunc Patriarcha, celeberrimam Bibliothecam Criticam, quam Græcolatinam edidit Andreas Scottus S. J. Item Nomo-Canonem, sive antiquorum Canonum Collectionem, de qua alibi: Commentarium quoque super D. Pauli Epistolas, ex quo multa transtulit in suam Catenam Oecumenius, ut idem observavit Scottus. Tractatus de Divinitate, & Incarnatione Verbi, & de duabus Christi voluntatibus, cum nonnullis Epistolis, quas in publicam lucem protulit Ricardus de Monte-acuto. Inter has habetur valde notabilis, quam scripsit ad Michaelem Bulgarorum Regem. Photius infandi illius Schismatis author est, quod usque adhuc Græcam Ecclesiam ab Latina dirimit. Inter Photii opera vulgo circumferuntur responsa ad quæstiones plusquam trecentas, quarum author est Amphilochius Episcopus Cyzicenus, Photii amicissimus, a quo desumpto nomine Amphilochia dicuntur.

17. Theodori Abucaræ in Caria Episcopi exstant nonnullæ doctæ disputationes ad Dialogi formam compositæ; quas Franciscus Turrianus, & Jacobus Gretserus è Soc. Jesu Latinas fecerunt, & inveniuntur in Bibliotheca Patrum Lugdunensi.

18. Petrus Siculus Basilii Imperatoris tempore Historiam Manichæorum scripsit, quam Latinam fecit Mathias Raderus S. J. exstatque in tom. 16. citatæ Biblioth. Lugdunens.

Oecumenius, & Olympiodorus Catenas, seu Commentarios scripserunt ex antiquorum Patrum sententiis contextos, primus in Acta Apo-

Apostolorum, & Epistolas Canonicas, secundus super Ecclesiastem, Job, & libros alios. Commentarius autem in Job a nonnullis tribuitur Nicetæ Patriarchæ Heracleensi; quæ vero Oecumenii sunt, si Frontoni Ducæo credimus, non nisi ab sciolo aliquo addita, atque interpolata ad nos pervenerunt opera. Porro Jacobum fratrem Domini Josephi filium fuisse asserit ex alio matrimonio, aliasque hujusmodi sententias, sicut etiam Olympiodorus.

20. Isaaci Commeni ætate floruit Michael Psellus, qui ad Græcorum litteras, atque artes omnes, quas apprime noverat, inquit Anna Commena, (*lib. 5.*) etiam Chaldæorum disciplinas adjunxerat. Scripsit antiquarum Legum Synopsim, Responsa ad diversas quæstiones Theologicas, Tractatum Capitum 198., cui titulus: Omnifaria doctrina ad Michaelem Ducam Imperatorem, librum de Fide, de Septem Synodis, de Animo, & Corpore, de operatione Dæmonum, Paraphrasin in Cantica, & historiam quamdam, quam citat, laudatque Cedrenus præter multa alia minoris momenti, quæ recenset Possevinus. Suorum temporum, in quibus Græcorum litteratura corruerat, vir sapientissimus est habitus; verum quod ex ejus scriptis colligi potest variæ magis, quam profundæ eruditionis.

21. Iisdem temporibus, ut Baronius Cardin. existimat, floruit Theophilactus, cujus exstant Commentaria super quatuor Evangelia, Acta Apostolorum, & S. Pauli Epistolas, quæ Joann. Chrysostomi Summarium dici possunt. Item in Habacuc, Jonam, Nahum, & Oseam: nonnullas Epistolas, & Orationes, nec non Instructionem quamdam scripsit ad Constantinum Porphyrogenitum Michaelis Ducæ filium, quam in Latinam linguam vertit Petrus Possinus e Soc. J., inveniturque in tom. 17. Biblioth. Patrum Lugdunensis. In Theophilacto præter errorem Græcis communem circa processionem Spiritus Sancti, quosdam etiam alios adnotavit Bernardus de Rubeis ex Ord. Prædicatorum in dissertatione præfixa novissimæ editioni Venetæ.

22. Petri Damiani opera in tria volumina partitus est Constantinus Gaetanus Benedictinus. Primus tomus continet Epistolarum libros octo. Secundus sermones, & aliquot Sanctorum virorum vitas. Tertius de diversis argumentis opuscula sexaginta. Ex sermonibus quinque supposititios putant Theophylus Rainaudus, & Natalis Alexander. Horum nonnulli exstant inter opera Bernardi. Liber de Correctione Papæ falsò huic sancto viro tribuitur, uti dudum observarunt laudatus Rainaudus, & Possevinus.

23. Guitmundus Benedictinus, & Aversanus Episcopus scripsit adversus Berengarium de Veritate Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia libros tres.

24. Super eodem argumento scripsit etiam Lanfrancus Episcopus Cantuariensis, cujus exstat quoque breve Commentarium in Pauli Epistolas, & nonnulla Ascetica opuscula.

25. Anselmi item Cantuariensis, qui Urbani II. ætate floruit multæ sunt lucubrationes quatuor voluminibus comprehensæ. Præcipuæ sunt de Concordia Præscientiæ, Prædestinationis, & Gratiæ, Monologium, Prosologium, Dialogi de Veritate, de Casu Diaboli, de libero arbitrio, de fide Trinitatis, & Incarnationis, libri quibus titulus: Cur Deus homo? De Processione Spiritus, pro qua in Barensi Synodo egregiè decertavit, & de Conceptu Virginali. Ex operibus in quarto tomo contentis pleraque spuria sunt, ut Elucidarium, Tractatus de Conceptione Virginis &c. Anselmus fere primus est Latinorum, qui in controversiis, ac disputationibus Theologicis methodum, & acutius illud, pressiusque disserendi genus invexit, quod deinde Scholastici Doctores sequuti sunt. Fuerunt & Anselmi alii Cantuariensi pene ætate suppares, ut Gemblacensis, qui sui Monasterii Abbatum historiam scripsit, & Laudunensis author Glossæ in universam Scripturam, quæ interlinearis dicitur, quam postea multis locupletarunt Hugo de Sancto Caro, & Nicolaus de Lyra ex Minorum Ordine.

26. Honorius Augustodunensis duodecimo sæculo ineunte floruit. Multa edidit, quæ habentur in t. 12. Bibliothecæ PP. Coloniensis. In his celebriores sunt Elucidarii libri tres, tresque de Mundi imagine, quæ annis multis Anselmi esse credebantur: de Mundi Philosophia libri quatuor: de Luminaribus Ecclesiæ, sive de Scriptoribus Ecclesiasticis quatuor item: Catalogus Romanorum Pontificum, & Hæresum usque ad suam ætatem: Gemma Animæ, sive de Divinis officiis lib. 4: quæstiones, & Responsa super Ecclesiastem, & Proverbia Salomonis: Commentaria super Cantica, & eorundem alia Expositio allegorica de beata Virgine, cui titulus: Sigillum B. Mariæ. Aliorum suorum operum ipse meminit ad calcem lib. 4. de Luminaribus.

27. Euthymius S. Basilii Monachus Commentaria scripsit in Psalmos, Evangelia, & S. Pauli Epistolas. Sixtus Senensis ex Ord. Prædic. eximius Criticus Euthymio adjudicat Catenam græcam in Pentateuchum, quæ exstare dicitur in Vaticana Bibliotheca. Scripsit etiam insignem tractatum, cui titulus: Panoplia Orthodoxæ fidei adversus omnes hæreses, cujus meminit Anna Comnena in lib. suæ Historiæ quinto.

28. Rupertus in Coloniensi Diœcesi Abbas Tuitiensis scripsit de Divinis officiis libros 12., qui olim suppositi censebantur: Commentariorum in Job libros decem: Commentariorum in Joannem libros

bros quatuordecim : de Sanctissima Trinitate, & operibus ejus libros quadraginta duos : Commentariorum in Apocalypsin libros duodecim : In Cantica libros septem : In minores Prophetas libr. triginta, aut amplius juxta diversas sententias Criticorum Sixti Senensis, & Natalis. D. Gregorii libros Moralium in compendium redegit, præter alia opuscula, & minores tractatus. Limatissimum Ruperti opus esse videtur, quod de Victoria Verbi Dei scripsit libris 13. In hoc tamen Bellarminus, quem Donjatius sequitur nævum observant, quod nimirum Impanationis errorem, sive unionem Verbi, & humanitatis cum substantia panis adstruxerit. Eum benignè exponere conatur Natalis Alex., verum vix se extricare potest in obscurioribus, & durioribus quibusdam locis, in quibus, ut ipse fatetur, ut hæc sibi tribueretur opinio, ansam dedit Rupertus.

29. Bernardus Monasterii Claraevallensis Abbas celeberrimus multa scripsit majori pietatis, quam humanæ eruditionis copia. Exstant ejus opera sex tomis comprehensa. In primo inveniuntur ejus Epistolæ ad cognitionem disciplinæ Ecclesiasticæ, præcipuè Monasticæ, eorum temporum valdè utiles. Secundus, & tertius maxima ex parte Sermones continet. In quarto sunt libri de consideratione ad Eugenium Papam, suum quondam Monachum, ac discipulum, diversique alii tractatus Ascetici. Quintus, & sextus diversa opuscula complectitur, quorum pleraque Bernardi non sunt, sed diversorum Scriptorum a majori ex parte ejusdem ævi, & professionis. Stylus Bernardi lenis est, apertus, ac dilucidus. Accommodatitio, quem dicunt, sensu nimis crebrò utitur. In Conceptionis festum, nondum eo tempore authoritate publica permissum acriter invehitur ad Ecclesiam Lugdunensem scribens. De perfecta beatitudine justorum statim post mortem videtur aliquibus non benè sensisse. Curialium Romanorum vitia graphicè depingit, atque acriter insectatur. Videndus Natalis Alex. in hist. Eccl. sæc. 12. cap. 6. art. 10.

Scholion.

Qui hos sequuti sunt, Scriptores, inter Patres non computantur quamvis multi fuerint & vitæ sanctitate, & doctrinæ copia nulli præcedentium inferiores.

§. XLIII.

Drogo, Robertus, Anselmus Havelburgensis, Isaacus, Philippus Abb. Hugo, Pothon, Theorianus, Etherianus, Arnulphus, Theodorus Balsamon.

1. Drogo Monachus, atque Abbas Benedictinus, quem Innocent. II. Cardinalem, & Ostiensem Episcopum creavit egregios Tractatus scripsit de Creatione, & Redemptione Hominis, de Donis Spiritus Sancti, de Horis Canonicis, & Sermones nonnullos. Obiit ann. 1138.

2. Robertus Retenensis, natione Anglus, hortante Petro Venerabili Abbate Cluniacensi, Mahometi Alcoranum ex Arabica lingua in Latinam transtulit, in gratiam eorum, qui Mahometanorum erroribus impugnandis incumberent. Florebat medio sæculo 12.

3. Anselmus Episcopus Havelburgensis ab Lothario II. Imperatore Constantinopolim missus est. Sæpe cum sapientioribus Græcorum super controversiis, quæ utramque Ecclesiam dividunt, disputavit, hasque collationes Eugenii III. jussu explicavit libro, quem inscripsit: Αντικειμενων, sive Contrapositorum in forma Dialogi in 3. partes divisi, quarum prima est de Unitate fidei, 2. de processione Spiritus Sancti, 3. de Azymo, & fermentato, & authoritate Romanæ Ecclesiæ. Ultimis hisce sæculis prodiit sub ejus nomine liber de Ordine Canonicorum Regularium, qui suo tempore revixit, quemque ille adversus quosdam impugnatores defendit, ac tuetur. Verum ipse qui hoc opus ex antiquis M. SS. in lucem edidit Pezius, utrum Anselmi Havelburgensis, an alterius alicujus coævi scriptoris sit, non satis certus esse videtur.

4. Isaacus Armeniæ Primatus, qui apud eas Gentes Catholicus appellatur, duas orationes satis doctas, atque elegantes scripsit adversus Gentis suæ errores, quos ad tredecim, vel quatuordecim reduxit capita, nam tertium quod est de more conficiendæ in Azymis Eucharistiæ debuit inter errores numerare. Has orationes doctis notis illustratas edidit Combefisius ex Ord. Præd.

5. Philippus Abbas Monasterii, cui nomen Bonæ Spei ex Canonicis Regularibus Præmonstratensibus libros scripsit de Lapsu primi Hominis, & damnatione Salomonis, de dignitate, continentia, & scientia Sacerdotum, & Clericorum. Commentarium in Cantica, & nonnulla alia opuscula quum soluta oratione, tum ligata.

6. Hugo Monachus Cluniacensis in Anglia Abbas, ac deinde Archiepiscopus Rothomagensis, unde & ipsi nomen ad aliorum distin-

ctio-

ctionem, tres libros edidit adversus sui temporis Hæreticos de Ecclesia, & ejus Ministris, quos Alberico Ostiensi Episcopo nuncupavit, & in lucem dedit Lucas Dacherius Benedictinus Monachus. Librum item de diversis quæstionibus, qui exstat in Bibliotheca Patrum. Obiit ann. 1164.

7. Pothon Prumiensis ex Ord. Sancti Benedicti Monachus, qui, ut ipse testatur, scribebat ann. 1152. Scripsit de magna Domo Sapientiæ librum unum, & de Statu Domus Dei, sive Ecclesiæ libros quinque, pietate, & doctrina refertissimos, nec injucundo dicendi genere.

8. Theorianus natione Græcus florebat Emmanuelis Comneni Imperatoris tempore, cujus jussu in Armeniam profectus est ann. 1170., Armenorum ad fidem Catholicam reductioni operam daturus. Sæpius cum eorum Catholico Norsese disputavit, easque Collationes in librum redegit cui titulus: Dialogus Orthodoxi cum Catholico, seu Primate Armenorum Norsese, & gesta Legationis suæ. Opus egregium multa eruditione ornatum, eleganter scriptum, & solida Theologia plenum. Petavius ejus sæpe cum laude meminit, exstatque in tom. 1. Biblioth. Patrum Græcolatin.

9. Hugo Etherianus natione Etruscus, Græcorum, & Latinorum in Scriptis versatissimus, quum ad Emmanuelem Comnenum Imperatorem missus esset anno 1177. scripsit libros tres pro defensione Latinorum adversus Græcorum calumnias, sive de Processione Spiritus Sancti, quos Alexandro III. Pontifici dedicavit, divinæ, atque humanæ eruditionis copia, elegantia styli, dictionum proprietate, & puritate doctrinæ, methodoque commendatissimos, & quibus in Florentina Synodo multum adjuti sunt Catolici Doctores. Scripsit etiam librum de Regressu animarum ab Inferis, quem Pisanæ Ecclesiæ Clero dedicavit.

10. Arnulphus Normandus Episcopus Lexoviensis, eoque abdicato munere ad Monasterium S. Victoris Parisiense Regularis Canonicus Tractatum de Schismate Petri Leonis scripsit, tum aliis lucubrationibus Innocentii II., & Alexand. III. electionem adversus Schismaticos defendit, atque item jura Ecclesiæ in causa S. Thomæ Cantuariensis. Obiit prid. Kal. Novemb. ann. 1182.

11. Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochiæ Schismaticus, tam odio in Latinos, quam eruditione, scriptis, & ingenii claritate, ac judicio Photio comparandus Scholiis doctissimis illustravit Photii Nomo-canonem, Canonesque Apostolorum, & Conciliorum Generalium, & particularium usque ad sua tempora, Scripta item Dionysii, & Petri Alexandrinorum, Gregorii Neocæsariensis, Athanasii,

Basi-

Basilii, & aliorum antiquorum. Commentarium quoque scripsit in Epistolas Canonicas: tractatum cui titulus: Responsa ad interrogationes Marci Alexandrini Patriarchæ quæ exstant in tom. 5. Juris Græco-Romani, aliumque, qui inscribitur: Meditata, sive responsa ad quæstiones varias, & invenitur in tom. ejusd. operis septimo.

§. XLIV.

Raimundus, Calecas, Engelbertus, Guidus, Trivettus, Joannes Parisiensis, Bertrandus, Eymericus, Waldensis, Cabasilas.

1. Raimundus Martinius natione Catalaunius, professione Dominicanus, ac D. Thomæ, de quo mox, ætate coævus, Hebraicè, Chaldaicè, & Arabicè doctus tractatum scripsit adversus Judæos doctissimum cui titulus: Pugio fidei, ex quo multa desumpserunt postmodum Galatinus Franciscanus, & Porchetus Carthusianus in libris de Arcanis Catholicæ Veritatis, & de Victoria adversus Judæos. Martinii opus divisum est in libros tres, quorum primus Latinus totus, duo alteri Latino-Hebraici sunt. Fuit & alter Martinus, aut Martinius, si fortè alter est; qui Summæ D. Thomæ partem mediam, quæ prima secundæ, & 2. secundæ dicitur, impugnare aggressus est: Sed homo in Ethica, & Dialectica parum versatus subtilissimi, & profundissimi Doctoris mentem non est assequutus. Ejus cavillos, & sophismata monstrat, atque exsufflat Cajetanus.

2. Emmanuel Calecas natione Græcus scripsit contra errores Græcorum libros quatuor, in quibus inquit Petavius, de processione Spiritus Sancti uberrimè, accuratissimeque disputat, nihil ut de hoc argumento scribi possit doctius, ac subtilius. Edidit etiam adversus Palamitas de Essentia, & operatione disputationem egregiam: libros item de Principiis fidei, quem latinum fecit, ediditque Combefisius. Floruit vir pius æque ac doctus tempore Concilii Lugdunensis, quamvis ei non interfuerit, ut Galesinus voluit, neque scripsisse videtur nisi post mortem Michaelis Palæologi, quæ contigit anno 1283., regnante Andronico ejus filio, a quo se, cum aliis multis, eo quod orthodoxæ Latinorum fidei adhærerent, vexatos fuisse commemorat. Joannes a Turrecremata Cardinalis Calecam Sancti Dominici institutum professum fuisse tradit, quem sequutus est Natalis Alexander. Certè ex ejus scriptis nihil de hac re certi haberi potest, neque præter Scriptores Dominicanos quisquam id tradidit. Porro in D. Thomæ scriptis versatissimum fuisse, ejusque doctrinæ addictissimum liquidò apparet.

3. En-

3. Engelbertus Monasterii cujusdam in Styria Abbas, ann. circiter 1330. dogmaticos multos scripsit Tractatus, quos inter de Articulis fidei, de Corpore Domini, de Gratia Salvationis, de Justitia Damnationis, de Providentia, de libero Arbitrio, de Statu Defunctorum, Commentarium in Psalm. 118. Beati immaculati in via &c. præter alia Ascetica opuscula.

4. Bernardus Guidus ex Ordine Prædicatorum in Gallia Episcopus, qui florebat anno 1331. tractatum scripsit de Missa, nonnullosque alios Historicos, ac Theologicos, atque Expositivos Tractatus, qui videri possunt in Biblioth. Fratr. Prædicatorum. Scripsit item de Conciliis.

5. Nicolaus Trivettus natione Anglus, professione Dominicanus scripsit præter alia multa Commentaria in nonnullos sacros libros, & opus egregium de Sacrificio Missæ. Scribebat adhuc anno 1307.

6. Joannes Parisiensis item ex Ordin. Prædicator. Philippi Pulchri Galliarum Regis tempore scripsit de Potestate Regia, & Papali, itemque opusculum de modo existendi corporis Christi in Sacramento Altaris, in quo errorem sustinet assumptivæ unionis inter Corpus Domini, & substantiam panis, opinionem tamen suam Ecclesiæ judicio reverenter submittens. In suo præcipuo opere nonnullos quoque nævos habet, ob quos ab Sacra Facultate Parisiensi privatus Magisterio est, & rationem doctrinæ suæ apud Sedem Apostolicam reddere jussus, cujus dum sententiam definitivam exspectat, Burdigali morte sublatus est ann. 1307. Fuit & alter Joannes Parisiensis, item Dominicanus antiquior, cui nomen: Pungens Asinum, de quo Maluenda in Annalibus ad ann. 1237.

7. Petrus Bertrandus ex nobili stirpe ortus in Gallia ad tractum Vivarensem floruit tempore Joannes XXII., a quo Cardinalis factus est. Scripsit de Origine jurisdictionum, sive de spirituali & temporali potestate, quod opus in Bibliotheca Patrum invenitur, & in Bibliotheca Pontificia a Roccabertio compilata, simul cum Collatione, aut Disputatione, qua Ecclesiæ libertatem tuetur contra argumentationes Petri Cugnerii Regii Advocati. Obiit Bertrandus Avenione ann. 1348.

8. Nicolaus Eymericus Catalaunius ex Ordine Prædicatorum præter alia scripsit de tribus personis librum unum, de duabus in Christo naturis, de Rom. Pontificis potestate, itemque Directorium Inquisitorum, in quo, ut Pegna testatur, in Epistola qua opus illud Greg. XIII. Romano Pontifici dedicavit, præcipua Religionis capita continentur, quæ ad hæreticam pravitatem evertendam, & exstirpandam conducunt, pie, & erudite præscribuntur, & quidquid ad Inqui-

quisitionis officium exercendum exigitur, artificiosè, ac methodicè demonstratur. Obiit Gerundæ in Hispania ann. 1393.

9. Thomas Waldensis patria Londinensis, professione Carmelitanus opus scripsit, cui titulus: Doctrinale antiquæ fidei adversus Wichlefitas, & Hussitas, in quo magna doctrinæ soliditate, & ubertate, methodo, & claritate præfatorum hæreticorum, & in eis Lutheri, & Calvini, Baiique, & aliorum posteriorum errores debellavit. Opus dedicavit Martino V., qui a multis Theologis revisum, ac discussum suis litteris Ecclesiæ commendavit. Obiit Rothomagi ann. 1430.

10. Adversus eosdem Hæreticos ante, & post eorum condemnationem strenue decertaverant scriptores multi exeunte decimo quarto, & decimoquinto ineunte sæculo, de quibus Dominicani tres Joannes Jordanus, Joannes Bromiardus, Rogerius Dymmokius: Franciscani tres: Joannes Tissingtonus, Thom. Walvordus, Guillielmus Windefordus: Carmelitani quinque: Thom. Lombæus, Petrus Stokus, Joannes Marreius, Richard. Maidstonus, Richardus Lavenhamius: Augustiniani tres: Thom. Ahsburnus, Thom. Winterton., Joannes Burius: Benedictini duo: Utretus Bolton., Nicolaus Radeliffus, præter alios Episcopos, & Academiarum professores, quorum tamen nemo VValdensi in doctrinæ copia, atque adeo nemo nominis claritudine comparandus.

11. Nicolaus vel ut aliis placet, Nilus Cabasilas Archiepiscopus Thessalonicensis Schismaticus sex libros composuit de vita in Christo, quos Latinos fecit, atque edidit Jacobus Pontanus ex S. J. cum aliis opusculis ex Bavarici Ducis Bibliotheca. Præter sex illos libros, quos Interpres pium, & doctum opus appellat, duo alii exstant ejusdem Tractatus ea laude gemina profecto non digni; alter de Processione Spiritus Sancti, in quo suæ gentis errorem sustinet: alter cui titulus Græcè Ελεγχος κατα Λατινων, in quo opusculumD. Thomæ contra errores Græcorum impugnandum suscepit.

§. XLV.

Josephus Methonensis, Georgius Scholaris, Protosyncellus, Bessarion, Isidorus Thessalonicensis.

1. Josephus Methonensis in Græcia Episcopus doctum volumen edidit, in quo Marci Ephesini Episcopi adversus Florentinam Synodum accusationes, & calumnias confutavit, dogmaque Catholicum de processione Spiritus Sancti multis Patrum testimoniis, & vi argumentorum defendit. Opus hoc Græcolatinum invenitur ad calcem Actorum ipsius Florentini Concilii. Scribebat annum circiter 1411., cir-

circa quæ tempora etiam floruit, qui in eadem causa egregiam pro Latinis navavit operam, Andreas Colossensis Episcopus, cujus de Rom. Pontificis authoritate liber exstat locupletissimus.

2. Georgius, qui & Gennadius Scholaris dictus Patriarcha Constantinopolitanus Florentino Concilio cum Michaele Palæologo Imperatore interfuit. Scripsit Apologiam pro quinque Capitulis in Decreto unionis comprehensis. Post Constantinopolim captam tractatus diversos in defensionem fidei Catholicæ Mahometo II. dicitur obtulisse. Fuit etiam eodem tempore Georgius alter Scholaris, qui valetudinis causa Synodo non intefuit, postque eam, unionis decretum acerrimè impugnavit, quod observavit Leo Allatius, & notatu dignum est ne alter cum altero confundatur, quamobrem prior ille, & Orthodoxus Scriptor Gennadius ab nostris dici solet, qui post annos quinque Constantinopolitano Patriarchatu sponte abdicato in Monosterium secessit, obiitque in pace.

3. Georgius, vel ut aliis videtur, Gregorius Protosyncellus Patriarchæ Alexandrini nomine Florentinæ Synodo interfuit, per annos triginta Monachus, deinde Constantinopolitanus Patriarcha scripsit contra errores gentis suæ, & calumnias Marci Ephesini pro defensione decretorum, & Actorum Florentini Concilii. Doctam item Epistolam ad Alexium Comnenum Augustum de Processione Spiritus Sancti, sustinens per additionem illam: Filioque, nihil authoritati Symboli derogatum, aut in fide innovatum fuisse. Ab expugnatione Constantinopolitana anno secundo Christi 1451. Patriarchatum abdicavit, Romamque secessit, ubi non sine odore sanctitatis, & miraculorum opinione è vivis excessit.

4. Bessarion Trapezunte natus, S. Basilii Monachus, & Archiepiscopus Nicœnus, interfuit Florentinæ Synodo, ubi pro utriusque Ecclesiæ concordia plurimum laboravit, cujus rei gratia ab Eugenio IV. inter Cardinales relatus est, & Episcopus Sabinensis, & Patriarcha Constantinopolitanus nominatus. Scripsit egregios tractatus de Sacramento Eucharistiæ, & Verbis, quibus corpus Christi conficitur: de Spiritu Sancto adversus Marcum Ephesinum, aliumque de eodem argumento adversus Alexandrum Lascarem, & Philosophica nonnulla. Sedis Apostolicæ Legationibus perfunctus Germanica, Veneta, Gallicana, Ravennæ diem obiit ann. 1472.

5. Isidorus Thessalonicensis Monachus S. Basilii, & Abbas Monasterii Constantinopolitani S. Demetrii, & Ruthenorum, qui nunc Moscovitæ, & Russi vocantur, Episcopus, nomine, & voce Antiocheni Patriarchæ Synodo Florentinæ interfuit. Scripsit pro defensione Latini Dogmatis librum de Processione Spiritus Sancti, qui in

actis

actis ejusdem Synodi legitur, & orationes de Nativitate, Præsentatione, Annuntiatione, & Assumptione Deiparæ Virginis. Cardinalis factus est ab Eugenio IV. Obiit anno 1463. Constantinopolitanæ Patriarchæ titulo ornatus.

§. XLVI.

Burgensis, Joann. Dominici, Thom. Anglicus, Tostatus, Dionysius Carthusianus.

1. Paulus a S. Maria ex Judæo ad Christianam fidem lectione operum D. Thomæ conversus, deinde Carthaginensis in Hispania, & Burgensis, unde ipsi cognomen, Episcopus, Henrici II. Castellæ Regis ab Scriniis, & ab ipso ex testamento Joanni II. filio Præceptor datus scripsit Additiones ad Postillas Nicolai de Lyra in universam Scripturam, & de Scrutinio Scripturarum libros duos. In his, si demas nimiam quandam adhæsionem ad Hebræorum traditiones, multa sunt & acutè excogitata, & profundè, ac solidè enucleata. Ei in Burgensi Episcopatu successor datus est Alphonsus filius, qui Anacephalæosim Regum Hispaniæ scripsit. Hunc in Judaismo susceperat cum duobus aliis Gonzalvo, & Alvaro, quorum ille Placentinus in Hispania Episcopus fuit; alter Laicus de gestis Joannis II. commentaria sctipsit.

2. Joannes Dominici Florentinus ex Ordine Prædicatorum, S. Antonini Præceptor Gregorii XII. ætate floruit, a quo Ragusinus Episcopus, & Cardinalis creatus est. Interfuit Concilio Constantiensi, ubi Gregorium ipsum ad Pontificatus cessionem pertraxit. A Martino V. in Hungariam, & Bohemiam missus, pro Hussitarum reductione laboravit. Commentaria scripsit in Ecclesiasticum, & Cantica, in Matthæi Evangelium, & Pauli ad Roman. Epistolam: librum item quem Luculam Noctis appellavit adversus Coluthii Poetæ librum de Fortuna, & Fato, tum sermones, atque diversa alia. Fato concessit die 10. Junii ann. 1419.

3. Thom. Anglicus Galensis ex Ord. Prædicatorum multos Sacræ Scripturæ libros Commentariis illustravit. Sixtus Senensis & ipse ex Prædicatorum Ordine author est Commentaria in Genesim, in Isaiam, in Hieremiam, in Epistolas Canonicas, in Apocalypsin, & in Boetii libros de Consolatione, qui S. Thomæ Aquinati adscribuntur, non Thomæ Angelici, sed Anglici esse, & Librariorum errore D. Thomæ adscripta, quum pro Anglico Angelicum intellexissent. At Commentarius ejus in Genesim, qui asservatur Venetiis ad S. Joann. & Pau-

& Paulum; ab eo qui inter opera D. Thomæ habetur, longè diversus est. Exstant ibidem breves Postillæ ad priores quindecim Psalmos ejusdem Thomæ Anglici, qui sæculo 15. ineunte vivere desiit.

4. Alphonsi Tostati Hispani Episcopi Abulensis exstant ingentes tomi 25., in quibus præter opuscula varia, quæ in tomo ultimo habentur, reliqua sunt Commentaria in vetus, ac novum Testamentum, majori tamen cum labore, & rerum vulgarium copia, quam delectu.

5. Dionysius Lieuvis a patria Richelius, a professione Carthusianus dictus, & Doctor Extaticus, hoc sibi nomen vitæ sanctimonia, & scriptis multis Asceticis, & Moralibus promeruit. Scripsit etiam in omnes Sacræ Scripturæ libros Commentaria, & item in quatuor Petri Lombardi Sententiarum libros. Obiit Ruremondæ nonagenarius fere anno 1471.

6. Floruerunt hoc etiam sæculo viri alii in re Theologica doctissimi; de quibus infra agemus inter Scholasticos, & Morales Theologos. Inter Dogmaticos autem annumerari dictis merentur Joannes Capistranus Bernardini Senensis discipulus, & Catholicorum Dogmatum promotor Eximius. Ab Capistrano, ignobili in Brutiis oppido nomen accepit, & Franciscanum professus est institutum. Tractatus plures scripsit Theologica, Canonica, & Civili eruditione commendabiles, verum rudiore, atque inculto stylo, in his de Electione Papæ, de Dignitate Ecclesiæ contra Hussitas, de fidei veritate adversus Rochisanam, de authoritate Papæ, & Concilii. De matrimonio, Usuris, Contractibus, de Confessione annua, & aliis argumentis adversus Hussitas, Fratricellos, Adamitas, erroresque alios sui temporis, ac vitia strenuè dimicavit. Obiit ann. 1456.

7. Petrus de Alliaco Compendiensis Gersonis Magister, & ab Joann. XXIII. Cardinalis creatus Pisano Concilio, & Constantiensi interfuit, ubi de Ecclesia, & Cardinalium authoritate librum inscripsit. Alium item de Concordia Theologiæ cum Astronomia, & Historia, quem Picus Mirandulanus impugnavit. Quæstiones item in Hexaemeron, Commentarios in Psalterium, in Cantica, & in quatuor libros Sententiarum cum aliis multis. Obiit ann. 1425.

8. Quadriennio post obiit Lugduni Joannes Charlierus ab Gersonio Agri Rhemensis oppido Gersonius dictus, & Petri de Alliaco discipulus, quo cum Pisanæ, & Constantiensi Synodo interfuit, Regis Galliarum, & Academiæ Parisiensis nomine. Hi duo apud Gallos magno in honore habentur, & summis laudibus extolluntur, ut alter Aquila Franciæ, alter Doctor Christianissimus appelletur. Videantur quæ de Constantiensi Concilio alibi diximus. Multa scripsit Gersonius Mystica, Concionatoria,

ria, Miscellanea, nonnulla Moralia postea quam Parisiis profugus, Ducis Burgundici iram fugiens, Lugdunum se contulit, ubi in Cœlestinorum Monasterio diem postremum obiit ann. 1429.

9. Joannes Fischerius, Roffensis in Anglia Episcopus adversus Lutherum multis lucubrationibus pugnavit, cujus rei præmium gloriosissimam mortem oppetiit Henrici Octavi jussu jugulatus quinta Julii anni 1535.

10. Joannes Driedo exiguo Brabantiæ loco natus, Doctor Lovaniensis, magni inter Dogmaticos Theologos nominis, multa adversus Lutherum edidit, quæ tomis quatuor comprehensa sunt. Ex his præcipua: De gratia, & libero arbitrio, de Concordia Libertatis, & Prædestinationis, de Ecclesiasticis Scripturis, & Dogmatibus, de Captivitate, & Redemptione humani generis. Obiit Lovanii ann. 1535.

11. Eodem anno Albertus Pius obiit Carporum in Italia Princeps, multæ eruditionis vir, & in negotiis tractandis dexteritatis eximiæ, unde & Julii II., Leonis X., Clementis VII. legationibus functus est. Scripsit adversus Lutherum, & Erasmum, tandemque Lutetiæ Parisiorum diem obiit.

12. Ille de quo diximus Desiderius Erasmus Roterodamensis patria, claritate ingenii, atque eruditione, quum divinarum, tum humanarum disciplinarum nulli secundus, Canonicorum Regularium S. Augustini institutum aliquando professus est, quod postea deseruit. Novum Testamentum ex Græco in Latinum vertit, eamque versionem sibi dedicatam Leo X. nova, & insigni quadam eruditione præstare, omniumque doctorum calculo plurimum laudari testatur. Addidit deinde in novum Testamentum Annotationes, & Paraphrasim. In hoc, & aliis multis ejus operibus errores multos reperit Natalis Beda Facultatis Theologicæ Parisiensis Syndicus, Erasmumque per litteras prius admonuit, tandem ad Sacram Facultatem detulit, tanquam qui de cælibatu Ecclesiasticorum, de Ciborum delectu, de Festorum observantia, de Votis Regularium, de Horis Canonicis, de Fidelium Divortio, de Symbolis Ecclesiæ, de Consiliis Evangelicis, de Humanis Legibus, de vulgari Scripturarum versione cum Luthero sentire, aut saltem liberius, ac periculosè loqui videretur. Hinc Bedam eundem sequuti Catholici Doctores permulti calamum acuerunt, ut Joannes Faber, & Vincentius Lovaniensis Dominicani, quorum ordinem sibi semper infensum fuisse Erasmus ipse conqueritur. Multas ille Apologias pro sui defensione scribere compulsus est, atque in suis Epistolis altè exclamavit: in ep. ad Laur. Campeg. Card. Primus Lutheri librum damnavi, quod viderentur spectare tumultum, a quo ego semper, & constanter abhorrui: primus obsti-

ti ne

ti ne lucubrationes illius ederentur . . . . Semper hortatus sum , ut qui possent , adversus Lutherum disputarent , adversus Lutherum scriberent. Id ubi Lovanii cœptum est , constanti vultu probavi . . . Quid mihi cum Luthero ? Aut quid ab illo sperem mercedis , ut pro eo stare velim adversus doctrinam Evangelicam , aut adversus Ecclesiam Romanam , quam opinor a Catholica non dissentire ? adversus Pontificem Romanum totius Ecclesiæ Principem , qui nec particulari meo Episcopo velim adversari ? Non sum tam impius ut ab Catholica Ecclesia discedam : non sum tam ingratus , ut ab Leone dissentiam , cujus & favorem , & indulgentiam in me non vulgarem sum expertus : non sum tam imprudens , ut obsistam , ei cui nec regibus tutum est obsistere . . . . Hæc pluribus ad Te scripsi . . . . ne quid commovearis istorum calumniis illud certissimum habens , ac persuasissimum , Erasmum fuisse semper , & semper futurum Romanæ Sedis . . . cum primis studiosum . Hæc ille , & similia ad Leonem X. , quem sicut Adrianum VI. , Clementem VII. , & Paulum III. Erasmum magni fecisse certissimum est , & familiaribus litteris decorasse , quin & Paulum III. , eum in Cardinalium numerum cooptare voluisse memoriæ proditum est , exstantque ejus , & aliorum PP. ad Erasmum honorificentissimæ litteræ , quibus eum Romam se conferre , & contra Lutherum scribere adhortantur . Quanquam autem hæc ita sint , certum est tamen Lutherum in Erasmo , præformatum , Erasmum Luthero fuisse amicissimum , utrumque Augustiniani Ordinis desertorem fuisse : Erasmo longe doctiori , & modestiori displicuisse Lutheri errores crassiores , displicuisse styli petulantiam , acrimoniam , spurcitiam , tumultus &c. sed multos ejus errores , si non aperte approbasse , fovisse tamen , immo in quibusdam præluxisse: Erasmum ovum posuisse , ex quo Lutherus prodiit , quod censuit Bellarminus: Majorem futurum , si minor esse voluisset , quod est apud Julium Scaligerum : ad pellendam ex orbe barbariem natum fuisse videri , si non liberius genio suo indulsisset in rerum sacrarum tractatione , quod Natalis Alex. dixit . Favor autem , & encomia Summorum Pontificum , non approbantium , aut errori faventium fuerunt ; sed hominem gloriolæ cupidiusculum ad se allicere , & clarum ingenio , eruditione præstantem , eximia morum suavitate præditum Ecclesiæ utilem reddere volentium , & conantium .

§. XLVII.

Titelmanus, Joannes Faber, Steuchus, Pagninus, Sixtus Senensis, Ribera, Pradus, Toletus, Bellarminus.

1. Franciscus Titelmanus prope Leodium natus prius Minorita, unde se ad Cappuccinos transtulit, Hebraicè, Chaldaicè, Græcè, Latinèque peritus Commentarios edidit in Job, in Psalmos; Ecclesiastem, Cantica: in Matthæum, in Marcum, in Joannem, in Epistolam ad Romanos, & de Apocalypsis authoritate libros duos. Obiit Anticoli anno 1537.

2. Joannes Faber Germanus, Viennensis Episcopus, quem Wadingus inter sui ordinis Franciscani professores, & scriptores recenset, falsò tamen, nam ex Ordine Prædicatorum fuisse constat ex Prosopographia Henrici Pantaleonis authoris coævi, & ex Georgio Crugerio S. J. in libro, cui titulus: Pulveres sacri Bohemiæ. Scripsit opus inscriptum: Malleus Hæreticorum, quod Adriano VI. Pontifici nuncupavit: propugnaculum fidei adversus Lutherum: de Invocatione Virginis, & Sanctorum contra Oecolampadium: de Missæ sacrificio, de Fide, & operibus: pro Sanctorum Imaginibus, de Potestate Papæ, & Sacrosancta Eucharistia, de Zuinglii tyrannide, varioque sacrilegio Catholicam orthodoxæ fidei defensionem: Disputationes adversus Balthassarem Pacimontanum Anabaptistam. Fuit hic Joannes Faber (nam alii duo cognomines fuerunt eo sæculo Dominicani) Erasmo amicitia conjunctissimus, obiitque anno 1541. juxta laudatum Crugerium.

3. Augustinus Steuchus patria Eugubinus Canonicus Regularis è Congreg. S. Salvatoris, & Episcopus Chisamensis Moisi Pentateuchum, librum Job, & Psalmorum præcipuos doctis Scholiis, Enarrationibus, & Commentariis illustravit. Ejus errores de pœna humanæ mortis, & Cœlo Empyreo alibi refutabimus, quos ipse tamen se Ecclesiæ judicio corrigendos submisserat. Scripsit præterea de Perenni Philosophia libros decem, & pro Christiana Religione adversus Lutherum libros tres. Florebat per annos Christi 1540.

4. Sanctes Pagninus Lucensis ex Ordine Prædicatorum jussu, & subsidiis Leonis X. Vetus omne Testamentum ex Hebræo transtulit, & novum ex Græco, de qua versione alibi dicemus. (*lib. 2.*) Scripsit Pagninus præterea de Interpretatione Hebræarum, Chaldearum, & Græcarum dictionum sacris in libris inventarum, Thesaurum Linguæ Sanctæ, Isagogem, sive Introductionem ad sacras litteras, Isagogem alteram libris 18. ad mysticos Scripturarum sensus,

Ca-

Catenam in Pentateuchum, libr. 6., & in Psalterium lib. 3. Obiit ann. 1541.

5. Sixtus Senensis ordinis Prædicatorum Theologus scripsit Bibliothecæ Sanctæ libros 8. rerum divinarum scientia, varia eruditione, & Critico sale valdè commendabiles, quos S. Pio V. tunc Pontifici dedicavit. De usu Concordantiarum sacræ Bibliæ lib. 1. Astronomicarum in Scripturam quæstionum, Geographicarum, Physicarum libros singulos. Edidit & Problematicarum Epistolarum in selecta Scripturæ loca lib. 1. Sophias Monotessaron, sive Sapientiæ Uni-quadruplicem librum ex Proverbiorum, Ecclesiastici, Ecclesiastæ, & Sapientiæ libris, ac sententiis, præceptisque compaginatum, cujus ad effigiem Recentior quidam mihi amicitia conjunctissimus Angelus Sanchez. Philosophiam Cordis, & Spiritus ex iisdem sacris libris in Hispanam ligatam orationem translatis elegantissime composuit, & piis, atque eruditis Notis illustravit. Edidit quoque Sixtus idem Compendii Scholastici in Epistol. ad Rom. librum unum, tum Scholasticarum quæstionum, in eamdem Epistolam, & variorum aliorum argumentorum tractatus diversos. Obiit Lugduni ann. 1541.

6. Franciscus Riverius Hispanus è Soc. JESU, Græcè, atque Hebraicè æque doctus, in duodecim minores Prophetas Commentarios scripsit, in Epistolam quoque ad Hebræos, & Apocalypsim, tum de templo Salomonis libros quinque, & S. Theresiæ Hispanæ Virginis vitam. Obiit Salmanticæ ann. 1591.

7. Hieronym. Pradus Hispanus item, & S. J. Theologus, Ezechielis 26. prima capita egregiis Commentariis illustravit, reliqua sequutus est Joannes Baptista Villalpandus ubi de Hierosolymitanæ Urbis, ac templi fabrica, constructione, ordine & apparatu copiosè, atque accuratè disseruit. Florebat uterque prope finem decimi sexti sæculi.

8. Franciscus Toletus Cordubensis primus è Soc. JESU in Cardinalium numerum cooptatus ab Clemente VIII. Ab Gregorio XIII. in Belgium antea missus Michaelem Bajum orationis efficacia, & argumentationum pondere Ecclesiæ Romanæ judicio submisit. Commentaria scripsit in Joannis Evangelium, in 6. priora Lucæ capita, in Epistolam ad Romanos, & Sermones 15. in psalmum 31. Beati quorum remissa sunt &c. Instructionem Sacerdotum, quam S. Franciscus Salesius ut brevem facilem, ac tutam commendat. Obiit anno 1596., sepultusque est ad S. Mariam Majorem, ubi marmoreum monumentum jussu, atque expensis ipsi erectum est Henrici IV. Galliarum Regis, cujus negotium apud Rom. Pontificem felicissimè expedierat.

9. Robertus Bellarminus Monte-politiano Italiæ loco natus, Marcelli

celli II. Romani Pontificis nepos, & S. J. lumen clarissimum, scripsit adversus sui temporis Hæreticos Controversiarum tomos tres divina, Ecclesiastica, & profana eruditione refertos, ut qui post ipsum de his argumentis scripserint, fere nihil aut ipsius argumentis gravissimis, aut ejus responsionibus solidissimis addidisse videantur. Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogum post Eusebium, Hieronymum, Gennadium, Honorium, & alios usque ad sua tempora perduxit. Commentarium in psalmos scripsit, tractatusque diversos Mysticos, tum Hebraicæ linguæ brevem artem ac facilem, Doctrinæ Christianæ Catechismum, quo tota fere Italia ad rudium, & puerorum instructionem utitur. Ab Clemente VIII. Cardinalis, & Capuæ Archiepiscopus creatus est. Obiit vir æquè pius, ac doctus anno Christi 1621.

10. Floruerunt ea tempestate, nimirum exeunte sæculo 16., & ineunte decimo septimo viri alii præstantes, Franciscus Vatablus Gallus, Isidorus Clarius Brixiensis, de quibus alibi, Benedictus Arias Montanus Hispalensis, Aloisius Lippomanus Venetus, Seripandus Cardinalis Appulus, Aloisius Legionensis, Alphonsus Salmeronius Toletanus, Joannes Azorius Lorcitanus, Franciscus Turrianus, Petrus Canisius, qui alias Theologiæ partes suis operibus illustrarunt.

§. XLVIII.

Nausea, Ekius, Cochlæus, Paiva, Hosius, Vega, Tapperus, Alphonsus Castrius, Stapletonus, Pighius, Maldonatus.

1. Fridericus Nausea Joannis Fabri in Viennensi Episcopatu Successor Commentaria scripsit in Judith, ac Tobiæ libros, & in Matthæi Evangelium. Præterea Expositionem duodecim fidei articulorum adversus Hæreticos, Tractatum de Tridentino Concilio, de ineunda in Christiana Religione concordia, de Sacramento Eucharistiæ, de Christiani Sacerdotii dignitate, de Cœlibatu Sacerdotum, & votis Monasticis contra Lutherum, Censuras, & Responsa ad quæstiones varias contra Zuinglium. Obiit ann. circiter 1550.

2. Joannes Ekius Suevus, Inglostadiensis Professor multa scripsit adversus Lutherum, Oecolampadium, Carolostadium, & Melancthonem, quos etiam publicis disputationibus Lypsiana, & Badensi confutavit. Ejus operum indicem texuit Possevinus. Joannes Ekius in omnibus D. Thomæ rigidissimus sectator est, ac discipulus.

3. Joannes Cochlæus Norimbergensis contra Lutherum, Bulingerum, Osiandrum, Bucerum, Calvinum, Melancthonem, & alios suæ ætatis hæreticos calamum strinxit. De singulis ejus

ejus libris mentionem facit Boissardus. Obiit Uratislaviæ ann. 1552.

4. Didacus de Paiva, atque Andrade Lusitanus non exiguum sibi nomen in Tridentino Concilio acquisivit. Scripsit super fere omnibus articulis cum hæreticis eo tempore controversis, adversus quos etiam illius Concilii authoritatem, ac decreta defendit, præsertim contra opus Martini Kemnitii, cui titulus: Examen Concilii Tridentini.

5. Stanislaus Hosius Kracoviæ in Polonia natus Episcopus Varmiensis, & Cardin. a Pio IV. creatus, cujus etiam nomine Concilio Tridentino præfuit, scripsit Catholicæ fidei Confessionem adversus Confessionem Augustanam in Petricoviensi Synodo promulgatam: Item confutationem Prolegomenon Brentii, de expresso Dei Verbo, de Communione sub utraque specie, de Hæresibus sui temporis, de Loco, & authoritate R. Pont. in Ecclesia, & Conciliis; Judicium, & Censuram de adoranda Trinitate adversus Ministros Tigurinos &c. Obiit vir Deo, & hominibus charus anno 1579.

6. Andreas Vega ex Ordine S. Francisci inter Hispaniæ præcipuos Theologos Conc. Tridentino interfuit, cujus de Justificatione doctrinam celeberrimo Commentario adversus Lutheranos, & Calvinistas defendit.

7. Ruard. Tapperus Belga ejusdem Concilii Theologus Articulos Lovanienses adversus Lutherum explicuit, ac defendit. Scripsit etiam de Providentia, & Prædestinatione librum egregium. Obiit Bruxellis ann. 1559.

8. Alphonsus de Castro Hispanus patria Zamorensis ex Ordine Minorum scripsit in psalmum 50. homilias 25., & 24. in psal. 31. de justa Hæreticorum punitione libros tres, de potestate Legis Pænalis libros duos, adversus omnes hæreses libros quatuordecim, cum veteris ætatis authoribus multis doctrinæ partibus comparandus, inquit Matamorus, si quam fortiter, atque eruditè cum hæreticis congressus aliena confutavit, ita ornatè, & copiosè confirmaret nostra. Obiit Bruxellis ex Anglia redux, quò Philippum II. in Catholica Religione instauranda egregie adjuverat, ann. 1558.

9. Thom. Stapletonus Anglus, in Lovaniensi Academia sacrorum librorum Intrepres edidit principiorum fidei Doctrinalium Demonstrationem Methodicam in libris 12. totidem de universa justificationis doctrina. Speculum hæreticæ pravitatis in orationibus Quodlibeticis sex: principiorum fidei Doctrinalium Relectionem Scolasticam, & Compendiariam per quæstiones, & articulos: Antidota Evangelica adversus recentiores hæreses. Obiit Lovanii ann. 1598.

10. Albertus Pighius Campis in Transisalana Diœcesi natus scripsit

de ratione Paschalis celebrationis, & de Restitutione Kalendarii libros Astronomica scientia præclaros, Assertiones item Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & alios adversus Recentiores Hæreticos tractatus. De Peccato autem Originali, de Prædestinatione, & Gratia opinamenta habet exotica nonnulla. Obiit Ultrajecti ann. 1543.

11. Joann. Maldonatus Hispanus Soc. JESU Theologus scripsit in Evangelia celeberrimos Commentarios, multaque Dogmatica opera quum typis vulgata, tum M. SS., quæ in Claromontani Collegii Bibliotheca asservabantur. Horum vidi nihil nisi tomum in folio unum, in quo multa opuscula congesta sunt, uti de Sacramentis, de Peccatis, de libero arbitrio, & aliis argumentis controversis, cum Epistolis paucis ad Hosium Cardinalem, & alios. In ejus libri exordio exstat Vitæ ipsius Synopsis, & relictorum ab eo operum index, quæ si vulgata omnia essent, posteriorum omnium ejusdem ordinis Theologorum nomen, Bellarmino, atque Azorio demptis, obscuraturus videretur. Scribit enim priscorum Tractatorum more, non solum doctè, pressè, dilucidè, verum etiam ornatè, copiosè, atque eleganter, nullo partium studio abreptus, nullique adhærens, ut polypus scopulo, nisi quod quandoque ei libertati versus Ecclesiæ Patres plusculum videtur indulsisse.

12. Floruerunt quoque ea tempestate Jodocus Clictovæus Gallus Neoportuensis, qui in decreta Concilii Senonensis, & in libros Sancti Joannis Damasceni Commentaria scripsit, & libros quatuor Commentariorum S. Cyrilli in Joannem, qui suo tempore inventi non erant, supplevit, aliaque contra sui temporis hæreses scripsit: Martinus Olavius, qui primus in Collegio Romano Theologiam docuit, ac D. Thomam explicandum suscepit, aliique permulti, de quibus videri potest Natalis Alex. ad 15., & 16. Ecclesiæ sæculum. Multos autem, qui hic desiderantur inter Scholasticos Theologos recensebimus, de quibus jam.

§. XLIX.

Hugo Victorinus, Petrus Lombardus, Petrus Pictaviensis, Guillielmus Altisiodorensis.

1. Hugo Canonicus Regularis Augustinianus ad Monasterium Sancti Victoris unde Victorini nomen ei inditum, vir fuit in Augustini scriptis versatissimus, quapropter Augustini lingua dictus est. Plura scripsit & pietate, & eruditione eximia, quæ in Editione Rothomagensi tribus tomis comprehensa sunt. Primus continet Scholia, seu expositiones in diversos sacræ Scripturæ libros. Secundus Tractatus My-

Mysticos. Tertius Theologicos. Hos inter præcipui sunt libri septem, quibus titulus: Didascali, sive Magistri: alter, cui titulus Speculum, sive de Mysteriis Ecclesiæ, alius de Cæremoniis, Sacramentis, & Officiis Ecclesiasticis. Summa Sententiarum, quæ septem Tractatus continet primus ferè Scholasticæ Theologiæ liber dici potest. Quatuor ibi etiam libri habentur de Claustro Animæ; verum eorum author non Hugo Victorinus, sed Hugo de Foglieto Benedictinus videtur, ut cum Trithemio putat Natalis Alexand. Liber de Anima primum prodiit inter opera Bernardi sub titulo: Meditationes piissimæ, sicut etiam Tractatus alter, qui inscribitur de interiori Domo. Nec item videntur Hugonis esse opuscula de Medicina Animæ, de Canone mystici libaminis, & de fructibus carnis, & Spiritus. Hugonem alii Saxonem faciunt, ut Azorius, alii Belgam in territorio Iprensi natum, ut Mabillonius, quem laudatus Natalis sequitur. Robertus Torrinius eum Lothariensem vocat. Obiit ann. 1142.

2. Petrus Magister Sententiarum, immo antonomasticè Magister appellatus Novaræ natus est, unde & Lombardus vulgo appellatus. Fuit Philippi Ludovici VI. Galliarum Regis filii præceptor, ob cujus cessionem Episcopus Parisiensis creatus est. Commentaria scripsit in Psalmos, & Epistolas D. Pauli. Potissimum autem ejus opus, & quo immortale sibi nomen peperit, sunt quatuor Sententiarum libri, quos, ut Leo de Sancto Joanne in prodromo ad suam Theologiam scribit, ingenti studio ac labore, ex septuaginta quinque Patrum, & Doctorum Ecclesiasticorum operibus compaginavit. Hujus operis normam, ac methodum sequuti sunt omnium Academiarum Professores, Commentariisque suis illustrarunt Scriptores gravissimi, de quibus in sequentibus dicetur. Nonnullos habet nævos, quos ad quatuordecim reducit Antoninus in 4. parte Summæ. Horum alii levissimi sunt, alii ne errores quidem sunt, ut ille, quem Antoninus, undecimum numerat: Deus potuit communicare creaturæ potestatem creandi. Hæc enim opinio, quamvis falsa sit, non erronea est, eam que sine ulla nota sequuti sunt Catholici scriptores multi. Thomasius, & Caveus Petrum Lombardum plagii accusant, quasi pro sua vendiderit Summam Sententiarum, quam non ille, sed Baldoinus quidam Theologus Parisiensis elucubraverat: (forte ille Baldoinus, apud S. Victorem Canonicus Regularis, & Abbas Sanctæ Mariæ de Alticerris, qui ann. circiter 1139. florebat, ut conjicit Generius) Nemo in hoc Thomasii & Cavei dicto assentitur. Dupplesius, & Oudinus multis momentis gravissimis eos impugnant, immo Dupplesius non Lombardum ex Baldoino, sed Baldoinum ex Lombardo plura, immo omnia fere desumpsisse contendit. Ut ut autem illud

fuerit, certum est ex Summa Sententiarum Hugonis Victorini multa delibasse, eumque multis fuisse imitatum; ex utriusque autem comparatione constat longè magis methodicam, uberem, ac limatam illam Lombardi esse. Obiit vir doctissimus die 20. Augusti ann. 1164. Hi qui ex Ordine Sanctissimæ Trinitatis, S. Joannis de Matha institutoris sui vitam scripserunt, virum illum sanctum primum fuisse testantur, qui super Magistri sententiarum libros quatuor Commentaria scripserit; verum neque Commentaria illa inveniuntur, neque præter præ laudatos authores, quisquam eorum meminit.

3. Petro Lombardo ætate suppares, aut paulo antiquiores fuerunt Petrus Cantor, qui librum scripsit, cui titulus: Grammatica Theologorum, tum Opusculum de Contrarietatibus Theologiæ, quod manu scriptum exstare dicitur. Mabillonius cujusdam Fulgentii meminit Abbatis Benedictini. Guillielmi Petroburgensis Angli, & ejusdem Ordinis Monachi exstat item liber, cui titulus: Distinctiones Theologicæ. Hos ante floruit Robertus Pullus, aut Pullanus, vel Pulleinius Anglus, Cardinalis, & Sancto Bernardo coævus, octo librorum Sententiarum scriptor, quos in lucem edidit notis, atque observationibus illustratos Hugo Mathoudus. Generius decessisse hunc putat anno 1221., improbatque opinionem Ludovici de Sancto Carolo Carmelitani, qui ipsum anno 1150. mortuum fuisse scribit, atque ante Petrum Lombardum libros suos Sententiarum scripsisse; sed Generius Alberti Miræi, & Guillielmi Cavei authoritate deceptus est. Robertus enim Pullus Cardinalis creatus est ab Lucio II., qui solum menses undecim Ecclesiæ præfuit ab anno 1144., ad 1145. Jam vero Robertus per tempus aliquod Romæ fuerat commoratus, quo ob magnam pietatis, atque eruditionis famam ab Innoc. II. vocatus fuerat. Antea vero, quam Romam proficisceretur, Theologiam professus fuerat Parisiis, & ante Academiæ Oxorfordensis in Anglia instaurator, & veluti secundus parens exstiterat. Robertum igitur anno 1144., quinquaginta, aut sexaginta annos natum fuisse oportuit. Si ergo mortuus est, ut Generius voluit, anno 1221., centesimum, & vigesimum annum longè supergressus est, quod videtur incredibile, nec sine magno fundamento asserendum. Quid est autem absurdi, si Robertus libros Sententiarum ante Petrum Lombardum scripsit? Nonne similes scripserat ante Lombardum Hugo Victorinus?

4. Ad idem sæculum pertinet Alanus Insulensis, sive de Insulis Belga, cui Generius idem Commentaria tribuit in libros Petri Lombardi. Si autem tam verè Generius de Alani scriptis, quam de ejus ætate loquutus est, fidem illius dictis præstare non possumus. Scribit enim Alanum floruisse annum circiter 1239. Constat vero Alanum electum fuisse Episcopum Altisiodorensem ann. 1151., eamque

Ec-

Ecclesiam rexisse ann. 13., qua post abdicata ad Claravallense Monasterium recessit, ubi Sancti Bernardi Novitius fuerat, & annos aliquot vixit. Quod si, ut æquum est, annos saltem triginta habuerit, quum Episcopus est consecratus, duodeviginti supra centum annos natus erat anno 1239, quo ipsum floruisse scribit Generius. Verosimilius igitur multo est quod habet Natalis Alexand., Alanum mortuum fuisse prid. Id. Octobr. ann. 1181. Universalis Doctor dictus est, inquit Aubertus Miræus, ob eruditionis in omnibus fere disciplinis copiam. Scripsit vitam S. Bernardi, Parabolas Elegiaco versu, item versu libros novem, quibus titulus Anti-Claudianus, sive de viro optimo, Commentaria in Cantica; ligata etiam oratione librum de Planctu Naturæ adversus Sodomiæ vitium sua ætate effrenatissimum. Summam quoque, inquit Henricus Gandavensis ad Sacras conciones valde utilem, aliaque opuscula, quæ apud eundem authorem videri possunt.

5. Petrus Pictaviensis Lombardi auditor, & Academiæ Parisiensis Cancellarius librum Sententiarum scripsit, quem elapso sæculo notis, & vindiciis illustratum edidit Hugo Mathoudus Benedictinus è Congregatione S. Mauri. Ejus meminit Bulæus inter viros illustres Academiæ Parisiensis, & Episcopum Ebrodunensem fuisse scribit, quod & Albericus in Chronico tradit. Obiit eodem Bulæo teste, ann. 1205. Fuit & alter Petrus Pictaviensis Benedictinus Monachus nonnullarum Epistolarum scriptor, & Epitaphii Gelasii II. qui in Monasterio Cluniacensi obiit ann. 1219.

6. Guillielmus Altisiodorensis ita dictus ex patria Seliniaco territorii Altisiodorensis loco Summam Theologicam scripsit, magni inter Scolasticos nominis. Generius Guillielmum Altisidiorensem a Guillielmo de Seleniaco distinguit. Primum ait Summam Theologicam, quæ Parisiis primum excusa est ann. 1500., scripsisse, Episcopum in Gallia fuisse, & ann. circiter 1170. floruisse. Hæc autem omnia Guillielmo de Seliniaco optimè conveniunt. Summam enim ille Theologicam scripsit, & Episcopus in Gallia fuit, nam Altisiodorensem Ecclesiam regebat anno 1206., ut est apud Labbæum, vel Parisiensem, ut est apud Natalem. Qumque obierit, ut apud hunc legitur anno 1223., triginta, aut amplius ann. habere poterat ann. 1170., ut eo tempore floruisse dicatur. Certè non videtur credibile, ut prope finem ejusdem sæculi duo viri & nomine, & scriptis, & munere atque ætate similes convenerint. Jam vero quomodocumque hoc fuerit, qui apud Scholasticos Altisiodorensis antonomasticè dicitur, & laudatur, ille est, quem diximus, Guillielmus de Seliniaco.

§. L.

§. L.

Richardus Victorinus, Robertus, Præpositivus, Richardus Wiltonius, Robertus Bakcon Halensis.

1. Primus horum Canonicus Regularis Augustinianus fuit Parisiis apud S. Victorem, unde illi nomen, florebatque ann. 1164. Scripsit Tractatus Asceticos varios, quorum Catalogum texunt Trithemius, Henricus Gandavensis, Bellarminus, & alii. Sixtus Senensis stylo medium esse dicit inter Augustini subtilitatem, & Bernardi dulcedinem. Exstant illius de Trinitate libri sex Scolastica prorsus methodo elaborati. Quatuor Exceptionum libri, qui inter ejus opera habentur, a Bellarmino creduntur supposititii; legitimos tamen crediderunt Vincentius Bellovacensis, & Trithemius. Obiit Richardus Idib. Mart. ann. 1173.

2. Robertus de Melioduno, cognomento Foliotus, natione Anglus Summam Theologicam scripsit sex divisam in tractatus de Deo, Angelis, Homine, Incarnatione, & Sacramentis. Ejus multa cum laude meminerunt Oudinus, & Marthenius: Bulæus in Histor. Academiæ Parisiensis hunc tanquam Exemplar proponit methodi, & quæstionum, quæ adhiberi ab Christiano Theologo, ac discuti debent, sicut contra exemplum vanæ, ac falsæ Scholasticæ profert abstractas multas, & inutiles quæstiones, in quibus oleum suum, atque operam perdidit Gaulterus ad Sanctum Victorem Monachus. Non igitur inter Scholasticæ Theologiæ osores numerandus est Bulæus, qui non Scholasticam formam, methodum, ac pressum, & aculeatum dicendi genus insectatur, sed lascivientium ingeniorum cavillos, & argutas nugas.

3. Præpositivus natione Lombardus, Episcopus Ebrodunensis Summam Theologicam scripsit, quæ saltem typis excusa exstare non videtur. Nec alibi quam apud D. Thomam, & veteres illos Scolasticos illius mentio invenitur. Obiit decimotertio sæculo ineunte, versus annum 1217.

4. Richard. VVilتonus natione Anglus, professione Monachus ex Ordine S. Trinitatis, deinde Hyberniæ Primas, & Cardin. creatus, scripsit Commentaria in Summam Sententiarum, quæstiones Quodlibeticas, & singularem de auxiliis divinæ Gratiæ tractatum. Obiit ann. 1239. Hæc Generius.

5. Qui etiam meminit Roberti Bakconis Angli, cui inter alia tribuit ordinarias Scholasicas Lectiones. Magistri quoque expositores ibidem recenset Haymonem Favershamium, & Robertum Covvtonum An-

Anglos ex Minorum Ordine. Post hos autem de Joanne Rupella loquens: Hic primus omnium dicitur, inquit, Magistri Summam fuisse commentatus, quod neque cum his quæ proximè dixerat, cohærent, neque cum his, quæ de Alano Insulensi supra scripserat, ipsum nimirum alterum ex iis fuisse, qui primi omnium Magistri Summam commentati sunt.

6. Alexander Halensis natione Anglus, professione Franciscanus Summam Theologicam composuit Tripartitam, per quætsiones, & articulos divisam, obque eam rem in Edit. ann. 1482. non verè minus, quam eleganter dictum

Primus in Articulos divina volumina duxit,
Artis & in morem retulit acta Patrum.
Quo duce præmonitus in prælia Divus Aquinas,
Quotquot & usque legis, fortius arma movent.

Hæc Summa dicitur scripta de mandato cujusdam Pontificis, & ab ipso aprobata post septuaginta Theologorum discussionem, & commendationem. Tota tamen hæc narratio putidissima fabula est. Nam I. author Anonymus ejus libri, qui inscribitur: Fundamentum trium ordinum asserit, Alexandrum Halensem scripsisse jussu Innocentii IV. Innocentius autem hic electus est Pontifex anno D. 1243., & Alexander Halensis obiit ann. 1245., ut ipsemet fatetur. Duobus igitur annis opus aggressus est, atque ad umbilicum perduxit; quod est prorsus incredibile. Dicetur autem fortasse Innocent. IV. quum Cardinalis esset, eum scribere jussisse, & postmodum Pontificem electum Summam Theologorum judicio commisisse, & approbasse. Sd neque hoc dici potest. Nam decem annis post mortem Alex. Halensis, ut Wadingus scribit, Guillielmus de Melitona summam illam ob authoris mortem imperfectam absolvit, ita hortante Alexandro IV. Pontifice, qui anno sui Pontificatus primo ad Franciæ Ministrum scripsit, ut huic doctissimo viro (nimirum Guillielmo dicto) alios adjungeret, qui ei in tanto opere adlaborarent. Innocentius igitur opus adhuc incompletum, & imperfectum approbare non potuit. Ut hanc evadant difficultatem Bartholomæus Pisanus, Wadingus, & Haye dicunt, opus illud fuisse approbatum post examen 70. Theologorum ab Alexandro IV. Viden' ejusdem Ordinis Scriptores inter se dissentientes? Sed cur Innocentius IV., qui annos novem Alexandro Halensi superstes fuit, opus suo jussu incœptum continuari, & perfici non curavit? Author ille Anonymus scribit Breve Confirmatorium Innoc. IV. adhuc suo tempore lectitari; sed Wadingus scriptor non indiligens, & Pisanus, & Haye, neque Innocentii IV. lit-

litteras, neque Alex. IV. invenire potuerunt, quas dubio procul Wadingus in suis Annalibus, & Haye in vita Alex. Halensis inseruissent. Sed adhuc fortius est argumentum. Nam Alexander Halensis apud suos primus Defensor dicitur Immaculatæ Conceptionis Sanctissimæ Deiparæ. At contrarium apertissimè in 3. parte Summæ, quæst. 9. memb. 2. art. 2. habetur. Ut hinc se expediat Bernardinus de Bustos, Carthagena, atque alii scribunt, Alexandrum compulsum infirmitatibus gravissimis, quas in anniversario Conceptionis die, nimirum 8. Decembris per tres, aut quatuor annos expertus est, Deo vovisse piam opinionem amplecti, ac totis viribus propugnare, & ea quæ scripserat retractare, & corrigere, quod & fecit, inquiunt edito libro, qui ferrea catena ligatus Tolosæ asservatur in choro Ecclesiæ Cathedralis. Jam vero morbos illos divinitus immissos passus est Alexander, quum adhuc sæcularis existeret, & in Universitate legeret Parisiensi, ut Bernardinus de Bustos scripsit; ingressus est autem Franciscanorum Ordinem anno 1222., ut scribit VVadingus: ergo ante annum 1222. Summam Theologicam scripserat; sed ab anno 1222. usque ad 1243. quo electus est Innocentius IV., anni sunt unus, & viginti: ergo Summam illam neque Innoc. IV. neque Alex. IV. jussu scribere potuit, neque Innocentius, & multo minus Alex. IV. opus illud examinandum Theologis commisissent, quod jam per annos unum & viginti saltem, universim legebatur.

7. Et quidem si Alexander Halensis piam de Conceptione Virginis Deiparæ opinionem sequutus fuisset, Sanctus Bonaventura, qui ejus auditor fuit, nunquam verè scribere potuisset, quod scripsit, nimirum: Nullus de his, quos auribus nostris audivimus, invenitur dixisse Virginem Mariam a peccato originali fuisse immunem. Virque aliunde ad pietatem pronissimus, & Virginis cultui addictissimus non apertissimè asseruisset, quod ibidem asseruit, nimirum: Sanctificationem Virginis subsequutam fuisse contractionem originalis peccati, quia nullus immunis fuit a peccato originali nisi Virginis filius, & modum hunc dicendi communiorem, rationabiliorem, & securiorem esse, magisque consonum fidei, pietati, & Sanctorum authoritati.

8. An D. Thomas Alexandri Halensis auditor fuerit, inter se disputant Prædicatorum, & Minorum Ordines. In Lectionibus Breviarii Romani duo habentur, quæ non satis inter se cohærent, & quæ utrisque opinioni suæ tenendæ ansam præbere potius videntur. Ibi enim legitur D. Thomam studiorum causa missum fuisse Parisios, ibique Albertum Magnum Præceptorem habuisse. Id vero contigisse dicitur in vita S. Thomæ anno 1243., quum Joannes Theutonicus Ge-

Generalis Ordinis Magister Comitia celebraturus sanctum juvenem secum Parisios detulit. At anno 1243., ut ab aliis Ordinis Prædicatorum Scriptoribus habetur, non Parisiis, sed Coloniæ legebat Albertus. Ergo ut D. Thomam Alberti Magni auditorem faciant alii, non Parisios, sed Coloniam missum fuisse D. Thomam tradunt. Obscura omnia atque incerta. Causa tamen illa videtur verior Franciscanorum, in quorum templo Parisiensi ad Alexandri Halensis tumulum inscriptio supra laudata legitur. Certe sive hujus, sive Alberti discipulus fuerit, nihil interest. Uterque in re Theologica doctissimus, dignusque sub cujus umbra spes illa Ecclesiæ adoleverit, quæ

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

9. De Alexandri scriptis diversæ sunt opiniones. Nam præter Summam Tripartitam Possevinus eidem Commentarios assignat in 4. Petri Lombardi. Sententiarum libros, quos primum Lugduni typis vulgatos ait anno 1515., & quorum MS. exemplar in Collegio Cantrabigiensi inveniri Pitheus tradit. Sed falluntur viri docti. Nam in duobus MSS. Bibliothecæ Victorinæ ad cujusque libri calcem legitur: Primus liber sententiarum, sive Summæ Theologicæ Domini Alexandri de Hales... Tertius liber Sententiarum, sive Summæ Theologicæ, quam composuit Mag. Alexander de Hales. Ex quo patet idem opus esse Summam, & libros Sententiarum, qui quoniam in aliquibus MSS., & etiam typis excussis Codicibus inveniuntur simul cum ipso Petri Lombardi textu, illius Commentarii visi sunt Possevino, & Pitheo.

10. Tribuitur quoque Halensi Tractatus quidam de Conceptione Virginis quem uti diximus, Bernardinus de Bustos scribit, Tolosæ in Choro Cathedralis Ecclesiæ catenis ligatum asservari: Tractatus item inscriptus: Mariale libris sex: & Summa Virtutum, supplementum ad tertiam partem Summæ Theologicæ. Hos tractatus confingere opus fuit ad sustinendas putidissimas fabulas duas. Nam primum asserebatur Alex. Halensem primum piæ opinionis de Conceptione defensorem. Secundo asserebatur D. Thomam magnam suæ summæ partem ex Alexandro desumpsisse, ipso nunquam laudato. Circa primum horum dubitari non poterat Halensem in Summa contrariam sententiam tenuisse. Opus erat igitur aliquod ejusdem Alexandri scriptum comminisci, ubi ea quæ in Summa scripserat, retractasset. Hæc origo est libri Tolosæ asservati, quem nemo unquam vidit, quum multi ejus videndi, & legendi studio Tolosam adierint.

11. Ad 2. autem assertum adstruendum de plagio D. Thomæ, non satis erat articulus secundus quæstionis centesimæ, primæ partis quem

unum

unum citat Haye tanquam desumptum, inquit de verbo ad verbum ex iis quæ Alexander scripsit par. 2. qu. 55. memb. 1. art. 3. Hoc inquam, quamvis verum esset, quod non est, ut patet cuivis utrunique articulum legenti: Quamvis inquam id verum esset, non satis erat tamen, ut Summa Thomistica ex Alexandrina desumpta dici posset. In mentem illis venit nescio cujus Gersonis Epistolæ ad Franciscanum quemdam, ubi sic loquitur: Testantur scripta ejusdem S. Thomæ; præsertim Secunda Secundæ, quam intimum, ac familiarem sibi fecerat illum, quem laudabat Doctorem Alexandrum. Ex quibus verbis currente calamo scriptis, statim succlamatum est Secundam Secundæ D. Thomæ ferme ad verbum ex Alexandri Summa fuisse depromptam. At in Summa Tripartita, & primitiva Halensis nihil erat, iis quæ D. Thomam in 2. 2. scripsit vel longissime simile. Ibi enim D. Thom. de virtutibus, & vitiis oppositis disputat, de quibus, præter Fidem, & Spem, ne verbum quidem Alexander. Opus igitur fuit ut opus aliquod Halensi tribueretur, ex quo Secunda Secundæ D. Thomæ prodiret, & hoc fuit Summa Virtutum, cujus MS. exemplar nusquam invenitur. Quod autem tale aliquid Halensis non scripserit, fortissimis argumentis convincitur. Nam I. in illius libri prologo, testibus Wadingo, & Joanne Hajensi, ita dicitur: Habito ergo sermone de Gratia gratum faciente, & gratis datas, consequenter dicendum est de Virtutibus. Verum quum jam in 3. parte Summæ de Fide, & Spe disseruisset, ut patet, cordatus quivis author ita scribere debuisset: Habito sermone de Gratia &c., itemque de Fide, & Spe, consequenter dicendum est de Charitate, & aliis virtutibus. Deinde II. Quum Alexander obiit, nondum in lucem prodierat Summa Tripartita; Cur ergo Supplementum ipsi addendum erat, quum possent quæstiones, atque articuli eis locis opportune inseri, quem in Summa occupare debebant. Præterea III: Anno 1245. quo Alexander obiit, Summa nondum completa, & perfecta erat, quam post annos decem Alexand. IV. Guillielmo de Melitona, operis complendi provinciam commiserit, ut Wadingus testatur. Adde Summæ illi ad complementum non parum aliquid, sed multum defuisse. Nam Alex. IV. Ministro Ordinis scripsit, teste eodem Wadingo, anno sui Pontificatus I., id est ann. 1254. a morte Halensis decimo, ut huic viro doctissimo, nimirum Guillielmo de Melitona, viros alios adjungeret, qui ei in tanto opere adlaborarent. Qui potuit igitur Halensis Supplementum scribere ad 3. partem, si eam nondum scripserat, vel vix inchoatam reliquerat, siquidem quum 3. illa pars 83. quæstiones complectatur, non poterat a viro doctissimo qualis Melitonius dicitur absolvi, sine aliorum subsidio, qui ei in tanto opere ad laborarent. Item IV: Supplementum ad Summam

Tri-

Tripartitam eorum esse debuerat, quæ ei omnino desunt, & sine quibus imperfecta, & mutila manet, veluti Tractatus de Ordine, Matrimonio, Extrema unctione, Indulgentiis, & alii, qui ibi desiderantur multi. Præterea V. Alexander IV. Halensis summam continuari jussit post annos decem a morte ipsius elapsos: Halensis autem mortuus est, uti diximus, anno 1245.: igitur anno 1256. ineunte litteras ad Franciæ Ministrum scripsit. Dum igitur Melitonius operi se accingit, dum Socii deliguntur, & coeunt, dum Halensis adversaria colliguntur, coaptantur, leguntur, & releguntur centies; nam multo difficilius est aliena imitari, conciliare, componere, quam propria producere, denique dum opus scribitur, transcribitur, limatur, aliorum revisioni subjicitur ecce tibi sex, aut septem elabuntur anni, quos si addas ann. 1256. fient anni ut minimum 1262. Tandem opus completum, & ad umbilicum perductum Romam mittitur, 70., ut isti nugantur, Theologis examinandum, & approbandum traditur, quorum unus quisque (nisi simul ut 70. interpretes legerint, & contulerint) menses multos legendo solum comsumpserit.

Sed tamen amoto quæramus seria ludo.

12. Concedaturque opus ante annum 1262. in lucem prodire non potuisse. At anno 1262. jam D. Thomæ nomen, & scripta Europam totam impleverant. Cur igitur credendum non potius sit Melitonium, & ejus Socios ex D. Thomæ scriptis, quam D. Thomam ex Melitonii scriptis hausisse? Nonne in editione Veneta an. 1572. Commentaria in Aristotelis Metaphysicam, quæ Alexander de Alexandria in 14. sæculo, ex D. Thomæ MSS. exaraverat, Alexandro Halensi adjudicarunt, ut Labbæus adnotavit? Cur igitur sub nomine Summæ Virtutum eidem tribuere non potuerunt, quæ ex 2. 2. D. Thomæ deprompserant? Denique VI: Si secunda Secundæ D. Thomæ ore omnium laudatissima ex Summa Virtutum Alexandri Halensis desumpta est, cur authores illi, quorum testimonia, atque encomia collegit Joannes Hajensis in vita ejusdem Alexandri, nimirum Bartholomeus Pisanus, Trithemius, Antoninus, Autor Firmamenti, Jacobus de Bergamo, Sixtus Senensis, Platina, Genebrardus, Bellarminus Summam illam Virtutum nequidem nominant? Nam Possevinus, & Labbæus recentiores authores sunt, ut eorum dictis stare debeamus nulla probatione adducta. Et Possevinus quidem qui Commentaria in Psalmos Hugonis de Sancto Caro, Halensi adjudicavit etiam Imaginariam illam summam Virtutum adjudicare eidem potuit, falsis relationibus, & testimoniis deceptus.

13. Alexander Halensis ab suis Doctor Doctorum dicitur, qui nomi-

minatissimos Doctores D. Thomam nimirum, & Bonaventuram habuerit auditores. Neque hoc multum est. Rodulphus de Tossiniano, & Nicolaus Harpfeldius etiam Joannem Duns Scotum discipulum Alexandri faciunt, qui necdum fortasse natus erat, quum Alexander decessit. Sedulius Alexandri auditores fuisse scribit Joannem Gersonem, qui fere ducentos post annos mortuus est ann. 1429., & Stephanum Bruleferium, qui obiit ann. 1483. fere ducentos, & quadragintas post Alexandrum annos. Dictus est etiam Fons vitæ, & Doctor irrefragabilis. Sed hujusmodi tituli, quorum liberalissimi fuerunt Juristæ, & Scholastici potius laudantium imperitiam, quam laudatorum præstantiam produnt.

§. LI.

Albertus M. Guillielmus Parisiensis, D. Thomas, Bonaventura, Petrus de Tarantasia, Udalricus de Argentina, Richardus de Mediavilla.

1. Albertus Magnus dictus non minus ob vitæ sanctimoniam, quam propter omnigenæ eruditionis præstantiam, Prædicatorum Institutum amplexus est, ac deinde ad Ratisponensem Episcopatum promotus, quem post annos duos deseruit, regularis disciplinæ, & quietis Monasticæ amantissimus. Theologiam docuit Parisiis, & Coloniæ. Varro Germanicus dictus ob multiplicem animum cultum in omni fere disciplinarum genere. Nihil enim, inquit Aventinus eum penitus fugit. . . . Naturæ secundum Aristotelem verissimus Interpres. Exstant ejus opera Dialectica, Mathematica, Physica, Metaphysica, Ethica, Theologumena, & si dicere fas est, Magica adeo exacta, atque exquisita, quasi uni duntaxat, operam navasset, cætera ne attigisset quidem: adeo singula in suo genere absoluta sunt. Non minus Platonis, Epicuri, Pythagoræ dogmata calluit, quam Aristotelis. Primus Latinorum, quidquid in Græcis, Latinis, Hebraicis, Arabicis, Ægyptiis Philosophis egregium fuit, perscrutatus est. Primus item in omnes Aristotelis, Euclidis, Petri Lombardi, aliorumque hujusmodi authorum libros Commentaria scripsit. Eloquentia summa suo sæculo, eruditione etiam nostro præditus. Trithemius omnium ejus operum catalogum, quum texuisset, ita concludit: Non surrexit post eum vir ei similis, qui in omnibus litteris, & scientiis, & rebus tam doctus, eruditus, & expertus fuerit. Quod autem de Necromantia accusatur, injuriam patitur vir Deo dilectus. Petrus Jammius Dominicanus Alberti opera 21. grandibus voluminibus comprehensa in lucem edidit labore majore, quam delectu. Ibi enim ex-

exstant libri de Secretis mulierum, de Mirabilibus, aliique benè multi anilibus fabulis, ineptiis, immo superstitionibus pleni, pioque, ac docto viro prorsus indigni. Obiit ann. 1280.

2. Guillielmus ratione Gallus, patria Avernus, Parisiensis Episcopus diversos scripsit Tractatus Theologicos, in quibus librum de primo principio, de Dono Scientiæ, Summam Virtutum, & Vitiorum, quæ forte illa est, quæ Alexandro Halensi falsò tribuitur, nam fuit Guillielmus Alexandro coævus, & solis tribus annis superstes. Alias ejus lucubrationes commemorat Labbæus. Septem tamen Dialogi de Sacramentis ejusdem esse non videntur. Ibi enim allegatur D. Thomas, qui vix 24. annos natus erat, quum Guillielmus obiit anno 1248.

3. D. Thomas, patria Aquinas, professione Dominicanus scripsit Commentaria in Aristotelem, in librum de Divin. Nominibus, qui Dionysii dicitur, in librum de Trinitate, & de Hebdomadibus Boetii, atque in libros quatuor Sententiarum Lombardi. Composuit & Summam Tripartitam in quæstiones, & articulos divisam, quatuor Sententiarum libros in commodiorem formam redigens, quamvis tertiam partem imperfectam reliquerit, quæ non nisi post annos multos evulgata est, atque ad umbilicum perducta ex iis, quæ in libros Sententiarum, atque alibi idem S. Doctor scripserat. Contra Gentiles libros quatuor, opus absolutissimum, & pulcherrimum methodo, claritate, subtilitate, novitate, profunditate mirabili. Item volumen egregium, cui titulus: Quæstiones Disputatæ: Quodlibeta duodecim, & opuscula ad quadraginta. Quatuor Evangelia exposuit Commentario ex Sanctorum dictis contexto, quod hodie Catena aurea dicitur. Præterea seorsim Evangelia Matthæi, & Joannis, Epistolam ad Romanos, & prima decem capita Epistolæ primæ ad Corinthios: ex veteri Testamento Prophetiam Isaiæ, & librum Job, quem nullus Doctorum, inquit Guillielmus Thocus, tentavit litteraliter exponere propter difficultatem litteralis sensus. Denique Canticum Canticorum explanabat, quum in Monasterio fossæ novæ anno 1274., ætatis suæ quinquagesimo nondum completo è vivis excessit Nonas Martii. De singulis ejus operibus videndi Echardus in Bibliot. Ord. Prædicator. Natal. Alex. in dis. 6. ad sæc. 13., & Rubeisius in dis. Crit. de gestis, & scriptis D. Thomæ, ubi momenta diluunt, quibus nonnulli Summam Tripartitam, Catenam auream, & nonnulla opuscula abjudicare sunt conati.

4. Certè Commentaria in Genesim, Apocalypsim, Epistolas Petri, Joannis, Jacobi, & Judæ D. Thomæ non sunt, sicut neque Summa ad Annibaldum. Lectiones super Matthæum, & Joannem, & Epistolas Pauli, præter dictas ad Romanos, & 1. ad Corinthios, non

tam D. Thomæ opera sunt, quam sub ejus revisione, & emendatione composita ab socio ejus Fr. Reginaldo, Petro de Adria & aliis, ex iis quæ ab ipso audierant. Videndus de his S. Antoninus 3. p. tit. 18. cap. 10. Porro vix alius author est sibi magis constans, & similis, neque cui difficilius proprium aliquid subtrahi, aut alienum adjudicari possit. Ea est in omnibus ejus operibus & principiorum stabilitas, ea consequutio, connexio, & uniformitas doctrinarum; is candor, modestia, atque non imitabilis styli simplicitas: ea mensura, proprietas, atque electio verborum: id argumentorum acumen, robur, ea in respondendo claritas, in definiendo brevitas, in dividendo subtilitas, ut quisquis in eo disciplinæ genere ei comparandus videatur

Proximus huic, longo sed proximus intervallo
haberi debeat.

5. Librorum contra Gentiles traductiones Græcæ duæ inveniri dicuntur in Bibliotheca Regis Christianissimi MS., altera Demetrio Cydonio interprete, altera authore Anonymo. Item authore anonymo exstat ibidem 2. pars in duas partes divisa, quæ prima 2. & 2. 2. dici solent. Quem honorem an Græci alicui Scriptorum Latinorum præstiterint equidem nescio. Summam contra Gentiles egregiis Commentariis illustravit Franciscus Silvestris, dictus Ferrariensis. Summam Tripartitam plures, ac celeberrimi Theologi, de quibus mox dicemus.

6. S. Bonaventura Balneoregii in Etruria natus, Professione Franciscanus, quem Greg. X. Cardinalem, & Albanensem Episcopum creavit, multa scripsit, quibus Lectorem docendo movet. Alexandri Halensis auditor fuisse fertur. Exstant ipsius nonnullæ Sanctorum vitæ, quæ olim Legendæ dicebantur, Commentaria in libros Sententiarum, & multi Tractatus Ascetici. Gersonius in Epist. ad quemdam Fratrem Minorum gravissimè conqueritur Alexandrum Halensem, & Bonaventuram ab sui Ordinis hominibus desertos esse, atque oblivioni traditos, aliorumque doctrinas his esse prælatas. Verba Gersonii valde notanda mox dabimus. Obiit Bonaventura anno 1274.

7. Petrus de Tarantasia ita dictus a loco nativitatis in Sabaudia S. Dominici institutum professus est, D. Thomæ coævus, & paulo antiquior, quippe qui biennio post D. Thomam, plusquam sexagenarius obiit ann. 1276. Ob eximiam pietatem, atque eruditionem Cardinalis primum, deinde etiam Romanus Pontifex creatus est sub nomine Innocentii V. ex Ordine Prædicatorum primus. Scripsit in Pau-

li

li Epistolas, & in quatuor libros Sententiarum. S. Antoninus cum D. Thoma Abbreviatorem vocat.

8. Udalricus de Argentina, item Dominicanus, qui Alberti Magni discipulus fuisse dicitur, Summam Theologicam scripsit, quam Dionysius Carthusianus magno in honore ab Sapientibus habitam testatur, ejusque authoritate utitur in eo quem de multiplicitate beneficiorum scripsit, tractatu. Non tamen hic est quem sub nomine Argentinensis communiter laudant Scholastici, ut deceptus censuisse videtur Generius.

9. Richardus de Middeltovvn, sive de Mediavilla natione Anglus, professione Franciscanus multos scripsit Theologicos, & Canonicos tractatus de quibus videndus Wadingus, in his Commentaria in 4. libros Sententiarum. Dicitur ab suis non immeritò Copiosus Doctor, & Solidus. Ab Scholasticis crebro, & cum honore allegatur sicut etiam ab Antonino in 2. p. Chron. tit. 24. Næ illi haud iniquo judicant Apolline, qui Richardum primum Franciscani Ordinis Theologum arbitrantur. Sanè & ubertate doctrinæ, & multigena eruditione, & principiorum firmitate, & methodo, ac soliditate conclusionum, juxta Halensem, & Bonaventuram nulli videtur secundus; tamen eandem illorum duorum fortunam subiit ab suis derelictus, ac fere incognitus. Obiit insignis hic Theologus juxta Azorium (*Parte 1. l. 2. Cap. 14.*) anno 1290.

§. L I I.

Henricus Gandavensis, Ægidius Romanus, Scotus, Raimundus Lullius.

1. Henricus Goedbalsius inter præcipuos decimitertii sæculi Theologos computatur. Dicitur vulgo Gandavensis a patria Gandavo Belgii Urbe. Tornacensis Archidiaconus fuisse dicitur; & Alberti magni Coloniæ auditor. Scripsit in lib. Sententiarum Petri Lombardi copiosè, eruditè, & solidè. Feruntur & ejusdem quodlibeta, quæ aurea dicuntur, & Tractatus de Scriptoribus Ecclesiasticis. Trinitarii, & Servitæ, inquit Generius de hujus celebratissimi Theologi possessione digladiantur. Verum neutrius Ordinis esse, verisimilius est. Obiit sexto Id. Septembris an. 1293.

2. Ægidius ex Columnarum familia Romæ natus, D. Thomæ discipulus, Ordini Eremitarum S. Augustini nomen dedit, & Philippi V., qui Pulcher audit, Præceptor fuit, hujusque opera ad Bituricensem Archiepiscopatum promotus est. Scripsit Commentaria in Cantica, & Epistolas ad Romanos, & ad Corinthios, Commentarium item in li-

bros Sententiarum, quod imperfectum reliquit: opus item quod Correctorium Corruptorii nuncupavit adversus Joannem Lamaram Franciscanum, qui unde quadraginta Capita, sive doctrinas D. Thomæ impugnaverat ex Summa Theologica edito libro cui titulus: Correctorium operum fratris Thomæ. (Ergo jam cadente 13. sæculo Summa Tripartita, D. Thomæ opus esse credebatur, & ab Halensi illa habebatur toto cælo distincta.) Scripsit item pro Electione Bonifacii VIII. ostendens eam licitam fuisse, & validam, validaque & licita omnia, quæ adversus antecessorem suum S. Petrum Cœlestinum fecerat. Quum vero deinde Bonifacius omnem Columnarum familiam proscripsisset, ab Ecclesia amovisset, & usque ad quartam generationem omni Ecclesiastico beneficio privasset, quum gentem illam ferro, flammaque persequeretur, & urbem Prænestinam, quæ eis favebat, eversam sale seminasset, Ægidius orto dissidio inter Bonifacium, & Philippum Pulchrum suum, & gentis, ac familiæ suæ protectorem librum scripsit, ait Goldastus in 2. Monarch. volumine, sub titulo de Ecclesiastica, & Laica potestate. Hanc lucubrationem Roncaglia Spuriam putat, nam ad ejus calcem ita scriptum invenitur. Explicit quæstio prædicta edita per bon. mem. Ægidium de Roma Ordinis FF. Eremitarum S. Aug. sacræ Theologiæ eximium professorem, & Archiep. Bituricensem secundum quod fertur. Adde Epistolam Bonifacii ad Philippum Regem, quæ huic lucubrationi occasionem dedit, a pluribus spuriam putari, unde deleri jussa est in edit. Roman. ab Glossa super cap. Generali de Elect. in 6. Adde authorem ejus dissertationis ambiguè loquutum. Frustra ergo Ægidii Romani sententiam pro, aut contra Romani Pontificis in temporalia Regum authoritatem disquiras, qui neque adversus sui, & gentis suæ potentissimum Protectorem, fari fere potuit, nec Pontifici sibi, & suis infensissimo patrocinari voluit. Obiit ann. 1316. Ejus, id est genuinam S. Thomæ doctrinam sequi jussi sunt Augustiniani Eremitæ per Generalis Capituli constitutionem.

3. Joannis Duns Scotus ab Scotia patria dictus est, quem tamen alii Anglum, alii Hibernum arbitrantur cum Wadingo, qui hunc genti suæ honorem deferendum censuit. S. Francisci amplexus est institutum, & Guillielmum Warram præceptorem habuit. Scripsit, inquit Generius ab aliis deceptus, in Magistrum Sententiarum Commentaria duo, aliud Oxfordii, aliud Parisiis. Hoc tamen non plenum Commentarium, sed appendicem quandam, aut supplementum prioris nonnulli existimant, dictumque reportata. Waddingus in 3. Annal. tom. hoc opus Scoti esse planè negat. Nam præter stylum, inquit, longe diversum ab scripto Oxfordiensi, discrepat etiam ab eo valde doctrina. Adde longè humilius, & inferius esse priori opere,

re, atque adeo ingenio jam provectiori Doctoris subtilis prorsus indignum. Habet etiam Quodlibeta nonnulla. De hoc viro quædam vulgatæ sunt fabulæ, aliæ quidem in magnum ipsius honorem, quas VVadingus narrat ex obscuris authoribus, nulloque coævo, aut saltem illis temporibus vicino: nimirum ab Anglia Parisios evocatum ab Romano Pontifice, ut piam opinionem de Immaculata Deiparæ Conceptione in ea Academia contra impugnatores sustineret: Statuam Virginis, ante quam oraverat, ei caput inclinasse certum in disputatione auxilium pollicitam: eo ostento confirmatum, atque ope adjutum ducentis argumentis coram Pontificiis Legatis respondisse: Academiam Parisiensem ei Doctoris Subtilis nomen detulisse, & statuisse, ut nemo deinceps ad gradum, lauream ve admitteretur, nisi piæ illi opinioni defendendæ jure jurando se obstringeret. Has autem meras gerras, & nugas esse patet legenti Scotum ipsum in 3. Sentent. dist. 3. qu. 1. Ibi enim disputans utrum Beata Virgo concepta fuerit in peccato originali? respondet: Ad quæstionem dico quod Deus potuit facere quod ipsa nunquam fuisset in peccato originali. Potuit etiam facere ut tantum in uno instanti fuisset in peccato originali. Potuit etiam facere ut per aliquod tempus esset in peccato, & in ultimo instanti illius temporis purgaretur . . . . . . Quid autem horum trium, quæ ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus novit. Si authoritati Ecclesiæ, vel Scripturæ non repugnet, videtur probabile, immo certissimum, quod excellentius est, attribuere Mariæ. Hæc omnia omittere potuit, atque ad rem respondere, utrum Scripturæ vel Ecclesiæ, aut Patrum authoritati repugnet assertio pia de Virginis conceptione. Jam vero qui adeo frigidè, adeo hæsitabundè loquebatur non tam apertus erat, nec tam acer Immaculatæ Conceptionis defensor. Quum enim non ageretur de eo quod Deus facere potuit, ut nos admonet, sed de eo quod Deus fecit, & quum fateatur, id quod Deus fecit, Deum solum nosse, nos docet, neminem citra Dei revelationem, qualem se habuisse non asserit, de ea re certum esse posse, atque adeo seipsum, sicut & cæteros ejus temporis Doctores in eodem luto hærere. Doctoris Subtilis titulum non ipsi fuisse ab Academia Parisiensi solemniter collatum, patet, nam Gersonius Academiæ Parisiensis Cancellarius, quamvis suppresso nomine, Scoticam subtilitatem reprehendit, immo irridet, ac veluti Theologiæ perniciosam carpit. Ait enim ad quemdam fratrem Minorem scribens: Mirum, immo miserum, & miserabile videtur, ne dicam damnabile, quo pacto prælatæ sint doctrinæ quædam aliæ sub specie subtilitatis plus inquietantes, quasi cyniphes Ægyptiæ, quam Sabbathum mentis incendio terræ Gessen afferentes . . . . Proh dolor! Isti duo nimirum Halensis, & Bonaventura

sepulti sunt; extolluntur alii, quorum nomina utinam sint in libro vitæ, & quorum scripta fecerunt sub nomine Subtilitatis insanire plurimos cum sequacibus ipsorum.

4. Quod autem de juramento in Parisiensi Academia fieri solito dicitur, id verò falsissimum esse patet ex ipso decreto Academiæ, in quo juramentum illud præscribitur. Ibi enim fit mentio Concilii Basileensis. At Concilium illud celebratum fuit anno 1497., Joan. autem Duns mortuus fuerat anno 1308. Qui ergo ejus disputationi tribuitur juramentum, quod ducentos post annos statuto Academiæ præscriptum est? De ipso autem juramento forte alibi. Porro de morte Joannis Duns varia non minus fabulosa dicuntur. Vivum sepultum fuisse narratur. Hujus commenti authores alii referunt Ecstasim passum, & omnino extra se raptum inventum fuisse, & tanquam mortuum habitum, ac tumulatum; alii morbo Aplopledico correptum. Omnia commenta sunt aut imprudentum defensorum, aut imprudentum impugnatorum. Primi nituntur Sermoni cuidam falso adscripto S. Bernardino Senensi, vel in quo vir Sanctus ab aliis narrata narravit. Obiit, uti diximus, anno 1308. D. Thomam ab Theologico principatu deturbare conatus fuisse videtur.

5. Raimundus Lullius Scoto coævus in Baleari majori Insula natus, primum Mercator, deinde Eremita girovagus, atque erro perpetuus, atque ut fertur, tertii Ordinis S. Francisci sectator. Scripsit Commentaria in libros sententiarum, tractatum item de Philosophia Amoris, de centum Dei nominibus, de Contemplatione, de Septem Arboribus, de Ecclesiasticis Proverbiis, de Contritione, Confessione, Satisfactione, & Oratione, de Beata Maria, de Salutatione Angelica, de Arte amandi, de planctu Raimundi, de doctrina puerili, de Amato, & Amico, de Arte Memoriæ magna, & parva, quas si quis post immensos labores, & fatigati cerebri vigilias se putet assequutum, vellem scire quem tanti laboris hauriat, vel edat fructum, indicit VVadingus, qui etiam multos alios recenset tractatus, quos ubique sine studio, aut librorum subsidio in itinerum, & peregrinationum perpetuo motu scripsit. Hæc fere omnia vulgari Catalaunica lingua composuit. In universis hominis operibus inquit VVadingus, stylus inconcinnus, inæqualis, non solum humilis, sed passim barbarus: methodus irregularis, inculta, confusa, rerum gestarum narratio neque seria, neque lenis, sed levis, & aspera, aliquando ridicula, vera tamen, & sincera. Modi, & termini loquendi a communi dissident loquela Theologorum, & pleræque ejusdem assertiones ab communi nostri ævi doctrina. Hæc non pro rei gravitate VVadingus, siquidem non solum a communi loquela, & doctrina dissidet in plerisque Raimundus, sed in multis etiam ab Catholicæ fidei regula,

gula, ut illud: Unitas naturæ, & essentiæ facit stare æqualiter tres personas Divinas hominem Deitatum, quod habetur in lib. de 7. arboribus. Ut illud in lib. de Contemplat: Tota divina natura pœnam passionis sentiebat. Ut illud in libro de B. Maria: Dei filius est bonus ratione bonitatis Mariæ, quæ est bona per naturam. Et tamen ibidem: Stulta, inquit, & inobediens fuit Mariæ voluntas, quia non dilexit filii sui mortem. Ut illud: In faciendo bonum non oportet sperare quod Deus incipiat, quia jam incæpit, quando nos creavit. Ut illud: Omnes articuli fidei, Ecclesiæ Sacramenta, Papæ potestas possunt probari, & probantur per rationes necessarias, demonstrativas, & evidentes. Juxta quam thesim probare conatus est mysterium Trinitatis, iis argumentis, & rationibus, quæ ut Ruizius de Montoja loquitur, somniantis sunt, & malè sani capitis deliria. Agmen claudat prop. 98. ex centum, quas in ejus libris proscripsit Gregor. XI. Qui cognoscit per fidem, ea quæ fidei sunt, potest decipi; sed qui cognoscit per rationem non potest falli. Nam fides potest errare, & non errare . . . Per fidem quandoque cognoscimus veritatem, sicut cœci, qui aliquando inveniunt quod quærunt, aliquando non. Et hic dicitur Doctor illuminatissimus, Tuba Spiritus Sancti, Organum Dei, fons veritatis

O gens insipiens, & inficeta!

Ne quid amplius dicam. Alicubi tanquam Beatus, & Martyr colitur. Hic de moribus ejus, & vita non agitur, quamvis ea quæ scripta legitur errorum sit, ac mendaciorum refertissima. Erraverit ingenii debilitate, vel lectionis, & eruditionis defectu, nam Grammaticam vix noscitur attigisse, vel quod verius alii putant, malè sanæ mentis vitio. Verum quod Deus dederit illi hanc artem, & doctrinam generalem in quodam monte, ubi Christus ei Crucifixus apparuit, & quod eam ei dederit pro sui sæculi tenebris extirpandis, quod in prologo ad lib. Sententiarum scribit. Id inquam, & alia his similia.

Credat Judæus Apella

Non ego.

§. LIII.

Antonius Andreas, Aureolus, Bassolis, Hervaus, Maironis, Triumphus, Guidus de Perpiniano, & Durandus.

1. Antonius Andreas Hispanus Aragonensis, Franciscanus, & Joannis Scoti discipulus Commentaria scripsit in Summam Sententiarum, & in aliquot libros Aristotelis. Ejus opera notis illustrata collegit, atque edidit Sarnanus ex eadem familia Cardinalis. Florebat circa annum 1320., diciturque ab suis Doctor Dulcifluus.

2. Petrus Aureolus Gallus, ex Ordine Minorum, Episcopus Narbonensis, & Scoti, ut fertur, auditor, Breviarium Biblicum, sive Sacræ Scripturæ Compendium exaravit, & item Compendium Theologicum, Commentaria in quatuor Lombardi libros, Tractatum de Religiosa Paupertate, de Conceptione Beatæ Virginis, sermones, & alia. Ejus cum laude meminerunt Antoninus, & Trithemius Abbas. Scripsit autem dilucidè, pressè, ac nervosè, & non immeritò Doctor Facundus ab suis dictus est. Obiit VI. April. ann. 1322.

3. Joann. Bassolis item Franciscanus, & qui Joann. Dunsii auditor fuisse dicitur, scripsit Commentaria in libros Sententiarum, & librum cui titulus: Miscellanea Philosophica, & Medica. Florebat per annos 1322., & ab suis appellatur Doctor Ordinatissimus.

4. Hervæus Natalis Gallus, Ordinis Prædicatorum Generalis Magister Decimus quartus maximus habitus fuit, certè unus ex maximis sui sæculi Theologis. Scripsit Commentaria in libros Sententiarum, Tractatum de Potestate Papæ, Apologiam pro suo Ordine, & Quodlibeta aliqua. Sed Commentaria in Epistolas D. Pauli alterius Hervæi sunt antiquioris Benedictini Monachi. Obiit is de quo loquimur juxta Antonium Senensem anno 1323.

5. Franciscus Maironis Natione Gallus, professione Franciscanus, Scoti ut fertur auditor, certè maximus Scoticæ doctrinæ promotor, & qui primus videtur in Scoti verba jurasse, fuit acerrimus Disputator, & institutor famosi illius Actus Litterarii per duodecim continuas horas in Parisiensi Academia haberi soliti, qui Sorbonica dicitur. Scripsit commentaria in Summam Petri Lombardi, & nonnulla alia, quæ recenset VVadingus. Obiit Placentiæ anno 1325., diciturque apud suos Doctor Illuminatus.

6. Augustinus Triumphus Italus Anconæ natus, Eremitarum S. Augustini professus est institutum. Carolo II., & Roberto ejus filio Neapolitanis Regibus charissimus fuit, & a secretioribus consiliis. Scripsit Commentaria in libros Sententiarum, librum item de Pote-

state

state Papæ, quem Joanni XXII. dedicavit, & Milleloquium Augustinianum, quod postmodum quidam ejus discipulus absolvit, & Clem. VI. nuncupavit. E vivis excessit Neapoli anno 1328.

7. Guidus de Terrena, dictus de Perpiniano patria sua Carmelitarum Ordini nomen dedit, Episcopus primum Majoricensis, mox Elnensis in Rosselionis Comitatu: Scripsit Commentaria in plures Scripturæ libros, super aliquos libros Aristotelis, Canonicos tractatus multos, & in libros Magistri Sententiarum. Tractatum etiam de Hæresibus, quem Gaucelino Cardinali, Albano Episcopo nuncupavit. Doctus author, & solidus majori tamen in rebus Canonicis, quam in Theologicis subtilioribus nomine. Obiit 21. Augusti ann. 1342.

8. Durandus de Sancto Porciano, natione Gallus, professione Dominicanus scripsit in quatuor Sententiarum libros, & de Origine Jurisdictionum Tractatum eximium. Dictus est in antiquis ejus operum editionibus Doctor Resolutissimus, quod summa libertate in scribendo usus sit, & in nullius Doctoris verba juraverit. Unde quum ea ætate Franciscani Scoticam Doctrinam in omnibus sequi profiterentur, & Dominicani Thomisticam, ille nulli sibi adhærendum esse existimavit, dicere solitus, quod in suorum super Sententias Commentariorum prologó scripsit, quod compellere, aut inducere quempiam, ut non doceat, vel scribat dissona ab his quæ determinatus Doctor scripsit, est talem Doctorem præferre sacris Doctoribus, præcludere viam inquisitioni veritatis, impedimentum apponere scientiæ, & lumen rationis non solum occultare sub modio, sed comprimere violenter. Hoc verissimo quidem, & justissimo ratiocinio, ultra quam oportebat, abreptus, suoque genio indulgens nimium, studium omne adhibuit, ut in Dogmatum Catholicorum explicatione ab antiquioribus Doctoribus, & maximè ab D. Thoma abiret, quam posset, longissimè. Hinc autem accidit, ut in multas exoticas opinationes abduceretur, atque aliena ab sententia communi Sanctorum Patrum, quorum D. Thomas organum, & lingua est. Contra Durandum scripsit deinde nepos ejus Durandellus ex eodem Ordin. Prædicatorum Vindicias doctrinæ D. Thomæ, quem tractatum sic exorditur: Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. Sed Durandellus dum vehementer Durando obluctari pergit, in errorem extremè oppositum incidit. Nam neque illi probandi sunt, ut Canus admonuit, qui velut Sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti, ut Fabii verbis utar, nefas ducunt a suscepta semel persuasione discedere. Theologo nihil necesse est in cujusquam jurare leges. Majus est enim opus, atque præstantius ad quod ipse tendit, quam ut Magistri vestigiis insistere debeat, si qui-

quidem est futurus Theologiæ laude perfectus. Memini, inquit, de Præceptore meo Francisco Victoria audire, tanti D. Thomæ sententiam esse faciendam, ut si potior ulla ratio non succurreret, Sanctissimi, & Doctissimi viri nobis satis esset authoritas . . . . siquid autem durius ille, aut improbabilius dixerit, imitaturos nos ejus in re simili industriam, & modestiam, qui nec authoribus antiquitatis suffragio comprobatis fidem abrogat, nec in eorum sententiam abit ratione in contrarium vocante. Quod ego præceptum, inquam cum Cano eodem, diligentissimè, ac religiosissimè custodiendum duxi.

9. Neque propterea usus Scholarum quum publicarum, tum Domesticarum in Collegiis, & Regularibus Ordinibus improbandus est tamen, ubi studiosis adolescentibus, & Lectoribus, certum Systhema doctrinæ tenendum, certusque author terendus proponitur, velut in scribendo exemplaria pueris, ut juxta ea manum dirigant, ductumque sequantur. At quum jam manum ferulæ subduxerint, quum jam nabunt sine cortice, quum jam per semet Scripturas, & Patres legere, atque interpretari possit quis, & multa lectione, ac longa meditatione animum excoluerit, ridiculum profecto est hunc ad D. Thomæ, aut Scoti, aut Ægidii, & multo magis ad recentioris cujusvis authoris mentem, ac doctrinam sequendam velle compellere. Sed sunt centum annorum pueri, qui præ conceptis illis in adolescentia opinatiunculis, tanquam polypus primo scopulo, ita adhæret, ut neque se inde dimoveri patiantur, nec alios velint discedere, quos ego cum Horatio l. 1. sat. 10.

Discipulorum inter jubeo plorare cathedras.

§. LIV.

Lyra, Alvarus Pelagius, Paludanus Backonus, Okamus, Holkothus, Thomas de Argentina, Gregorius de Arimino, Hugolinus, Vargas, Marsilius.

1. Nicolaus de Lyra ita dictus ab loco natali in Normandia, ex Judæis parentibus natus, & in omnibus Rabbinorum disciplinis educatus est. Inde ad fidem conversus, & Sancti Francisci institutum amplexus propria in ipsos vertit, variisque scriptis fabulas, & superstitiones Hebraicas confutavit. Brevia Scholia ad omnes Scripturæ libros adjecit eruditis quidem ut plurimum, solidis, & piis, nisi quod

si quod quandoque Judæorum traditionibus nimis indulget, nimirum

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem . . . Testa diu.

Scripsit etiam in quatuor libros Sententiarum commentaria, & duos Tractatus de Eucharistia, qui non magno habentur in pretio. Obiit Parisiis 23. Octobr. ann. 1340., ejusque non sine laude meminit Antoninus in 3. parte Chronic. tit. 34. Generius mortualem ejus diem memorat prid. Id. Octobris ann. 1349. Quæ diximus desumpta sunt ex Natali Alex., qui ejus Sepulchrum videre, atque inscriptionem sepulchralem legere potuit in Conv. PP. Minorum Parisiensi.

2. Alvarus Pelagius Hispanus ex Ordine item Minorum, quem nonnulli Scoti auditorem fuisse perhibent, Silvensis in Regno Algarbiorum fuit Episcopus. Scripsit de Planctu Ecclesiæ libros duos adversus corruptissimos sui sæculi mores, Speculum Regum, Collyrium adversus Hæreses, Summam Theologicam, Commentaria in libros sententiarum, & Apologiam pro Joanne XXII. adversus Guillielmum Okamum, de quo mox dicetur. Hujus quoque meminit cum honore S. Antoninus loc. cit. Florebat per annos 1337.

3. Petrus Paludanus Dominicanus, Gallus, & Hierosolymitanus Patriarcha reliquit sermones varios, Tractatum de Causa immediata jurisdictionis Ecclesiasticæ, Commentarium in universam Scripturam, secundum multiplicem expositionem, cujus Antoninus meminit, item Commentaria in libros Sententiarum, quæ Antoninus idem in his quæ spectant ad Sacramenta, & præcepta, aliasque materias Morales, de quibus in 4. Sententiarum agitur, omnibus illius ætatis authoribus anteponit. At nominatissimus hic Theologus opinionem præbuit, ut Roberti Comitis Belmontii Confessarius posset, teneretur que revelare secretum, quod ipsi Robertus sub confessione tradiderat, nimirum se litteras, & subscriptiones confinxisse ad Ducatum Atrebatensem obtinendum. Ajebat enim Paludanus, ut est apud Nangii Continuatorem ad annum 1331., quod poterat istud sine peccato, vel periculo velare, quoniam, ut dicebat, sola peccata sub sigillo Confessionis cadunt, & quod istud non erat peccatum, nimirum Scripturas confingere, aut confictis scienter uti, & miraculosè inventas dicere, ut sibi adjudicaretur Comitatus ad quem jus habebat nullum. Erravit ergo Paludanus gravissimè, & quod factum illud revelari posse dixit, & multo gravius quod peccatum non esse asseruerit, confingere scripturas, & divinitus inventas comminisci in damnum eorum, quibus Comitatus Atrebatensis competebat. Et tamen ei finienti, pergit author idem, alii assistentes Magistri consenserunt unani-

unanimiter. Aderant autem in eo coetu simul cum Parisiensi Episcopo Doctores multi illius celeberrimæ Academiæ, aderant ex Prædicatorum, & aliis ordinibus Magistri multi cum Regiis Secretario, & Ministris. Adeo facile est homines etiam litteratos, & pios unius præ concepta animo opinione, ac nominis claritate in transversum agi. At enim quoniam Paludanus in ea fuit sententia, eique subscripserunt ex celeberrima orbis Academia Doctores multi, multique ex Ordine Prædicatorum, & Religiosis aliis familiis, æquum erit hunc errorem tribuere toti Academiæ, aut toti Prædicatorum Ordini? Quot vero ex factis singularibus ductis hujusmodi argumentationibus utuntur recentiores isti Probabilismi, ut inquiunt Impugnatores, aut Defensores, Cyniphes Ægyptiæ; quod ajebat Gersonius, plus inquietantes, quam Sabbathum mentis incendio terræ Gessen afferentes? Obiit Paludanus Parisiis ann. 1342.

4. Joannes Backonus Anglus ex Ordine Carmelitarum Commentarios scripsit in libros Augustini de Trinitate, & de Civitate Dei, in libros Anselmi de Incarnatione, & Cur Deus homo, in quatuor libros Magistri Sententiarum, Tractatum cui titulus: Compendium Legis Christi, & quodlibeta nonnulla, seu quæstiones rerum ad suum ordinem spectantium. Est author diligens, clarus, solidæ doctrinæ, & parum litigiosus, quod in ejus ætatis scriptoribus perquam est rarum. In nonnullis Hispaniæ Universitatibus Cathedram habuit suis sententiis addictam, & constitutione Generalis Capituli totus ibi Carmelitarum Ordo eumdem tueri, ac sequi jussus est. Annum circiter 1350. floruisse scribit Trithemius, quamvis anno 1347. obiisse, vero propius sit.

5. Guillielmus Okamus Anglus item, discipulus, ut fertur Scoti, Philosophorum, qui Nominales dicti sunt, aut parens, aut saltem maximus defensor Sancti Francisci Regulam professus est. Scripsit Commentaria in Summam Sententiarum, & tractatus alios nonnullos. Vir fuit, inquit VVadingus, acris ingenii, sed minimè sobrii . . . . Imprudenti zelo, & nimis ardenti, defendere volens Franciscanæ paupertatis excellentiam, timensque incidere in manus Ioannis XXII. Rom. Pontificis, Minorum sententiæ valdè contrarii, fugit cum Michaele Cæsenate, Ordinis Ministro Generali ad Ludovicum Bavarum Imperatorem, scripsitque intemperanter contra Joannem Ludovici adversarium plurima opuscula, quorum aliqua proscripta sunt, & alia cautè legenda. Si fœdam hanc non incurrisset maculam, insigni inter Theologos nomine audiret. Hæc sui Ordinis Chronologus Wadingus. Obiit Monachi, abjurato, ut fertur Schismate, & ab censuris absolutus anno 1347.

6. Robertus Holkotus Anglus item, Prædicatorum Ordini nomen dedit.

dedit. Scripsit in 4. libros Sententiarum, in Sapientiam, Cantica, & prima septem capita Ecclesiastici. Apud medii ævi Theologos magno habetur in pretio. Obiit ann. 1349.

7. Thomas de Argentina natione Germanus, Ordinis Eræmitarum Sancti Augustini, & totius gentis Prior Generalis Commentarios scripsit in Summam Sententiarum, qui & claritate, & ubertate, ac soliditate doctrinæ, magnum ipsi inter Scholasticos nomen pepererunt. Obiit Viennæ in Austria, anno 1357.

8. Huic in Prioratu Generali ejusdem Ordinis successor datus est Gregorius de Arimino urbe Italiæ, unde vulgò Ariminensis dicitur. Scripsit in Epistolas D. Pauli, & Jacobi, tractatum de Usuris, & Commentarios in Summam Petri Lombardi nominatissimos. Vir sanè doctus, ac priscæ sapientiæ ad morem formatus, rerum, non verborum enucleator, liber, & nullo partium studio abreptus, in disserendo methodicus, in docendo clarus, in argumento nervosus. Hinc apud insigniores Theologos decimi quarti, & decimi quinti sæculi sæpe laudatus, & inter decimi quarti aut maximus, aut nulli secundus est habitus. Obiit ann. 1358., non 1458., ut scribit Natalis.

9. Hugolinus Malabranchius Centumcellis in Italia natus, Augustinianus item, & Gregorii de Arimino in universi Ordinis Regimine successor fuit. Sicut autem dignitate, ita ei doctrina suppar commentaria scripsit in Petri Lombardi Summam ordine, claritate, atque ubertate præstantia. Obiit Episcopus Ariminensis, & Patriarchatus Constantinopolitani titulo insignitus.

10. Alphonsus Vargas Toleti in Hispania natus, professione item Augustinianus non minori laude in Magistrum Sententiarum scripsit. Obiit Archiepiscopus Hispalensis anno 1366.

11. Marsilius de Inghen Germanus Academiæ Heildelbergensis institutor, & primus Theologiæ professor Commentaria reliquit in libros Sententiarum, atque insignis habetur inter Theologos decimi quarti sæculi, quo exeunte obiit ann. 1394.

§. LV.

Scholastici Sæculi Decimiquinti.

1. Computandi inter hos sunt Petrus de Alliaco, Joannes Gersonius, Alfonsus Tostatus, Petrus de Tarantasia, qui fuit postea Innocent. V., Joannes de Turrecremata, & alii, de quibus supra inter Ecclesiasticos Scriptores meminimus, nam de argumentis nonnullis Scholastica methodo disseruerunt, ut supra adnotatum est.

2. His

2. His accensendus Joannes Capreolus Gallus in oppido quodam Diæcesis Tolosanæ natus, ex Ordine Prædicatorum. Is primus fuit qui D. Thomæ doctrinam in omnibus sequi apertissimè professus est, in suis super libros Sententiarum Commentariis, ubi Sancti Doctoris sententias explicat dilucidè, ac defendit adversus impugnationes Joannis Diensii, & Petri Aureoli, tum Durandi, & Nominalium. Scribebat sæculo decimo quinto ineunte, cujus anno decimo decessit, uti scribit Bellarminus, dictus jure merito Princeps Thomistarum.

3. Antoninus ex Ord. Prædicat. Florentiæ natus, atque urbis ejusdem Archiepiscopus, ab Consilii dexteritate, & rerum agendarum prudentia Antoninus Consiliorum appellatus, scripsit Summam Historialem, seu Chronicon, & Summam Doctrinalem utriusque Theologiæ Speculativæ nimirum, & Practicæ seu Moralis. Obiit Deo, & hominibus charus postrid. Kalend. Maii, ann. 1459.

4. Nicolaus ab oppido Cusa in Diœcesi Trevirensi Cusanus dictus Basileensi Concilio interfuit, ejusque adversus Eugenium schismati aliquando favit. Mutata deinde sententia, Eugenii ipsius authoritatem magno robore propugnavit. Ab Nicolao V. Eugenii successore Cardinalis creatus multis Legationibus obitis utilem se Ecclesiæ præbuit. Vir fuit omni disciplinarum genere excultus. Nam & Mathematicas disciplinas, & Historiam, & Juris utriusque prudentiam, & Theologiam coluit. Scripsit occasione Basileensis Synodi de Concordantia Catholica libros III., de docta Ignorantia lib. III., Idiotæ sive de Sapientia libros IV., Cribrationis Alkorani lib. III., Excitationum libros X., Complementum Theologicum, & tractatum de Visione Dei. In his scriptis omnibus multas habet opinationes speciosas magis, quam solidas, ut illam de habitatoribus Lunæ, de motus Telluris, & similibus. Obiit Cusanus Cardinalis anno 1464.

5. Stephanus Bruleferius ex Ordine Minorum quatuor S. Bonaventuræ libros in Summam Magistri Sententiarum notis illustravit sub hoc titulo: Reportata in quatuor libros Sententiarum S. Bonaventuræ. Habet etiam Tractatum de Trinitate. Obiit ann. 1483., & tamen Scoti discipulus a nonnullo dicitur, qui objerat anno 1308.

6. Gabriel Bielius, antonomasticè Gabriel ab Scholasticis dictus, Clericis Regularibus, quos vitæ communis dicunt, nomen dedit. Commentaria scripsit in libros Sententiarum & alia nonnulla, nec ultimi est inter Scholasticos nominis. Obiit sæculo decimo quinto exeunte.

§. LVI.

§. LVI.

Sæculi Decimisexti Scholastici celebriores.

1. Gregorius Cortesius Mutinensis, Cassinensis Abbas, & S. Eccl. Cardin. Commentaria scripsit in libros Sententiarum, & de Theologica institutione, de Peccato Originis, de Potestate Ecclesiastica singulares tractatus. Obiit Romæ ann. 1548.

2. Paulus Cortesius Protonotarius, ut dicunt, Apostolicus, præter eximium Tractatum de Cardinalium Dignitate scripsit Commentaria in lib. Sententiarum, quorum duos priores duntaxat videre potui. Hoc opus scriptum est cum singulari authoris studio circa Latini Sermonis puritatem, & concinnitatem, cujus rei in præfatione reddit Julio II. Pontifici, cui lucubrationes suas nuncupavit. Non equidem improbo hujus, & similium Scriptorum consilium, qui hoc pacto fastidium evitare studuerunt, quod effæminatulis Grammaticis, & Philologis ingenerare solet incomptum illud, ac neglectum dicendi genus, quo utuntur Scholastici: probo potius & laudo. Non tamen ut istis delicatulis mos geratur, vocabula illa, & loquendi modi abjiciendi sunt, quæ jam sacrorum argumentorum, ac rerum propria facta sunt, atque ad Dialecticam illam brevitatem, & acutam formam, qua in Scholasticis ratiociniis utimur, necessaria. Non probabo, nequidem in D. Thoma tantum Grammaticæ neglectum ut pro faciendum, dicatur fiendum, & alia his similia, quæ propriè, & Latinissimè dici possent; ac vero ut omittantur voces quidditas, Ens, entitas, ratio formalis, essentia, existentia, subsistentia, substantia, qualitas, atque hujus generis sexcenta id inquam curti, & puerilis ingenii proprium semper existimabo. Quis enim Marco Tullio purè, atque ornatè dicendi studiosior? Et tamen is de Epicuro loquens, quem nonnulli reprehendebant quod Platonis, Aristotelis, & Theophrasti orationis ornamenta neglexerat, Oratio me inquit, istius Philosophi non offendit. Nam & complectitur verbis quod vult, & dicit planè quod intelligam. Et tamen a Philosopho, si afferat eloquentiam non adsperner; si non afferat, non admodum flagitem. Cur ergo ab Theologo exigatur, quod non exigitur a Philosopho? Mathematicæ Disciplinæ, Jurisprudentia, Mercatura, & omnis generis Mechanicæ disciplinæ nonne habent vocabula sua propria, modosque loquendi singulares, atque extra eas inusitatos? Rectè Cicero quum in libris Philosophicis qualitates dixisset, ita appellavi, inquit, quas Græci ποιότητας vocant, quod ipsum apud Græcos non vulgi verbum est, sed Philosophorum, atque id quidem in multis. Dia-

Dialecticorum quoque verba nulla sunt publica: suis utuntur, & id quoque commune est omnium fere artium. Licebit ergo Philosopho

> Propter egestatem linguæ, & rerum novitatem . . . (*Lucr.*)
> Signatum præsente nota producere nomen . . . (*Horat.*)

& id ipsum non licebat. Atqui Zeno, inquit Tullius, novis vocabulis usus est, nova enim loquebatur. Laudatur opulentia, atque ubertas linguæ Græcæ. Fiat a nobis, quod fit a Græcis, atque eandem habebimus. A ποιος qualis deduxerunt ποιοτης, quod Tullius vertit qualitatem, ab ταυτος ταυτοτης, & Græci Theologi ab υιος dixerunt υιοτης, a πατερ πατριοτης, ab ουσια ουσιοτης, ουσιωδης, & a nobis dici non poterit ex filio filietas, aut filiatio, ex Patre paternitas, ex esse, essentia, & essentialitas, & essentialis? ab idem identitas non eadem ratione dici potest, qua ab qualis dictum est qualitas, & ab quantus quantitas? Aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda, ut ibidem Tullius scripsit. Nimirum, inquit Edmund. Campianus, apud Ciceronem perpessio invenitur, non passio. Propterea Christiani non audebimus Christi passionem totidem Syllabis, ac litteris enuntiare? Per me quidem potius in Tiberim omnia Ciceronis opera projiciantur, quam hujus unius dictiunculæ jactura fiat. Velisne ut Ludi magistri, ut Scholarum Lectores, ut Parochi, ut Episcopi in erudiendis sacra doctrina pueris, adolescentibus, rudi plebe, ac mulierculis non nisi Ciceronianis vocibus, atque stylo utantur. Eccur id ipsum ab Geometris, ab Medicis, ab Causidicis non exigis? Quid ad nos ajebat Augustinus, quid Grammatici velint? Melius in barbarismo nostro vos intelligetis, quam in nostra disertitudine diserti eritis. Ita igitur loquendum est, ut & animi nostri sensa promamus, & ab audientibus capiamur, nec timeamus quod est apud eumdem Aug. ferulas Grammaticorum, dum tamen ad veritatem solidam, & certiorem perveniamus . . . Ingratus erit qui intelligit, si nos reprehenderit, quia intellexit, idque aliunde in sacris nostris studiis vitabimus, quod est apud Ennodium (*in parænt. Didasc.*) ne sentiat virilitas operis effæminati, & enervati damna sermonis. Quod in hoc ipso Paulo, de quo loquimur, Cortesio facile est cernere. Nam dum vocibus, & phrasi Plautinæ, ac Tullianæ nimis studet, inutile opus suum, ac fastidiosum fecit, in disserendo curtus, atque exilis, in confirmando elumbis, atque enervis. Scilicet, quod ab Quintiliano verissimè dictum est: jacet sensus, ubi verba laudantur. (*in 3. Inst. Rer.*)

3. Joann. Major Scotus, Doctor Parisiensis scripsit Commentarios in 4.

In 4. libros Sententiarum, qui sæpe ab Scholasticis cum laude allegantur. Item in quatuor Evangelia: de Historia magnæ Britaniæ libros sex parum exactos illos, & vulgaribus fabulis, atque erroribus scatentes. Ad calcem operum Gersonii exstant tractatus de Monarchia Ecclesiæ, de authoritate Episcoporum, Parochorum, & Concilii, qui ex Majoris in Mathæum Commentariis desumpti esse videntur. Obiit an. 1529.

4. Adrianus Belga, Doctor Lovaniensis, Caroli V. Imperatoris Germaniæ Magister, cujus opera Cardinalis creatus est, ac deinde electus Pontifex proprium nomen servavit: Adrianus Sextus dictus, scripsit Quodlibeta 12., & Commentaria in Summam Sententiarum non exigui apud posteriores Scholasticos nominis. Opera ipsius post Pontificatum collegit, atque edidit Milicius Calvus. Obiit postrid. Id. Septemb. an. 1523.

5. Silvester Prieras Pedemontanus totius Ordinis Prædicat. Gener. Mag., Magistrum Sententiarum præclaris Commentariis illustravit. Scripsit quoque Additiones ad Joann. Capreoli Commentarium de potestate Ecclesiæ, & tractatum, cui titulus: Malleus Scotistarum. Florebat circa ann. 1520. Hujus insignis Dominicani non meminit Nat. Alex. inter Theologos sæculi 16.

6. Franciscus de Silvestris ex nomine patriæ suæ Ferrariæ, urbis Italiæ dictus vulgo Ferrariensis, Ordinis etiam Prædicatorum Gener. Magister luminosissimum scripsit Commentarium super quatuor D. Thomæ libros contra Gentiles. Natalis Alexander illum anno 1520. decessisse tradit, sed egregiè fallitur, nam in Epistola Dedicatoria eorum Commentariorum ad Clem. VII. subscribit Bononiæ Kalend. Aug. ann. 1524. Generius anno 1528. obiisse commemorat.

7. Thomas de Vio ab Cajeta patria communiter dictus Cajetanus sæculi sui Theologorum maximus, aut inter maximos fuit, missus propterea in Germaniam ab Leone X., ut Lutherum ab errore, si posset, revocaret, quæ legatio præclaro conatui haud quaquam habuit eventum parem. Commentaria scripsit in Pentateuchum, in Historiales, & Sapientiales libros, in tria prima Isaiæ capita, & totum novum Testamentum, Apocalypsis libro dempto. Totum item Vetus Testamentum ex Hebræo fonte in Latinum sermonem transtulit, de qua versione cum cæteris suo loco dicetur. Magnum habet inter Scholasticos nomen ob Commentaria in Summam Tripartitam D. Thomæ, quam primus illustravit, nam de Roberto Riluvarbio nihil scribunt Echardus, & oculatiores Critici. Multa alia scripsit non contemnenda, quæ habentur ad calcem Commentariorum in primam Secundæ. In iis, quæ super Scripturam edidit multa sunt, quæ sapientum communi judicio exploduntur, nec desunt in Commentariis super D.

Thomam duriuscula quædam, multa obscura, & inepta nonnulla. Istud breviter dici potest, ajemus cum Cano, Cajetanum Summis Ecclesiæ ædificatoribus parem esse potuisse, nisi quibusdam erroribus doctrinam suam quasi lepræ admixtione fœdasset, & vel curiositatis libidine affectus, vel certè ingenii dexteritate confisus litteras demum sacras suo arbitratu exposuisset. Ita quum plurima scripsisset egregiè, vertit ad extremum omnia . . . & aliorum quæ gravissimè dixerat, elevavit, aut minuit certè authoritatem. Nævi tamen Cajetani non satis sunt ut hæreticus dici posset, ut Alphonsus Castrius, & Prateolus temerè scripserunt. Non enim error, sed error pervicax hæreticum facit, ille vero scripta sua omnia judicio submisit Ecclesiæ, cui in aliis multis utiliter servierat. Ordinis Prædicatoris universi præfecturam gessit, & inter Romanæ Ecclesiæ Cardinales relatus est. Obiit an. 1534. Cajetani errata adnotavit, impugnavitque Ambrosius Catharinus ex eadem Prædicatorum familia singulari opere, quod Joanni de Funario Generali Ordinis Magistro dedicavit, de quo infra dicetur. Ejus item tractatum de potestate Papæ, & Concilii Jacobus Almainus Parisiensis Theologus confutavit.

8. Franciscus Victoria ita dictus ab nomine patriæ, urbis Hispaniæ ex Ord. Prædicatorum Doctor Parisiensis scripsit Relectionum Theologicarum volumen. Hic Theologiam, inquit Matamorus, ut quondam Philosophiam Socrates, è cœlo evocavit. Multa de ipso invenies apud Melchiorem Canum, qui in suis Præceptoribus Parentibus, & omnibus ad se quoquomodo spectantibus, occasionem de se loquendi, & suimet laudandi prætermittit nullam: Obiit Victoria Salmanticæ an. 1546.

9. Ludovicus Carvajalius Hispanus ex Ordine Minorum librum scripsit cui titulus: Restitutæ Theologiæ, & a Sophistica, & Barbariæ pro virili repurgatæ specimen. Sed

Nil dignum tanto tulit hic promissor hiatu.

Tractatum item reliquit de Virginis Conceptione Oratorium potius, quam Scholasticum, aut Theologicum.

10. Dominicus Sotus Segoviensis ex Ordine Prædicatorum, & sui ævi Theologorum ferè maximus, in Cathedra Salmanticensi Theologiæ successor, & Caroli V. in Tridentino Concilio Theologus, Commentaria scripsit in libros Sententiarum, librum item de natura, & Gratia, quem ejusdem Concilii Patribus dedicavit, tractatum egregium de Justitia, & jure, Apologiam adversus Ambrosium Catharinum, & alia opuscula. Omnia illius multo cum eruditorum plausu rece-

recepta sunt præter Commentarium in Epistolam ad Romanos, ubi multis puerilibus argutiolis, atque ineptis subtilitatibus, quod in aliis meruerat; nomen obscuravit. De ipso Matamorus in eo quem scripsit de Academiis, & Viris illustribus Hispaniæ libro, Dominicus Sotus, inquit, totius Hispaniæ consensu, cæteris & doctrina, & studio præstitit Doctoribus. Felix, si Thoma suo, & Aristotele contentus, Pauli ad Romanos Epistolam non attigisset. Segoviensem Episcopatum recusavit, obiitque Salmanticæ; ubi Victoriæ successerat, ann. 1560.

11. Petrus Sotus item Dominicanus Hispanus, qui Pii IV. jussu Tridentinæ Synodo interfuit, scripsit contra Brentii, & Lutheranorum dogmata, & de Institutione Sacerdotum libros tres. Ab Hispaniæ Rege in Angliam missus est eo consilio, ut Oxfordiensem Academiam reformaret, in qua Petrus M. Calvinista puram doctrinam corruperat. Sanderus in lib. de Schismat. Anglicano scribit hoc fuisse in Anglia commune eruditorum judicium, Martyrem dictionis meretriciæ, orationisque magis hilarescentis, ac mulcentis ornatu Sotum facile superasse, sed illum ab hoc vicissim rerum sacrarum scientia, & judicio superari. Obiit Tridenti, ipsius Concilii tempore, ubi ab Patribus egregia ei oratione parentatum est, ann. 1563.

12. Ambrosius Catharinus Senensis, primum non exigui nominis Causidicus, deinde in Ordin. Prædic. Theologus, Julii III. præceptor, in Regno Neapolitano Archiepiscopus, interfuit Trident. Concilio. Multa scripsit Theologica, quorum catalogum habes apud Echardum in Bibl. Ord. Præd. In his omnibus nonnullas opiniones sustinuit exoticas quum in Scripturarum expositione, tum in Speculativis Tractatibus de Prædestinatione, de Sacramentis, aliisque Scholasticis, & Moralibus argumentis. Acris ingenii vir, & in abscedendo ab communi Theologorum, immo & Patrum sensu liberrimus. Summa vir existimatione, inquit Palavicinius in Histor. Trid. Concili, per eos annos, quos vixit, sed per opera, quæ reliquit, minor. Cui fortassè communis de ipsis opinio minus favit, quod ipse in iisdem communem aliorum opinionem minoris fecerat. In eo profecto, quem adversus Cajetanum scripsit libro nonnulli putant, quod animadvertit in Natalem Roncaglia majori numero calumnias inseruisse, quam errores Cajetani. Obiit ann. 1554.

13. Melchior Canus ex Ord. Prædic. electus Episcopus Canariensis, Taransone natus est Toletanæ Diœcesis oppido. In Tridentino Concilio illustre sibi nomen fecit; majus autem 12. Locorum Theologicorum libris exquisitissima eruditione, subactissimo rerum, & scriptorum judicio, solidissima doctrina, & nitidissimo dicendi genere scriptis. Hæc de operis per sese spectati natura; in authore autem

ipso multa viris sensatis displicent, & opus pulcherrimum quasi quadam luti conspersione deturpant. Defuit enim viro illi in ipsamet eruditione sobrietas. Plus enim quandoque ad pompam, & ostentationem, quam ad rei de qua agitur, confirmationem videtur inducta. Defuit in Scriptorum judicio modestia, cujus defectum jam dudum Victoria præceptor agnoverat, reprehenderatque, ut ipsemet scribit lib. 12. In toto opere intermixta est φιλαυτια quædam, sive ars insinuandi sui existimationem, fastidiosissima, & nedum sapiente, ac Religioso homine, sed gravi, atque honesto quovis scriptore indigna. Latinitatem, quoad fieri potest tersam, cultamque corrumpit affectationis quodam studio, quod Declamatorem magis, quam sacrum scriptorem redolet. Quærit verbula, comit periodos, quæ quidem, quamvis alioqui cum magna rerum ubertate, ac sententiarum gravitate conjuncta, quamdam tamen indicant animi levitatem minus in rebus ipsis, quam in ea eloquendi modo occupati. Ad aurem fuerat illi insusurrandum quod ipse scripsit adversus eos qui Scripturas pulchro, atque eleganti stylo interpretari conati sunt: Nimirum Dei sapientiam stulti, & imperiti homines artis coloribus pingere, & quasi puellam Rhetorum flosculis ornare volunt . . . At eloquia Domini, eloquia casta . . . Et quum personam Christi, Paulive loquentis assumis, quo elegantius, nitidiusque eloqueris, eo minus eorumdem spiritum, & majestatem imitaris. Obiit Canus ann. 1560.

14. Constantius Sarnanus, natione Umber, professione Franciscanus, S. R. E. Cardinalis scripsit Directorium Theologicum ad mentem Scoti, item Summam Theologicam, & Tractatum de Concilianda Scoti, & D. Thomæ doctrina.

15. Bartholomæus Medina Hispanus ex Ord. Prædicatorum scripsit in Secundam, & Tertiam partem D. Thomæ. Dictionarium Historicum Gallicum ipsi tribuit quoque Tractatum de Instructione Sacramentorum. Forte Bartholomæum confundit author iste cum Joanne Medina Hispano Complutensi Doctore, qui diversos scripsit Morales Tractatus, quos inter de Pœnitentiæ Sacramento. Fuit & Michael Medina Franciscanus, Philippi II. in Tridentino Concilio Theologus, qui scripsit de recta in Deum fide libros 7., de sacrorum Ministrorum Continentia libros 5., Tractatum de Purgatorio, Indulgentiis, & alios apud Wadingum. Obiit Joann. Medina anno 1546.; Bartholomæus ann. 1581.

17. Ludovicus de Molina Hispanus Conchensis, è Soc. J. atque in Eborensi Academia Theologiæ professor scripsit in primam partem D. Thomæ, & de Justitia, & Jure Tractatum uberrimum, tum de Concordia Gratiæ, & liberi arbitrii librum nominatissimum.

Hoc

Hoc opus ab aliquibus Theologis impugnatum, ab aliis non inferioribus defensum Thomisticam Scholam ab Jesuitica separavit quamvis utraque D. Thomam tanquam proprium Doctorem sequatur, ejusque semper fuerit studiosissima. Hinc ortæ celeberrimæ de Auxiliis Controversiæ. Iis ut finem imponeret Clem. VIII. Congregationem instituit Cardinalium aliquot, atque aliorum Theologorum, quibus coram, & ipsomet sæpe Summo Pontifice disputatum est acerrimè ab selectis utriusque gentis Theologis Hispanis. Clemens VIII. re non definita obiit 3. Martii ann. 1605. Tandem Paulus V. Clementis successor decreto expedito prid. Kal. Sept. ann. 1607. utrorumque opinionem in Scholis sustineri posse permisit sine alterius condemnatione, atque acrioribus censuris. Obiit Molina Matriti 12. Octobr. an. 1600.

§. LVII.

Sæculi Decimiseptimi insigniores Scholastici.

1. Gregorius de Valentia Hispanus, unus fuit ex Jesuitis Theologis, qui controversia prædicta, Molinæ patrocinium suscepit. Doctos, solidosque Commentarios scripsit in D. Thomæ Summam, & multos egregios Tractatus adversus ejus temporis Hæreticos, quæ omnia quatuor voluminibus comprehensa feruntur. Obiit in ipso controversiarum calore ann. 1603.

2. Gabriel Vasquezius Hispanus, Bellomontanus, è Soc. Jesu, Compluti, & Romæ Theologiam docuit. Reliquit in Summam D. Thomæ grandia octo volumina, additis ad Sancti Doctoris litteram opportunis disputationibus. Parum quadragenario major e vivis excessit ann. 1604.

3. Eodem anno Methymnæ campi non sine odore Sanctitatis obiit Dominicus Bannezius Hispanus, Mondragonensis ex Ord. Pr. Sanctæ Theresiæ a Confessionibus. Scripsit præter Tractatum de Justitia, & jure, Commentarios in primam, & secundam partem D. Thomæ.

4. Bartholomæus de Ledesma Hispanus ex Prædicat. Ordine, ac deinde in nova Hispania Antequerensis Episcopus scripsit in quartum librum Sententiarum, sive Tractatum de Sacramentis. Obiit ann. 1604. Fuit item Martinus de Ledesma, quem Azorius in 4. classe insignium Scholasticorum recenset, Hispanus, Dominicanus, cui author Dictionarii Gallici commentarium adscribit in Summam Sententiarum.

5. Prætermittere hic non possum Joannem de Ledesma Mexicanum

è Soc. J., cujus Commentaria plenissima in Summam D. Thomæ per multos annos asservata sunt in Biblioth. Collegii Maximi Mexicani. Viri æquè docti ac pii modestia factum est, ut eo vivente in lucem non prodirent, deposcente etiam, atque enixè ex Gallia urgente Horatio Cardinio Typographo notissimo. Post ejus mortem delata in Europam, vel in curia interierunt, vel alicubi cum blattis dimicant.

6. Franciscus Zumel Palentiæ in Hispania natus est, & S. Petri Nolasci institutum professus. Scripsit Cursum plenum Theologiæ in Summam D. Thomæ, & variarum disputationum tomos tres, in quibus nonnulla Apologetica adversus Ludovicum Molinam, qui Zumelii scripta impugnaverat, & ad Inquisitionis tribunal detulerat. Zumel contrà censuram scripsit adversus Molinæ Concordiam, quæ Romam missa est tempore Controversiarum de Auxiliis. Bannezius Dominicanus de quo supra Zumelium defendit adversus ea, quæ ipsi opponebat Molina. Scripsit Zumel præterea Apologiam pro Clement. VIII. seu de inconcussa Clementis electione, & certitudine infallibili ipsius Pontificatus, atque unus ex sincerioribus, & solidioribus Thomistis habetur. Obiit anno 1607.

7. Petrus Arrubal Hispanus in Calagunitana Diœcesi natus, & Societ. Jesu professus scripsit in 1. D. Thomæ partem tomos duos. Docuit Salmanticæ, & Romæ, obiitque ann. 1608.

8. Eodem anno obiit Guillielmus Esbius Belga, cujus exstat Commentarium in libros Sententiarum ad mentem D. Thomæ.

9. Didacus Alvarezius Hispanus ex Ord. Prædicatorum unus ex Theologis ab suo Ordine designatis ad D. Thomæ doctrinam tuendam in prædicta Congregatione de Auxiliis, varios de iis argumentis tractatus reliquit. Obiit Archiepiscopus Tranensis in Regno Neapolitano annum circiter 1616.

10. Franciscus Suarezius Granatensis è S. J. scripsit ingentia volumina unum supra viginti. Selectiora sunt in 3. partem D. Thomæ tomi quatuor, in primam Secundæ tom. 1. de Legibus, in Secundam Secundæ de Religione tom. 4. adversus Jacobum Regem Angliæ tom. 1. de Censuris tom. 1. Sunt qui ei opinionem tribuant ab Clemente VIII. tanquam falsam temerariam, & scandalosam proscriptam, nimirum licere sive per litteras, sive per internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. Verum hanc opinionem numquam ille tenuit, immo potius primum Compluti, deinde Romæ apertè docuit absolutionem Sacramentalem ad reum absentem referri non posse, ut contra multos antiquos authores probat 4. tom. in 3. part. disp. 19. sect. 3. ubi Constitutionis Clem. VIII. expressam mentionem facit.

cit. In disputatione autem 21. sect. 4., quæ in aliquibus editionibus anno 1602. posterioribus deest, disertè tenet, & in aliis locis supponit, posse confessionem fieri absenti, per internuntium, aut per litteras, nunquam tamen ab absente absolutionem dari posse docuit. Obiit Ulyssipone anno 1617.

11. Leonardus Lessius Belga, oppido quodam Antuerpiæ vicino natus Soc. J. institutum professus est, & Lovanii per annos multos Theologiam docuit. Unus fuit ex Theologis, qui doctrinam Molinæ ab omni errore immunem esse propugnarunt adversus Dominicanos in Controversiis de Auxiliis. Scripsit in Secundam Secundæ D. Thomæ brevem, elaboratissimum, ac dilucidum tractatum de Justitia, & Jure: tractatum item de perfectionibus divinis, & Disputationem Apologeticam de Gratia efficaci tom. 2. Academiæ Lovaniensis, & Duacensis ex his unam supra triginta theses proscripserunt. Res Romam perlata est, unde tamen nulla adversus Lessium sententia prodiit. Obiit an. 1623. Suarezii discipulus fuisse fertur.

12. Thomas Lemosius Hispanus ex Ordine Prædic. præcipuas partes gessit pro Schola Thomistica in prædicta Controversia de Auxiliis sub Clem. VIII., & Paulo V. De hoc argumento multa scripta reliquit, tractatus nimirum de Gratia, Prædestinatione, &c. item Panopliam de Gratia auxiliante, tom. quatuor, tum Commentarium exactissimum per dies singulos omnium eorum, quæ in dictis collationibus contigerunt. Oblatum a Philippo II. Episcopatum recusavit, obiitque Romæ ann. 1629. ætat. suæ 84.

13. Theodorus Imisingus Germanus ex Ord. S. Francisci duo scripsit volumina de Deo Uno, & Trino exigui etiam apud suos nominis.

14. Martinus Becanus Belga ex S. J. Summam Theologicam scripsit secundum tres D. Thomæ partes, plura autem Dogmatica, in quibus multo fuit quam in Scholasticis felicior. Obiit an. 1625.

15. Didacus Ruizius de Montoja Hispalensis ex Soc. J. quatuor tomos scripsit in primam partem S. Thomæ. Laudantur præcipuè Tractatus de Trinitate, & voluntate Dei. Scripsisse etiam dicitur de Auxiliis volumina duo, quæ ad manum habui nunquam. Vir fuit multæ lectionis, & in Sanctorum PP. libris versatissimus, majori tamen testimoniorum copia, quam delectu, & fructu. Obiit anno 1632.

16. Didacus Granados Gaditanus è S. J. longum Commentarium scripsit in Summam D. Thomæ. Author solidæ doctrinæ, sed in quo trita omnia, ac vulgaria, & superflua multa. Obiit eodem anno 1632.

17. Eodem quoque anno obiit Adamus Tannerus Tyrolensis ex eadem Societate. Exstat ipsius Cursus Theologiæ Speculativæ, & Mo-

ralis tomis quatuor. Item Disputationes in omnes partes Summæ D. Thomæ, de quibus idem dici potest.

18. Ægidius Coninkius Belga è S. J. discipulus Leonardi Lessii reliquit de Ente Supernaturali, de Trinitate, Incarnatione, & Virtutibus Theologicis singulares Tractatus. Obiit ann. 1633.

19. Ad hæc ipsa tempora spectat Zunniga Hispanus ex eadem Societate, cujus superest Tractatus de Trinitate exigui pretii. Prodiit etiam his fermè temporibus Cursus Theologicus Salmanticensis, cujus primus author Antonius a Matre Dei Carmelita Discalceatus Hispanus Legionensis, qui florebat anno 1630. Opus de compacto collaborantes ad umbilicum perduxerunt alii ejusdem Ordinis viri, quorum nomina videri possunt apud Martialem de S. Joanne in Biblioth. Ordin. Carmelitani. Prodiit hoc opus 15. magnis voluminibus, sed spissum, incuriosum, grave.

20. In eamdem classem rejicienda sunt opera Ludovici Turriani Complutensis è S. J., qui tractatus reliquit de Trinitate, de Angelis, Eucharistia, & virtutibus Theologicis. Obiit ann. 1635.

21. Antonii Brisennii Franciscani Chilensis, cujus est Commentarium celebriorum controversiarum in primum Sententiarum Scoti. Obiit an. 1640.

22. Claudii Tiphanii Parisiensis è S. J., qui scribit tractatum, cui titulus: Declaratio, & defensio doctrinæ Patrum, & D. Thomæ, de hypostasi, & persona ad mysteria Trinitatis, & Incarnationis illustranda. Author Anonymus dictus est, quia sine nomine diversos tractatus edidit, quos inter de Scientia. Doctus est, & eruditus author, sed ingenii nimis sibi fidentis.

23. Josephus de Cordova Hispanus, Avilensis, & professione Augustinianus quatuor edidit volumina Commentariorum in Summam D. Thomæ. Florebat, sicut præcedens anno 1640.

24. Augustinus Bernalius S. J. Aragonensis tractatus edidit de Sacramentis in genere, & singulares de Eucharistia, & Ordine, de Incarnatione. Scriptor vulgaris. Obiit ann. 1642.

25. Joannes de Sancto Thoma Ulyssiponensis ex Ordin. Prædicat. septem spissa volumina reliquit Cursus Theologici ad mentem D. Thomæ. Obiit 1644.

26. Gaspar Hurtadus Hispanus, Mondexarensis è S. J. scripsit de Deo Uno, & Trino, de Angelis, Incarnatione, & Eucharistia. Obiit 1646.

27. Joannes de Ripalda Hispanus Pampilonensis scripsit de Ente Supernaturali tres ingentes tomos, in quibus erant multa, quæ demere possis. Author obscurus, eximius promotor quæstionum, quas de Possibili dicunt Scholæ. Majus ipsi nomen peperit brevis Expli-

catio

catio Litteræ Mag. Sententiarum, & quæstionum, quæ inde deduci; ac resolvi possunt. Opus saltem utile ad Relectiones, quas vocant, Quodlibeta, & Repetitiones, aliasque functiones Academicas. Obiit ann. 1648. Non est confundendus cum Hieronymo Ripalda, Jesuita item Hispano, cujus est brevissimus, & aureus doctrinæ Christianæ Catechismus.

28. Antonius Perezius Hispanus in Summam D. Thomæ Commentarium scripsisse dicitur. Tractatus tamen quos videre potui, de Providentia, & Prædestinatione, nedum ab D. Thoma, sed etiam ab communi opinandi, & loquendi modo alienissimi sunt. Obscurus, novarum loquutionum inventor, & secundarum intentionum, ut in Scholis dicitur, & reflexarum quæstionum scrutator. Obiit ann. 1649.

29. Eodem anno obiit Franciscus Silvius vulgò Du-Bois, Germanus, cujus exstat Commentarium in Summam D. Thomæ elaboratissimum, unde & Thomistarum elapsi sæculi Princeps habitus est. Reliquit etiam Sententiarum librum unum.

30. Franciscus Oviedus Hispanus, Matritensis scripsit in Secundam Secundæ D. Thomæ, & quædam alia Theologica, vulgaris doctrinæ vir. Fuit & alter Oviedus Petrus Monachus Cysterciensis Hispanus, & in Gallæcia Episcopus qui scripsit in primam partem, & primam Secundæ D. Thomæ. Obiit uterque anno 1651.

31. Obiit item anno eodem Franciscus Amicus Italus è Soc. Jes.; cujus exstat Cursus Theologicus prægrandibus novem voluminibus; in quibus oleum suum perdidit, atque operam.

32. Marcus Serra Hispanus ex Ord. Prædicatorum breve Commentarium scripsit in Summam D. Thomæ, opus quidem ad instructionem Thomisticæ juventutis non inutile. Florebat anno 1653.

33. Gaspar Sghemma Panormitanus ex Ord. Minorum tres tomos reliquit, quibus titulus: Scotica opuscula Scholastica, item Manuale Scoticum juxta quatuor libros Sententiarum. Obiit an. 1657.

34. Raphael de Aversa in regno Neapolitano natus, Clericorum Regularium, qui Minores dicuntur, Generalis Præfectus Cursum Theologicum scripsit ad mentem D. Thomæ. Dum vixit insignis Theologus reputatus est. Et opus quidem multæ lectionis, & laboris hominem indicat, sed in scribendo frigidus est, & parum profundus. Obiit an. 1657.

35. Alphonsus Permaselius Peruanus è S. J. reliquit Theologiæ Scholasticæ tomos duos. Scriptor est litigiosus, & vulgarium rerum, atque exiguarum magni faciens.

36. Bernardus Aldretus Zamorensis è S. J. scripsit in primam partem

tem D. Thomæ de Scientia, Visione, Prædestinatione, & Voluntate, & in 3. partem tractatum de Incarnatione. Opus nec eruditione, neque profunditate commendandum; non tamen omnino inutile. Obiit sicut & præcedens ann. 1657.

37. Thomas Compton Carleton cursum Philosophicum, & Theologicum Scholasticum scripsit.

38. Joannes Baptista Lezana Matritensis Carmelitanus scripsit Summam Theologicam in tom. 3. Doctus author, perspicuus, modestus, & solidus, sed rebus Canonicis, quam Scholasticis longè felicior. Obiit an. 1659.

39. Petrus Godojus ex Ord. Prædic. Episcopus Oxomensis scripsit Theologiæ ad mentem D. Thomæ tom. 6. Vulgaris eruditionis author, clarus tamen, & modestus. Obiit ann. 1660.

40. Joann. Poncius Hibernus ex Ord. Min. Summam Theologicam composuit ad mentem Scoti. Verum quum aliis fuisset opinionibus, ac principiis imbutus, dum Scotum ad suum cogitandi, & loquendi modum conatur trahere, valdè suorum animos offendit; maximè postquam scripsit Mastrius, hodie Scotistarum Coryphæus. Obiit Poncius ann. 1656. Mastrius Philosophica, & Theologica ad mentem Scoti scripsit, quo anno objerit, incertum mihi est.

41. Joann. Lugo Matritensis è S. J. & S. R. Eccl. Cardinalis diversos scripsit de rebus Theologicis Tractatus, in his de Incarnatione, de Fide, de Sacramentis, & singulariter de Eucharistia. De justitia quoque & jure opus eximium. Scribit clare, dilucidè, copiosè ac solidè. Obiit ann. 1660.

42. Georgius Rhodes, & Joannes Martinonus, uterque Gallus, atque ejusdem fere ætatis. Alter Summam Theologicam duobus tomis, alter tribus scripsit. Primus Declamator, aut Orator Panegyricus potius, quam Scholasticus; Secundus pressior, & strictior; sed enervis, & parum in ratiocinando exactus.

43. Joann. Baptista Gonetus Gallus Bitterrensis ex Ord. Prædicat. Cursum Theologicum confecit, cui titulus: Clypeus Theologiæ Thomisticæ per quinque volumina, item hujus operis Synopsim, sive Manuale Thomisticum; & Dissertationem de Probabilismo. Multa ex Godojo mutuatus est, sed accepta meliori ordine, majori robore, & claritate exposuit. Ad erudiendam sui ordinis juventutem opus non ineptum futurum, si D. Thomæ modestiam, & Capreoli, & Ferrariensis Summorum Thomistarum, eorum ipsorum quos impugnabat, eruditionem, ac pietatem fuisset reveritus.

44. Sfortia Palavicinius Roman. è Soc. J. Cardinalis scripsit Theologicarum Assertionum libros octo, & in primam secundæ D. Thom. tom.

tom. 1. Historia Concilii Tridentini, quam scripsit, multo profundiorem Theologum eum fuisse demonstrat, quam ejus Scholasticæ Disputationes præseferunt. Obiit ann. 1667.

45. Eodem anno ex hac vita migravit Rodericus Arriaga Hispanus Lucroniensis è S. J. Theologiam Pragæ summa cum sui nominis existimatione docuit. Scripsit de rebus Theologicis tomos octo, spissum opus, rude, atque illimatum.

46. Antonius Quirozius Toletanus è S. J. duo volumina in fol. reliquit de Deo, & Angelis, scripsit opus insulsum.

47. Idem dici potest de Vincentio Ferreo Dominicano, cujus exstat tractatus de Virtutibus Theologicis, & oppositis vitiis.

48. Hujusmodi est Martinus Sparsa è S. J. Navarrus, qui Cursum Theologicum duobus tomis scripsit.

Dionysius Blascus Carmelitanus

49. Claudius Frassenus ex Ordine Minor. Theologia ad mentem Scoti.

Sebastianus Izquierdus de Scientia, & Voluntate, Deo, & Attributis.

Jacobi Platelii Synopsis Cursus Theologici, & alia nonnulla.

Gabriel Henao, cujus exstant præter alia tomi duo de Scientia media Scholasticè, & Historicè propugnata.

Marcus de Baudunio Carmelita Gallus: Cursus Theologicus concilians tres Doctores Angelicum, Seraphicum, & Subtilem. Scilicet

Terra feret stellas, cœlum findetur aratro.

Mathias Borrulus, Valentinus è S. J. de Deo Trino, Voluntate, Scientia, & Attributis.

Petrus de Abarca Aragonensis è S. J. de Trin., Scientia, Prædest. Incarn.

Christophorus Ortega Hisp. è S. J. de Deo uno, Trino, Incarnato.

Raimund. Lumbierius Carmelita in primam, & tertiam partem D. Thomæ.

Philipp. Aranda S. J. Aragonens. Schola Scientiæ mediæ.

Thom. Muniessa S. J. Aragonens. de Providentia, de Gratia, Incarnatione, Eucharistia, Baptismo.

50. Cœlestinus Sfondratus Cardin. Mediolanensis: Nodus prædestinationis solutus: Innocentia vindicata: Cursus Theologicus. Exigua omnia.

51. Franciscus Annatus Gallus è S. J. Tractatus de Scientia media: Tratactus adversus novum methodum tuendi physicam prædeterminationem.

52. Joan-

52. Joann. Caramuel Hispanus, Miles, Monachus, Abbas Cisterciensis, & trium aut quatuor Sedium Episcopus, Mathematicus, Logicus, Physicus, Asceticus, Scholasticus, in omnibus irregularis.

53. Laurentius de Brancato Italus ex Ordin. Minorum Cardinalis, cujus exstant Commentaria in tertium, & quartum librum Sententiarum Scoti: Tractatus de Prædestinat. stylo simplex, sed doctrina præstans: Cursus Theologicus tom. 8. Et Item Josephus Aguinius Lucroniensis ex Ord. S. Benedicti Cardin. qui Theologiam S. Anselmi doctis commentariis illustravit.

§. LVIII.

Sæculi Decimioctavi Scriptores Scholastici.

1. Petrus Menanus Limensis opusculum edidit cui titulus: Rotetum Theologicum, sive de laudibus Virginis Scholastice disputatis.

2. Thyrsus Gonzalez Hispanus Præpositus Generalis S. J. Exstant ejus Theologicæ Disputationes Selectæ tom. 2.

3. Joann. Baptista Duhamel Theologia Speculativa, & Practica 2. tom. Scripsit etiam Cursum Philosophicum ad usum Scholæ Burgundicæ & in universam Scripturam brevia Scholia, quibus majus sibi, quam Scholasticis lucubrationibus nomen acquisivit.

4. Vincent. Ramirius Hisp. Matritensis de Soc. J. scripsit de Prædestinatione tomos 2., ac totidem de Scientia, nullius ferè utilitatis.

5. Joannes Saguensius gente Gallus, professione Minimus tractatum reliquit de Perfectionibus divinis ad mentem Maignani: Systhema Gratiæ: de Accidentibus Eucharisticis sub titulo: Accidentia profligata. Scribit ad gustum Mechanicæ hujus Philosophiæ, quæ post Carthesium Academias occupavit.

6. Joannes de Ulloa Matritensis S. J. Theologiam speculativam scripsit tomis 5. Tractatum item de ultimis temporibus. Speciosus plerumque magis quam solidus, & ubi plus fuci, quam succi est.

7. Franciscus Palaneus Hispanus, & in Aragonia Episcopus scripsit in primam, & primam Secundæ D. Thomæ. Inter Recentiores Thomistas non ultimus habetur.

8. Ludovicus Babenstuberus Ord. S. Benedicti, natione Gerroranus Professor. Salisburgensis Cursum Theologicum scripsit in quatuor partes divisum ad mentem D. Thomæ. Opus illimatum, atque elumbe.

9. Joann. Marinus Hispanus è S. J. Ludovico I. a confessionibus de Speculativa, & Morali Theologia tres tomos reliquit. Dum vixit

in ma-

in magna opinione est habitus; sed scripta minorem eum fecerunt. In minimis enim quibusque, & reflexis, ut dicunt, quæstionibus disputator maximus, in majoris momenti controversiis frigidus languet, parum sibi in doctrinis cohærens, in multis obscurus, & incoctus, ut properante calamo, nec multa lectione, & meditatione scripsisse statim appareat.

10. Dominicus Viva, Neapolitanus è S. J. Summam Theologicam scripsit tom. 5. item Explicationem propositionum Damnatarum ab Rom. Pontificibus: Posterius hoc opus contemnendum non est. Summa Scholastica proletarii scriptoris est.

11. Idem dicendum de Joanne a Campoverde Jesuita Toletano, cujus exstant de Incarnatione tomi tres: de Gutterio Salesio varii argumenti Theologici. Tomi 2. de Nicolao Segura Angelopolitano Disputationum Selectarum tomi 2. Exstant quoque hujus Orationes Panegyricæ, & Tractatus de Contractibus, omnia minus quam mediocria; postremum melius.

12. His addendi Antonius de Peralta Mexicanus, cujus sunt tractatus quatuor de B. Virgine, de Sancto Josepho, de Scientia Media, & Divinis Decretis: Gaspar Rivadeneira è S. J. reflexarum quæstionum ventilatores acerrimi: Vincentius Ferrerius Dominicanus, qui Epitomem Theologiæ Thomisticæ quinque tomulis scripsit. Hi omnes ad ann. 1730., aut circiter scripserunt.

13. Paulo posterior his fuit Antonius Mayrus Germanus è S. J. qui Theologiam Speculativam edidit tomis 2. author non ineptus, sed in principiis parum profundus; in confirmando enervis. Quod ipsum dici potest de Schmiero Benedictino, de Crispero Franciscano, de Erbero, Retlhamero, Monscheinio, & Statlero è S. J. aliisque ejusdem nationis hominibus, qui hoc sæculo Theologiam Scholasticam ediderunt.

14. Alvarus Cienfuegos Hispanus è S. J. Cardinalis duos tomos edidit, quibus titulus: Ænigma Theologicum, & item de Vita Abscondita, sive de Eucharistiæ mysterio. Acuti vir ingenii, sed parum in lectione veterum versatus, nec satis in Dialectica, & Metaphysica cruditus, verbosus nimium, & corruptissimo stylo fastidiosus, tum exoticis opinamentis deditus. Obiit ann. 1739.

15. Thom. Magdalena ex Ord. Prædicat. Hispanus observationes litterales edidit in Summam D. Thomæ, tum Examen Thomisticum, itemque Ludum æstivalem adversus unionem assumptivam Cardin. Cienfuegos. Hujus defensionem suscepit Franciscus Ravagus S. J. Granvosca dictus fictitio nomine.

16. Didacus Quadrius è S. J. Matritensis tractatum scripsit de Incarnatione, & Caducæum Theologicum adversus Magdalenam sub adsci-

adscititio nomine Martini Ortizii. De trivio author, & nihil ex suo proferens.

17. Joannes Josephus Eguiara Mexicanus, electus Episcopus Jucatanensis, homo pius, & laboriosus tria reliquit volumina de Deo, de Incarnatione, ac de D. Josepho. Author quæstionum, & assertionum, quibus in Scholis imbutus fuerat, tenacissimus.

18. Joachimus Navarrus è S. J. Hispanus duo scripsit volumina speculativæ Theologiæ ad mentem D. Thomæ, & Suaresii. Incoctum opus nec multa veterum lectione, nec Critico sale conditum.

19. Honoratus Tournelius Gallus scripsit Prælectionum Theologicarum tomos 12. Inutiles quæstiones, quibus elapsi, & præsentis sæculi Scriptores Theologiam Scholasticam oppleverant, resecuit, aliasque utiliores, & tempori necessarias induxit ut de Ecclesia, deque ejus Capite, & membris. Author brevis, nec obscurus, & quamvis non multum in Dialectica acutus ad veræ Theologiæ specimen animis juvenum ingenerandum non ineptus; provectioribus autem parum, aut nihil utilitatis affert.

20. Vincentius Gottius Bononiensis ex Ord. Prædic. Cardinalis Summam Theologicam scripsit ad mentem D. Thomæ pro instituenda sui Ordinis juventute completissimam, multaque de Polemica Theologica adjecit in tractatu de Veritate Religionis Christianæ, & de vera Christi Ecclesia. In Scholasticis ex suo ferè nihil profert, sed quæ in aliis sparsa sunt seligit solidus, clarus, modestus author, atque ad instructionem Thomisticæ juventutis aptissimus, nisi quod præter sui Ordinis authores paucos, nihil legisse videbatur.

21. Jacobus Hiacynthus Serrius Dominicanus Gallus scripsit præter alia Prælectionum Theologicarum libros quinque rerum copia, eruditione, & Critico sale conspicuos. Obiit an. 1738.

22. Eusebius Amortius Philosophiam, & Theologiam Scholasticam Eclecticam scripsit, & præterea doctum Tractatum de Indulgentiis hortatu Benedicti XIV. Germanus fuit, & Canonicus Lateranensis. Eruditus scriptor, & Criticus; sed in subtilioribus speculationibus parum versatus facilius aliena destruxit, quam propria adstruxerit.

23. Dionysius Petavius e S. J. plurima opera tum Græce, tum Latine, summa eruditione, & doctrina scripsit. Eorum Catalogus Franciscus Antonius Zacharias in 1. tomo Theolog. Dogm. editionis Remondinianæ contexuit. Præcipua sunt. Rationarium temporum in duas partes divisum; & de Doctrina Temporum in totidem item divisum: atque Theologorum Dogmatum tomi sex. Obiit die 11. Decembris 1652.

24. Paulus Gabriel Antoinus ex S. J. Gallus Theologiam Speculativam, & Moralem, sive utriusque Synopsim scripsit ex Bellarmino,

no, & aliis selectis authoribus delibatam, pulchram, auream, ut juventuti in rebus Theologicis instruendæ ferè nihil scribi possit opportunius.

25. Joann. Laurent. Bertius Institutionum Theologicarum octo tomos edidit clara, ac dilucida methodo, nec stylo ineleganti. Jansenismi tamen ab nonnullis suspectus habetur.

26. Edmundus Simonnetus ex S. J., natione Gallus Institutionum Scholastico-polemicarum tres tomos reliquit eruditorum judicio probatissimos. Scripsisset autem utilius, si Gallicanæ Gentis opinionibus non nimis indulsisset, & Polemica Scholasticè magis, quam Historicè tractasset.

27. Floret adhuc magna nominis claritate Joann. Baptista de Occa Bononiensis, cujus exstant Theologicarum institutionum tomi quatuor. Et Joannes Baptista Generius Hispanus, olim S.J., & in Rom. Collegio Theologiæ professor, cujus Prodromum vidi. Cætera, si quæ edidit, videre mihi non licuit.

INDEX

ALPHABETICUS SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM,

De quibus in hoc Prolegomeno III. brevis datur notitia. Romanus Numerus paragraphum, Arabicus numerum paragraphi designat.

C

F

Fra-

H

Ho-

de

Ota-

Ri-

Theo-

V

Z

F I N I S.

E R-

		ERRATA.		CORRIGE.
Pag. 111.	lin. 24.	anthore.	leg.	authore.
Pag. 18.	lin. [illegible]	&c. Christia-nitus moribus.	leg.	Christianis &c.
Pag. 31.	lin. 11.	adducit Isidorus affert.	leg.	adducit Isid. Afer.
Pag. 124.		S. Cornelius Centumcellis.	leg.	Centumcellas.
Pag. 167.	lin. 13.	Primus Christi præter.	leg.	Christi Pater.
Pag. 190.	lin. 1.	Hin etiam.	leg.	Hinc etiam.
Ibidem in totum:		exsecrabatur.	leg.	exsecrabantur.
Pag. 191.	lin. 22.	donec postria.	leg.	donec post tria.
Pag. 230. n. 1.	lin. 9.	Oratione.	leg.	Orationem.
Pag. 234. n. 4.	lin. 3.	aliam ispe.	leg.	aliam ipse
Pag. 252. n. 3.	lin. 7.	si non suppositium.	leg.	si non supposititium.
Pag. 260. §. 8. n. 1.	lin. 21.	suppositia.	leg.	supposititia.
Pag. 268.	lin. 7.	corporeitamem.	leg.	corporeitatem.
Pag. 272. §. 17. n. unico	lin. 7.	spuria itisdem.	leg.	spuria itidem.
Pag. 276. §. 23. n. unico	lin. ult.	didiscerat.	leg.	didicerat.
Pag. 277.	lin. 11.	tres postremis.	leg.	tres postremi.
Pag. 300. n. 3.	lin. 32.	nullo Græcosum.	leg.	nullo Græcorum.
Pag. 305. n. 7.	lin. 4.	Hos libros.	leg.	Hi libri.
Pag. 353. n. 2.	lin. 1.	ratione Gallus.	leg.	natione Gallus.
Pag. 356.	lin. 19.	Explicit quęstio &c.	leg.	Explicuit quæstio &c.
Pag. 366. n. 4.	lin. 13.	de motus Telluris.	leg.	de motu Telluris.
Pag. 377. n. 35.	lin. 1.	Alphonsus Permafielius.	leg.	Pennafielius.
Pag. 382. n. 23.	lin. 2.	Eorum Catalogus.	leg.	eorum Catalogum.
Pag. 395.		Marini Joannis Scholasticas.	leg.	Scholastica.